





HERMANNI GYGANTIS
ORDINIS FRATRUM MINORUM,
FLORES TEMPORUM,
SEU
CHRONICON UNIVERSALE,
AB ORBE CONDITO AD ANNUM CHRISTI MCCCXLIX.

Et abhinc ad Annum M D XIII. continuatum

A

MICHAELE EYSENHART,
PRESBYT. ERYTHROPOLITANO,

Ex ipſo hujus MSto Autographo editum,

UNA CUM CLARISSIMI UNDIQUAQUE VIRI

DANIELIS GEORGII MORHOFFII,
Diu deſiderata & ex MSto jam demum etiam prodeunte

DISSERTAT. DE HISTOR. EJUSQUE SCRIPTORIBUS;

Et praemiſſo ad *Hermanni* illuſtrationem proprio ſuo

GLOSSARIO LATINITATIS FERREAE


A

JOH. GERHARDO MEUSCHENIO,
Conſiliario Conſiſtor. & Eccleſiaſtico Eccleſiarum Generali Super-Intendente, Antiſtite S. Mauritii, ac Profeſſore Prim. Theolog. Saxonico Coburgenſi, nec non Regiae Boruſſiacae *Scientiarum Academiae Membro.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Impenſis PHILIPPI BONKII, Bibliop.
cIɔ Iɔ CC XLIII.





SERENISSIMO CELSISSIMOQUE PRINCIPI

AC DOMINO,

DOMINO,

FRIEDERICO,

Marchioni Brandenburgico, Borussiae, Silesiae, Magdeburgi, Cliviae, Juliae, Montium, Stetini, Pomeraniae, Cassubiorum & Vandalorum, Mecklenburgi & Crosnae Duci;

Burggraffio Noribergensi:

Principi Halberstadii, Mindae, Camini, Schwerini, Razeburgi & Moersiae;

Comiti Hohenzolleriano, Marcae, Ravensbergae & Schwerini; Dynastae Ravensteinii, ut & Ditionum Rostochii & Stargardiae, & Reliqua.

DOMINO AC PRINCIPI SUO CLEMENTISSIMO

SACRUM.

SERENISSIME MARCHIO,

PRINCEPS AC DOMINE CLEMENTISSIME!

S*ummae* TUAE, SERENISSIME MARCHIO, *quibus prae aliis Terrarum Dominis emines, exſplendeſcentes Virtutes, nempe infucata Pietas, Sapientia Salomonaea, Prudentia & Juſtitia in Regimine, inſignis Clementia, & plusquam humana Comitas, comitata Magnitudine & inde reſultante Fortitudine animi, auguſta Munificentia, ſingularis Eruditio, Literarum flagrantiſſimus Amor, in harum Cultores maxime ſe inclinans Gratia, imo impenſiſſima in promovendis ſtudiis Cura, quam nuper, in aeternam* TUAM *gloriam illuſtris Academiae Baruthinae munificentiſſima Fundatione probaſti, aliaeque ſublimiores in* TE *uno, admirando nexu inter ſe coadunitae Virtutes, quibus omnes, interque*

hos

hos praecipue Literatos ad TE *pertrahis, imo eos* TIBI *plane devincis, ne dicam proprios reddis; primarium, ingenue fateor, subditum mihi est calcar, ut hoc incitatus, induxerim in animum meum, etiam confluere ad elatum* TUUM *solium*, TE *in hoc coram submisse ad mirari & venerari, simulque in hujusque gradibus ad gratiosissimos* TUOS, *neminem accedentem retundentes pedes, librum hunc exiguum, ut primum devotissimae meae mentis* τεκμήριον, *eadem humillima mente manuque deferre.*

Accedit & alia ratio hujus mei intrepidi quidem, devotissimi tamen, accessus & conatus; utpote quam mihi HERMANNUS *cognomine* GYGAS, *cujus Chronicon hoc meo scripto exhibeo, ipse in hoc suo Chronico suggessit. Dum enim in hoc, ut in subsequenti Praefatione demonstravi, Franconiam nostram, pro sua Patria imo & Domicilii sui claustralis loco agnoscit*; TUQUE CELSISSIME PRINCEPS, *jam universum Franconiae Circulum, ut ejus primae magnitudinis Stella, imo Sol, Gratiae, ac omnium laudatarum* TUARUM *Virtutum coruscantibus radiis illustras, Sapientia* TUA *dirigis, Amore plusquam paterno foves, fortissimaque* TUA *Manu simul protegis; aequum ac justum judicavi, hunc* TUUM *ex IV. Seculorum squalido blattarum carcere a me tandem liberatum Franconicum,* MINOREM, *ut semet ipsum vocat*, SERVUM, TIBI TUOQUE *reddere imprimis servitio, eumque cum me ipso, additisque meis exiguis curis & illustrationibus*, TUAE *inaestimabili commendare Gratiae, ac praepollenti Praesidio.*

Suscipe igitur, demisissime precor, SERENISSIME AC CLEMENTISSIME PRINCEPS, *serena & blanda fronte, indulgentissimaque manu, cum me ipso hoc qualecunque, quod* TIBI *ut Apollini musa mea litat primum, abjectum licet, sincerum tamen*

& omni felle ac fuco ex praescripto antiquarum Romanarum Legum destitutum, libamen, ut per sperandam exoptatissimam hanc in me devolutam insignem, semperque laudibus efferendam Gratiam, indies novas acquirat vires & nutrimentum, flammans humillimumque precum mearum sacrificium, quod SUMMO TRIUNO NUMINI *pro* TUA, TUAEQUE CELSISSIMAE REGIAE DOMUS *perenni Salute, immarcescente Flore, succrescente indies magis magisque gloria ac Potentia, & quod palmarium est, perpetuo gaudenda Protectione ac Gratia Divina, humillime quotidie facit, & ad cineres usque ferre continuabit*

SERENISSIME MARCHIO,

PRINCEPS AC DOMINE CLEMENTISSIME,

CELSITUDINI TUAE

Coburgi *d.* 30. *Aprilis*,
cIↃ Iↄ cc XLIII.

Subjectissimus Devotissimusque Servus

JOHAN. GERHARD. MEUSCHEN.

PRAE-

P R A E F A T I O
JOHAN. GERHARDI MEUSCHENII.

LECTORI MAXIME COLENDO

GRATIAM PACEMQUE CHRISTI PRECATUR

JOHAN. GERHARDUS MEUSCHEN.

§. I.



ffero hisce *Tibi*, maxime colende ac benevole Lector, praeprimis, & quidem ex ipso αὐτογράφῳ MSto *Eysenhartiano Hermanni*, ordinis Minorum, *Gygantis* dicti *Chronicon Universale*, ab eo, ob in sua propria Praefatione memoratas causas, *Flores Temporum* vocatum, & huc usque per integra quatuor Secula, in Trophoniis nescio quasi antris latens. Delatum hoc tandem fuit in meas manus, & quidem singulari favore, & ex amplissima, rarioribus impressis aeque ac MStis libris referta Bibliotheca B. *D. Steinheilii*, Polyhistoris veri, ac quondam Consiliarii, uti universi per-illu-

illuſtris *Equeſtris Alſatici Ordinis*, ſic imprimis glorioſiſſimae aeternae memoriae fortiſſimi, eruditiſſimi, ac omni laude majoris Principis ac Ducis, CHRISTIANI III., Comitis Palatini, Ducis primum Birckenfeldenſis, & dein Bipontini, quem ut optimum Trajanoque re vera meliorem Principem, Muſa mea mori vetat. Dum enim ante circiter 25. annos, in itinere meo Alſatico-Helvetico ac Lotharingico etiam hujus illuſtris Steinheilii celebrem eo tempore in Alſatia Bibliothecam Argentorati viſitabam, & ejus petitis annuens aliquale ſcrutinium multorum in ea complexorum MStorum inſtituebam, offerebat ſe inter illa & hoc noſtrum *Hermanni*, tam male & tot barbaris Longobardicis intermixtis literis abbreviaturiſque ſcriptum, omnique externo cultu orbatum, ut omnium fere aſpectum fugeret, meos autem ad ſe eo magis traheret oculos, meamque attentionem; quod B. illuſtris Vir videns, mihi hoc, ad petita mea, reddito ei ex mea ſuppellectili libraria ſibi arridente etiam rariori ac pretioſo libro, ut proprium tradidit ac reliquit. Animus erat hunc religioſum *Hermannum Gyganteum* ex tot clauſtris tandem liberatum, ad Continuatoris ſui *Eyſenharti* votum, qui illum jam ante duo, & quod excurrit ſecula, etiam publicae luci ac prelo deſtinaverat, huic ſtatim dare: ſed variis fatis, ac publicorum meorum officiorum mole ſemper remoratus, imo fere totus circumcluſus, jam demum perficere haec mea cogitata mihi licuit.

§. II.

Suſcipe ergo, *maxime colende Lector!* hoc, in ſummo adhuc barbaro ſeculo XIV., more hujus ſeculi, inculto ſtylo ſcriptum Chronicon *Hermanni*, de cujus Vita rebuſque geſtis nihil magis aſſerere poſſum, quam quod, uti ſe ipſum in rubrica libri vocat, fuerit Monachus Franciſcanus, *non Minimi*, ſed intermedii, id eſt, *Minorum Ordinis*. Conſului quidem omnes celebriores hujus Ordinis Annaliſtas, & eruditorum hujus Ordinis membrorum Encomiaſtas, *Ledeſmam*, *Arenbergium*, *Oſſualterum*, *Boverum*, *Waddingium*, alioſque, ut inde mihi clarius, & ut ſic ſcribam, intra ſindonem, Pythagoraeo more, noſcendus daretur hic noſter *Hermannus*: ſed fruſtra; quia apud neminem ulla ejus facta fuit mentio. Coactus fui ideo *Hermannum* ſcrutari in hoc proprio ſuo ſcripto Chronico: ex quo itaque

primo

primo collegi, eum patria fuisse Germanum, hocque non solum ex instituta passim translatione nominum Latinorum in linguam Germanicam, verum etiam ex sedula a se facta recensione multorum Germaniae Archiëpiscopatuum & Episcopatuum, *Moguntinensis*, *Trevirensis*, *Argentoratensis*, *Wormatiensis*, *Tullensis*, *Salzburgensis*, *Aichstettensis*, *Frisingensis*, *Passaviensis*, *Regensburgensis*, *Bambergensis*, *Wurzburgensis*, *Magdeburgensis* &c. ut taceam recensitas fundationes celebrium Germaniae Monasteriorum, *Hersfeldensis*, *Fuldensis*, *Hyrsaugiensis*, *Zwiefaltensis*, *Lorchensis* aliorumque. Tandem inveni quoque illam Germaniae provinciam seu Germaniae circulum in quo vixit, & in quo ut videtur simul natus est, nempe *Franconiam;* & quidem didici hoc *primo* ex curatiore recensione duorum praecipuorum Franconiae Episcopatuum, *Bambergensis*, (seu ut Hermannus scribit, *Babenbergensis*,) & *Wurzburgensis*, horumque primorum Episcoporum, hujus nempe *S. Kiliani*, *Burcardi*, & *Brunonis;* & illius *Bambergensis*, *Everhardi* & *Sindegerii*, sublati postea in sellam Pontificiam sub nomine *Clementis II.* Ne dicam quod etiam, ut plane singulare quid, referat ad An. 1051. a Papa Leone IX. quem X. vocat, Episcopo Bambergensi, prae aliis Episcopis concessum fuisse usum Pallii Episcopalis, dati antea solum Archiëpiscopis. Secundo ipse *Hermannus* expressissimis verbis se Franconem profitetur ad. An. 1339., scribens; *Circa Festum S. Johannis venerunt Locustae in totam Franconiam, sicut ipse vidi, & in multas alias Regiones, ut audivi, rostra habebant dura sicut ferrum, quia ego, qui haec scripsi, saepius vidi.*

§. III.

Quod ipsum *Hermanni* Chronicon attinet, se hoc composuisse, partim ipse fatetur, partim allegata docent, ex *Plinio*, *Trogo Pompejo*, *Josepho*, *Eusebio*, *Hieronymo*, *Chrysostomo*, *Origene*, *Methodio*, *Theodoreto*, *Socrate*, *Sozomeno*, *Isidoro*, *Petro Damiano*, *Beda*, *Alano*, *Sigiberto*, *Vitis Patrum*, & *Hermanno contracto*, hujusque Chronicis N. T., ex quibus multa notabilia transumpsisse ipse ingenue profitetur. Usus quoque est *Passionali* seu *Legenda aurea*, ob multa falsissima miracula, ab ipsis Ecclesiae Romanae Scriptoribus *ferrea* dicta, ut in meo *Glossario* sub voce *Passionale* pluribus docui. Optandum esset, ut ex hoc fabuloso scripto non tot tantaque

omnem fidem ſuperantia miracula, (qualia ex. gr. ſunt de oſſibus Petri & Pauli a Graecis furatis, & a Daemonibus reductis; de Gregorii M. liberatione animae Imperatoris Trajani ex inferno; & lepidiſſimum de Leproſo, ex una corporis morbidi parte reliquiis S. Liberii, & ex altera S. Martinii curato; multaque alia hujus farinae:) hoc ſuum Chronicon non deformaſſet magis, quam ex mente ſua in his ſatis ſimplici ſcilicet exornaſſet. Sed donandum eſt hoc genio ſuo nimis credulo monachali; & moribus ſui, in quo vixit, maxime ſuperſtitioſi ſummaque barbarie & ſimplicitate adhuc obfuſcati Seculi, ex quibus etiam barbarus & incultus ſtylus Auctoris fluxit.

§. IV.

Chronicon ipſum ſiſtit nobis utramque Hiſtoriam tam Eccleſiaſticam; quam Civilem, & in Hiſtoria N. Teſtamenti illam cum claris Eccleſiae Doctoribus tradit in *ſectione* de *Summis Pontificibus;* Hanc autem in *ſectione* de *Imperatoribus;* &, exceptis jam dictis miraculis, in aliis ſatis candide res geſtas enarrat, quod ex eo liquet, quod, ubi opus eſt, libere taxat, imo interdum acriter perſtringit multorum Pontificum Romanorum ſummum faſtum, ſaevitiam, crudelitatem, avaritiam, artes injuſtas ditandi, ſellamque Papalem occupandi, bella inter ſe invicem & contra Imperatores mota, latrocinia, luxuriam, laſciviam, foedam libidinem, ſcortationes, injuſtas impiaſque Conſtitutiones, Excommunicationes, horrendam Simoniam, Nepotiſmum, aliaque vitia, ut inde merito referendus ſit inter *Teſtes Veritatis* contra Papam Romanum ejuſque Aulam. E contra ſtrenue ut ſincerus Germanus vindicat *Hermannus* Cleri Germani jura contra intentatas à Pontificibus Romanis infractiones illorum per Annatas, Indulgentias &c. item ſumma jura Majeſtatica Imperii ac Imperatorum Romanorum, omnimodam eorum Independentiam a Curia Romana; liberrimam eorum à ſolis Imperii Principibus, & dein Electoribus, abſque ullo Papae concurſu vel conſenſu faciendam Electionem; jus Confirmandi Papam Romanum, Congregandi Univerſale Concilium, aliaque plura.

§. V.

§. V.

Et in hisce omnibus *Hermanni* vestigia quoque strenue, tamen fere acque inculto stylo pressit ejus Continuator, *Michael Eysenhart*, Presbyter Erythropolitanus, (id est, Rotenburgensis ad Tuberam,) & sic etiam Francus. Hic enim in sua ab Anno 1348. incipiente & in anno 1516. desinente Continuatione etiam vehementius invehitur in Aulae Romanae Simoniam, scribens ac deplorans, sub *Paulo* II. *omnia fuisse Romae venalia;* & sic accedens *Johanni Baptistae Mantuano*, ipsis Pauli pessimis deploratissimisque ab ipso *Baronio* temporibus florenti, & canenti, *Omnia venalia Romae*,

Templa, Sacerdotes, coelum est venale, Deusque;
Si quid Roma dabit, nugas dabit, accipit aurum,
Verba dat, heu Romae nunc sola pecunia regnat.

Castigat Eysenhartus insuper graviter alia Pontificum vitia, errores, Nepotismum & simul masculeque Indulgentias, & sic in his rejiciendis jam antecessit B. *Lutherum*, anno sequenti 1517. idem intrepido aeque animo Wittebergae facientem. In praemissa huic Chronico Epistola *Eysenharti* ad suum fratrem *M. Melchiorem Eysenhart*, Canonicum ad S. Jacobi Bambergensem, ille refert, se *Hermanni* a se continuatum Chronicon Bambergae invenisse, donoque accepisse *a Stephano Schneydenwint*, ibidem Decano apud S. Stephanum, enarratque, quid ipse in ejus emendatione & continuatione praestiterit; Et cum simul scribat, se etiam addidisse in margine numeros ac contenta, haec ita quoque adjicere volui, ut sic in omnibus impressum ἔκτυπον sistat ac exacte referat ἀρχέτυπον *Eysenhartianum.*

§. VI.

Antequam vero hoc Hermanni, quod *Tibi Benevole Lector* exhibeo, Chronicon missum facio, non possum non, quin commemorem singulare, quod libro huic accidit fatum, in eo consistens, quod expertus sit summum ac impudentissimum, quod unquam alicui libro obtigit, plagium, sibi illatum ac commissum a quodam, *etiam ut videtur Hermanni aetate*, & statim im-

impudentissimo alio ejusdem Minoritarum Ordinis, ut se scribit, Monacho ac impostore, qui se vocat *Martinum Minoritam*, qui illud divulgavit sub Titulo; *Martini Minoritae Flores Temporum* ab *Hermanno Januensi continuati* ad *Carolum IV. Imper.* Hic impostor iisdem fere verbis Hermanni, paululum saltem mutatis, suam quoque Praefationem ita incipit: *Virginis Mariae indignus sacrista, ego Martinus, Ordinis Fratrum Minorum:* Primo impostori successit *alius*, qui impudentissime *Hermannum Januensem* sec. XI. florentem, ut Continuatorem Chronici ad annum 1345., in scenam protrusit. Edidit, quod admodum miror, suppotititium hoc proscribendum scriptum illustris *Johannes Georgius Eccardus*, hocque inseruit suo *Corpori Historico Medii Aevi*, duobus Tomis edito Lipsiae 1723. fol., in quo *Tom. I. pag.* 1551. *seqq.* exhibetur. Posui purpuram juxta purpuram, seu contuli nostri *Hermanni* Chronicon cum illo surreptitio *Martini*, ejusque putatitii Continuatoris *Hermanni Januensis*, & inveni hoc ex Hermanno nostro fere verbotenus plusquam ultra dimidiam partem fuisse exscriptum, tamen tam infeliciter ac stupide, ut passim optima scituque dignissima, impostorum captum forsan superantia, fuerint vel plane omissa, vel mutilata, vel immutata, perverse inter se mixta, vel turpissime depravata.

§. VII.

Quia omissorum optimorum magnus est cumulus, haec non tangam, sed solum mutilatorum ac depravatorum locorum quaedam ludicra solum exempla, ad fidem huic meo afferto faciendam, in medium proferam, & genuino nostro Hermanno pseudo-Hermannum & Martinum opponam, ut eo magis veritas & stupiditas plagii eluceat.

Hermannus de Sybilla Samia ita.	*Pseudo-Martinus.*
Tunc floruit Hierophila Sybilla, quae etiam Samia est a loco denominata, sexta in ordine. X. enim *Isidorus* VIII. Etymol. enarrat, & singularum dictamina laudat, quarum una	Savia (NB. *pro Samia*) Sybilla claruit, X. enim Sybillas *Isidorus* octavo libro nominat, & singularum dictamina laudat. Quarum Romae scripsit in lapide: P. P. P. F. F. F. at

una Romae in lapide fic fcripfit: R. R. R. F. F. F. quod venerabilis Beda fic exponit; Roma Ruet Romuli Ferro Flammaque Fameque.

at Beda venerabilis Presbyter fic exponit. Papa parit patera, feu perditur, fecum fapientia faltat, feu fuftollitur; Roma ruit Romuli ferro flammifque fameque.

*.

De Xerxis temporibus.

Tunc equa Vulpem peperit.

Tunc Vulpes equam peperit.

*.

De Nativitate Chrifti.

In coelo meridiem verfus circulus aureus vifus eft, in quo Virginem Puerum in brachiis geftantem Caefar vidit, & vox de coelo fonuit, *Hic Puer major Te eft.*

In meridie circulus aureus apparuit, in quo Caefar vidit Virginem cum Puero, & vox eft audita: *Haec eft arca coeli.*

*.

De S. Ignatio ad A. C. XCIX.

De hoc Sancto require multa in Ecclefiaftica Hiftoria, qualiter gloriofa Virgo & Mater Dei fibi (Ignatio) literas mifit, & ipfe fuis literis e regione (i. e. e contra) eam vifitavit.

Qualiter Brigitta virgo fibi literas mifit, & ipfe literis fuis gloriofam Virginem faepius vifitavit. *En ftupiditatem impoftoris, Brigittam ad feculum* I. *referentis, quae demum feculo XIV. inclaruit, cujufque mentionem facit Eyfenhartus ad an.* 1363.

*.

De S. Helena ad A. C. CCCXXXII.

Helena mater Conftantini crucem Domini quaefivit, & miraculofe invenit: item Ecclefiam miri ornatus in Bethlehem conftruxit, cum 40. co-

Helena crucem Domini invenit; Ecclefiam in Bethlehem in loco Nativitatis Chrifti conftruxit, cum columnis marmoreis, & chorum de mar-

columnis marmoreis, & chorum de marmore speciosum, in locum diversorii, ubi Dominus noster Salvator natus est.

*.

De Imperatore Zenone & Odoacro ad A. C. CCCLXXVI.

Zenon Imperator anno Domini 476. in Oriente 17. annis regnavit. Odoacer autem Rex Rugorum & Thurclingorum cum barbaris Romam veniens eam obtinuit, Augustulum Imperatorem exilio damnavit, cujus patrem Orastem occidit, sicque per annos XIV. in Occidente quietè regnavit. Theodoricus de Verona annorum 18. à Patre suo Dietmaro pro obside missus est Zenoni Imperatori Orientis.

marmore NB. Spinosum.

*.

Zenon Imperator anno Domini 478. Orientem rexit annis 27. Obdackus autem Rex Turcorum & Darelingorum cum barbaris Italiam veniens Romam violenter obtinuit, Augustulum exilio damnavit, cujus Patrem Erasten, & Patruum Paulus occidit, sicque per annos XIV. quiete regnavit. Theodoricus de Verona annorum 18. a Patre suo Dethmaro, Rege Ostro-Gothorum pro obside missus est Zenoni Imperatori Brientis.

Sed pudet ac piget plura similis abjectissimi furfuris exempla, cum mille fere aliis erroribus ac vitiis Historicis, Chronologicis, imo & Grammaticis & Orthographicis, adhuc in nauseam sane Benevoli Lectoris, proferre: Hoc unum saltem doleo, *D. Eccardum*, Virum alias satis in Historia exercitatum, hoc monstroso ac vitiosissimo ficto supposito *Pseudo-Martiniano ac Hermanniano* partu, ut Duumfurum spolio, ita fuisse captum, ut id laudato suo *Corpori Historico Medii Aevi* inseruerit, imo eo ipso hoc non minimum maculaverit.

§. VIII.

Restat & antea jam tactum, quod *Hermannum* nostrum *Gigantem* suosque

Jam

Temporum Flores mansit examinandum fatum: Horum enim Florum fragantia ita quidam Itali affecti fuere, ut crediderint, hortum hosce flores ferentem, non fuisse Germanum, sed omni naturalium florum genere prae aliis eminentem Italicum & quidem agrum Ligurinum. Dum enim illustrissima Respublica *Genuensis*, seu, uti Latio stylo dicitur, *Januensis*, eruditorum suorum Virorum numero adscripsit etiam aliquem *Hermannum*, qui se ab hac sua patria *Januensem* vocavit, quique etiam suo tempore quoddam Historicum opusculum consignavit, quidam eruditi Viri inde conclusere, *Hermanni nostri Temporum Flores*, seu universale Chronicon, esse eundem partum illius *Hermanni Januensis*. Ductus fuit hac opinione quoque, praevia tamen Rev. *P. P. Henschenii* & *Papebrochii* manuductione, pereruditus vir *Augustinus Oldoinus*, S. J. in *Athenaeo Ligustico*, seu Syllabo Scriptorum Ligurum, edito Perusiae 1680. 4. ubi *pag.* 236. 237. scribit; *Hermannus AEdituus, alias a patria Genuensis* (seu Januensis,) *cognominatus, floruit seculo XI* à *Christo Nato*, & *scripsit Chronicon sub titulo Flores Temporum, usque ad Leonem IX Pontificem, quem Decimum nominat. Meminere hujus Godefridus Henschenius*, & *Daniel Papebrochius* e *Soc. Jesu Tom. II. Act. SS. Aprilis in vita S. Zenonis, Episcopi Veronensis.* Sed quam injuste hoc nostrum *Hermanni Gygantis* Chronicon, Flores Temporum appellatum, illi *Hermanno Januensi* adscribatur, docent solum utrorumque per tria fere secula inter se longissime distantes vitae periodi. *Hermannus Januensis* floruit nempe in medio seculi XI.; noster autem *Hermannus* Minorita seu *Gygas* in medio Seculi XIV. Sed haec de *Hermanno Gygante*, Minorum ordinis viro, ejusque Continuatore candido *Michaele Eysenharto* sufficiant.

§. IX.

Jam *TIBI Benevole Lector!* porro ratio reddenda erit de subjuncto inculto Hermanno cultissimo ac politissimo *Morhoffio*, Viro ex eruditissimis variis suis scriptis, & praecipue ex *Polyhistore* suo undiquaque celeberrimo, ejusque addita *Dissertatione* de *Historia ejusque Scriptoribus.* Debeo hujus communicationem venerando & pererudito Theol. Doctori *Gerdesio*, in priori anno Londini cum sui officii pastoralis Ecclesiae Lutherano-Germanicae dignitate simul beata placidaque morte exuvias corporis sui deponenti. Obtulit

lit B. Vir mihi hoc *MSS.* jam à multis quoque annis Darmſtadii, cum ibi adhuc fungebatur munere Bibliothecarii ac Hiſtoriographi Heſſo-Darmſtatini, & ſimul certiſſimam mihi fecit fidem, ſe hoc accepiſſe ex manibus eruditi Holſati, qui quondam clar. *Morhoffii* anno 1690., & ſic uno ante hujus B. ἀνάλυσιν anno, fuerit Domeſticus & ſimul Amanuenſis, quique hoc ex ipſo Morhoffiano autographo deſcripſerit. Ego opuſculum hoc volvens revolvenſque agnovi hoc ſtatim ut Morhoffianum genuinum & non ſuppoſititium ſcriptum; idque (1.) ex ſtylo ex aſſe Morhoffiano reſpondente. (2.) Ex ipſa B. Morhoffii allegatione & remiſſione ad hanc ſuam operam, facta *Tom. III. Polyhiſtoris Lib. IV. pag.* 28. (edit. Lubecae. 1708. 4.) his verbis; *Habuimus olim Lectiones Publicas de Hiſtoriae Scriptoribus, ejuſque Varietate, quas hic reconcoquere animus non eſt.* Et hae Praelectiones Publicae conficiunt hanc ipſam *de Hiſtoria ejuſque Scriptoribus* Diſſertationem. Et hunc verum & genuinum partum Morhoffii eſſe demonſtrant tandem & (3.) multa ex hac ſuo laudato Polyhiſtorico operi, breviora tamen illata dicta; uti exempli gratia in jam citato *Libro IV.*, & iis quae de *Romanenſium Fabularum Scriptoribus Polyhiſtoris Tom. I. Lib. VII. Cap. III.* §. 20. *pag.* 384. *ſeqq.* breviter ſolum tangit, in hac vero Diſſertatione prolixius ſolideque deducit. An vero B. Vir Πολυμαθέστατος ultimam huic labori addiderit manum haereo, credoque, quod ſi illud factum fuiſſet, in multis auctior, & forſan etiam ſub nomine *Polyhiſtoris Hiſtorici* lucem aſpexiſſet. Interim tamen has eruditiſſimas majoris operis forſan primas lineas tanti Viri Literato orbi, ut confido, aeque, ut alia ejus ſunt opera, fore acceptas, nolui plane ſupprimere, blattiſque ac tineis corrodendas ſubſternere, ſed potius cum *Hermanno* etiam longe ſatis ab his vexato, tradere quoque publicae luci & poſteritati.

§. X.

Tandem appoſui etiam *Hermanno* breve à me confectum *Gloſſarium Latinitatis Ferreae*, ad majorem elucidationem multarum in illo ut barbariſſimi Sec. XIV. Scriptore, occurrentium vocum ac phraſium inſolitarum, minus Latinarum, imò & Longobardicarum; ſecutus exempla illuſtrium eruditorumque Virorum *Hannibalis Fabrotti, Du Cangii, Chiffletii, Lindenbrogii, Urſtiſii, Freheri,*

heri, *Goldasti*, *Aventini*, *Jac. Godofredi*, *Joh. Lydii*, aliorumque, qui quoque Medii Ævi Scriptoribus a se editis, ad horum illustrationem similia brevia Glossaria vel praetexerunt vel subjunxerunt. Animus equidem mihi initio non fuit hoc opusculum scribendi, & notaveram solum inter legendum in proprium meum usum insueta barbaraque haec nomina: Sed cum me in revisione *MSti Hermanni* occupatum eo ipso tempore conveniebat praecellentissimus, literatissimus, amicissimusque mihi Vir *Johannes Wilhelmus Fabarius*, qui Serenissimo ac Clementissimo, imo Optimo nostro Saxoniae Coburgensium Saalf. Duci FRANCISCO JOSIAE a Consiliis & Archivis est, & intuebatur forte in mensa jacentem dictorum horridorum verborum catalogum, me excitavit, ut eum cum meis Scholiis illustratum Hermanno adderem; unde ejus desiderio annuens, me huic labori accinxi, & quantum graves athritici dolores, paulo post me corripientes, interdum permisere, hisque demum Divina gratia, ac cura illustris venerandique mei Fautoris D. *Johan. Sebastiani Büchelmanni*, itidem laudatissimi jam *Ducis* Consiliarii ac Archiatri promeriti ac longe celeberrimi, discussis, tandem cum Divina suffultus ope, nudius tertius perfeci, & Hermanno jungi jussi. *Tu* interim *Maxime Colende Benevole Lector*, vale, & si quid humani vel ex mea vel Typographi parte commissi, in hoc labore forsan deprehendes; hoc aequitate, lenitate imo benevolentia *Tui* animi Christiani benigne excusatum habe, memor *Terentiani*; Homo sum, & humani nihil esse à me alienum puto. Scribebam Coburgi d. XXVI. Aprilis Anno Salutis MDCCXLIII.

* * *

CLA-

CLARISSIMO HUMANISSIMOQUE

VIRO

DOMINO

JOHANNI PRENNER,

MATICENSI PRAEPOSITO SANCTUM APUD EGIDIUM, PLEBANO PATAVIENSI, DENIQUE ET CANONICO ET CANCELLARIO DIGNISSIMO.

MICHAEL EYSENHART,

ERYTHROPOLITANUS SACERDOS, FELICITATEM DICIT AC SESE COMMENDAT.



Ultum diuque mecum deliberanti, cui ex omnibus qui mihi noti sunt, Viris Chronica haec, quae istac hiemis tempestate per otium transscripsi, emendavi & integravi, offerrem, nominatimque, ut scribentium mos est, dedicarem; Tu unus PRENNERE, *Patrone observande mihi obversabaris: qui us dignissimus aptissimusque esse censebare, qui me Ingolstadii, Fratremque meum Marcum Melchiorem Viennae ad studium promovisti, sumtusque ad hoc numerasti, eundemque mox Veltkirchen & Traumkirchen providere fecisti, ac demum ut in Caesarea capella Capellanus, Juvenumque Praeceptor fieret, adjuvisti ac impetrasti, me quoque, licet minus dignum, Ecclesia Parochiali in Abistetten providisti. Ob ea in nos collata beneficia & mul-*

ta

ta alia bene merita, ne ingratus videar, statui te his Floribus Temporum *honorare, quamvis enim ab initio, quum me ad hanc scribendi provinciam accinxeram, omnino mecum constitueram, opus utcunque absolutum Reverendissimo in Christo Patri & Domino, Domino Wigelio Pataviensi Episcopo adscribere, a quo ego tandem navati studii fructum percipere, & libro splendorem atque majestatem adaugere potuissem. Tu vero, cum apud ejus gratiam Consiliarius prudentissimus assides, Responsiones Cancellarius ingeniosissimus conscribis, & saepenumero Orator in arduis negotiis ad Principes, & Communitates disertissimus transmitteris, utroque me etiam rectius facere arbitror, si tibi dedicem, qui per egregia illa Romanorum Pontificum Decreta, splendida Imperatorum Regum & Principum facinora, incitantissima exempla, quibus (ut vernans & herbosum pratum aliquod diversicoloribus amoenissimis floribus) hic liber undique sub gratissima brevitate refertus est, lectione jugi percepta & imbibita ad multorum commodum, & utilitatem convertere possis. Placido itaque ac grato ea a me animo accipere velis, & neutiquam spernere profanorum more, qui quicquid veterum gestorum literis unquam commissum est, quicquid refertur, pro anilibus illud fabulis, pro re, tantummodo ad incitationem aut delectationem efficta, fastidiunt; nescientes, historiam à fabula non minus differre, quam a nigro album, a falso verum; quia illa, ut* MARCUS ANTONIUS SABELLIUS *scribit, sive vetus sit sive recens, fidem sibi constare velit, hoc est pro re gesta haberi, haec vero pro mendaciis effictis repudiari. Siquidem ego, quaecunque hic scribuntur, quibus ab ullo mortalium fides abrogari possit, aut saltem suspecta haberi, diligentissima perscrutatione adhibita, non inveni. Reperi profecto omnia à tantae auctoritatis fideique Viris tractari, quibus non credere, non manibus & pedibus eorum sententiis adstipulari, piaculum fore atque indignum valde existimavi. Quare pro veris verioribus, ipsa haec accipere debes ac velis, nactoque otio quam diligentissime perlegere. Non dubito quin brevi utilitatem ex eis consecuturus sis eam, qua tum dives facundia tua, tum prudentia admiranda, adeo locupletabitur, adeo quidem crescet, ut qui Caesareis manibus Doctor creatus, ac armis insignitus, Doctori jam nullo etiam disertissimo inferior existas, nullique cedas, paremque vix sis habiturus, ubi causas, quas postmodo unquam peroraveris aut defendes, horum Chronicorum dulcissimis flosculis adornabis. Pulchrum enim atque honestum est, semper aliquo pul-*

cherrimo ante-actae rei exemplo, aliquo sapienti facetoque auctoris cujusdam dicto, veluti molli atque jucundo succo sermones & scripta nostra inspergere, veluti fimo pinguissimo impinguare. Pulchrum ex aliorum erratis vitam nostram in melius instituere, & quid expetendum, quid fugiendum, ex aliorum exemplis cognoscere. Operae praetium, inquit LIVIUS, *est, in historiis omnis exempli documenta veluti in illustri monumento posita intueri: quod ipsa (scil. Historia)* MARCO TULLIO *definiente, omnis vitae nostrae Magistra, temporum testis, vetustatis nuncia, lux veritatis, quae homines ad virtutem mirandum in modum inflammat, deterret a vitiis, & cultorem suum admirabilem, atque prudentem facit, cuique hominum aetati, cuique conditioni sexuique apprime non solum conveniens, sed per necessaria, iis imprimis, qui aliis aut potestate praesunt, aut consiliis adsunt; quia utrique absque exemplis & multijugarum rerum cognitione vix bene illi praeesse, hi persuadere, vel dissuadere possunt. Quare hoc anno mihi Heremanus de S. famosissimus ille forensis rabula, (utpote qui, patrocinio suo Principi aut praeclaro alicui vendito, horis septem aut die, si opus sit, integro, oratione perpetua perorare potest, melleaque facundia aureos nummos centum tantillo tempore promereri;) non immerito ridendus videbatur, quod palam oggannirct, suae professionis non esse historiam; Nihil ad se atque alios forenses ejus cognitionem pertinere. Verum enim vero locutus eruditionem & eloquentiam; quae duo ita illud hominum genus curat & observat, uti in grassando lupus ordinem atque temperantiam. Nam si ad ipsos non pertinet historia, non video certe, quamobrem frequenter adeo omnes, qui unquam concionati sunt, qui causas peroraverunt, aut defensarunt, ea usi sint, & adhuc utantur. Ad quod dicatur tamen: Hanc concionem laudandam vix esse, in qua alicujus gestae rei non citetur exemplum. Illustravit Christus Aeterna Patris Sapientia (ut de oratoribus cunctis taceam,) coeleste suum eloquium historiis: Illustraverunt Apostoli, eorundemque discipuli: Et hodie insigniores Ecclesiae concionatores, quos* Praedicatores *dicimus, jam ex Bibliis, ex Vitis Patrum, ex Legendis Sanctorum, ac talibus multis Chronicis quaeque optima selegentes, declamationes suas & corroborant & illustrant. Tu vero* PRENNERE *facundissime, hos Temporum oblatos Flores conspice, amplectere, fove; & si quam ex illorum fragantia dulcedinem, si quam utilitatem utendo unquam perceperis, me velis & operam meam Reverendissimo Praesuli ac caeteris Dominis commendare. Vale quam felicissime perpetuo. Ex*

Ro-

DEDICATIO M. EYSENHART.

Rotenburga cis Tuberam; ſalutis noſtrae anno milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo, die Septembris ſexta.

Fronte hilari accipito noſtrum Prennere libellum,
Quem ſpacio ſcripſi temporis exigui:
In ſe ſi quid habet laudis, tibi cedat honori;
Pro multis meritis, hunc tibi dono dico.

MICHAEL EYSENHART

DOMINO MAGISTRO

MELCHIORI EYSENHART,

SACRAE CAESAREAE MAJESTATIS CAPELLAE JUVENUM PRAECEPTORI,

AC ETIAM SANCTUM APUD

JACOBUM BAMBERGAE CANONICO, NEC NON IN VELTKIRCHEN PATAVIENSI DIOECESIOS PLEBANO,

GERMANO FRATRI LEGITIMO,

Salutem & Felicitatem optat & precatur.



Um nuperis diebus, mi frater Melchior, Bambergae apud Dominum Stephanum Schneydenwint, Divum jam apud Stephanum Decanum, affinem & amicum nostrum singularem degerem, Chronicon istud inter chartarum poedorem nuper repertum mihi ab eodem visendum datum ac donatum, atque demandatum fuit, ea quidem intentione, ut si Ecclesiae, si seculi Viris utilitatem aliquam allaturum censerem, quoniam impressum à nemine putavit, praemissa commendatione calcographis imprimendum destinarem. Hoc itaque me perlegente, incredibile dictu est, quantum mihi tum ab brevitatem tum rerum & copiam & varietatem placuerit. Annuissem profecto boni amici votis ilico; quia vero fine carebat, & scriptura obliteratum illegibili mendosa, utpote in papyro

papyro bibula, ac pene lacerata, & ante annos centum quadraginta ab indocto scriptore scriptum, indignum judicavi ita emittere. Manum adjeci operosam; & primum mundius parum correctiusque transscripsi. Deinde ab anno Domini 1348. *ubi ab Authore relictum fuit, incipiens, ad annum Domini* 1517. *perduxi: indicem apposui, & in marginibus additiones & numeros omnes. Postremum ab initio rursus inchoans, ad Chronica aliquot probatissima contuli, examinavi, correxi, qua diligentia quibusve laboribus hoc fecerim & facere necesse fuerit, testis ipse Decanus mihi cum ceteris doctis & eruditis Viris sit, qui hoc viderunt. Quamobrem tum te mi frater, tum studiosos omnes oratos volo quam maxime, ut, hoccine aequa animi trutina perpenso, haec literarum monumenta à me grate benigneque assumentes, ad vestram simul ac communem utilitatem convertere velitis; non probris, non sannis ullis notare, quod humili stylo forsan constet, quod a vitiis non ubique emunctum sit, & aliter quaedam contineat, quam apud alios legistis. Cogitetis pro primo, non vobis solum, qui docti estis, haec & similia scribi; verum etiam & mediocriter eruditis. Pro secundo, omnes non omnia posse; saepius multa oculatissimo intercidere. Et tantam esse, (ut ad tertium etiam respondeam,) in traditione rerum diversitatem, ut facilius pene sit viam navigii in alto metiri, & avis in aëre, quam Chronographorum aequalitatem atque convenientiam observare. Tu mi frater* MELCHIOR! *hoc Chronicon lege, & bene perpetuo vale. Rotenburgae datum ex aedibus nostris, anno Domini millesimo quingentesimo decimo septimo, octavo Idus Septembris.*

JO-

JOANNES BOEMUS AUBANUS,

TEUTONICUS,

MICHAELI EISENHARDO,

ERYTHROPOLITANO,

DOMINO ET AMICO SUO OMNIUM LONGE CHARISSIMO, ETC. SALUTEM DICIT, AC SE EI COMMENDAT.



Iterae, quas ad me dulcissime Eysenharde dedisti, mihi redditae sunt, & profecto eas cum maximo cordis mei tripudio perlegi, ob tam bonorum & veterum & novorum amicorum gratiam & salutationem. Saepius jam enimvero tibi dudum scribere penes me constitui, semper aliquid intercessit (nescio quo daemone interpolante,) quod aliorsum me vocavit. Et ut verum fatear, ad scribendum tam deses & stupidus factus sum, ut aliquot etiam annis veterum amicorum nulli jotam non scripserim: fecit hoc tabellariorum defectus, loci ejus ubi jam undecim annis non sine maximo nominis & ingenii mei dispendio egi; ad secundum lapidem vix ullas literas destinare potui. Inter rudes Castellanos homines, inter Canum latratus disperii. Venator cum feris luctatus, fermos ferme mores indui; ad initium veris Margethim veni, Conventualemque, ut dicimus, hic fratrem ago, & sacrae aedis adhuc custodem. Rursum dedisco ignaviam & ruditatem Capffenburgae inter Raeticos Suevos contractas: viginti annis in Suevia exulavi; jam patriae jure postliminio restitutus ad officium me revocabo, faciamque (si Deus propitius mihi vitam prorogaverit,) ut patriam mei nequaquam pudebit. Sed, ut scias quid agam, quid prae manibus habeam, quomodo tempus traducam meum, mitto hic tibi laboris

boris mei fragmentum Psalmum adhuc rudem, & quem vix his diebus absolvi. Psalterium enim hoc, carminis genere (ut scis) in metra redigere constitui, & annis singulis singulum nocturnum decantare: Jam quintum nocturnum exegi. Ostendere potes communibus nostris charissimis amicis, HORNBERGERO *&* ANDREAE SERICAUDO, *eosque meo nomine rogare, (si Musa mea eis placeret & publica luce digna videbitur,) emittere. Etenim constitui, ut hoc opus meum, trium millium jam versuum magnum, suis etiam Camoenis venustent, mecum per ora Virum per inane coelorum volitent, ventum mecum popularem patiantur & imbrem. Tu quid agas mihi scribe, an Chronicon opus tuum emiseris, nec ne. Scio te nequaquam otiari, semper te aliquid agere, semper aliquid meditari. Ad manum habes* JOHANNEM HORNBERGERUM *doctum & elegantem hominem. Est & habetur Magister* ANDREAS SERICAUDUS *haud illo inferior, non abs te procul, quocum studium hoc tuum levare potes. Ego hic inter Amusoteros, inter (ferme dixerim,) Idiotas ago: Memet (si opus) solari debeo, & Musis mortuorum Poetarum me exhilarare. Delitiae aliae mihi in re Literaria nullae sunt, quam quas ego mihi paro: da amice! nostris cuique literas suas, ad rescribendum instiga, mone, hortare. Alios, qui me tuis literis salutaverunt, utpote Magistrum* JOANNEM SCHENCKIUM, CONRADUM, *ludi Literarii magistrum, quisquis is est, ac etiam confratres ordinis mei dilectissimos*, PHILIPPUM LEUTIUM, *&* JOANNEM MURSTATENSEM, *atque alios omnes, qui bene de me sentiunt, & me valere cupiunt, vicissim meo nomine perquam optime valere & Mathusale ipso vivaciores esse precare. Scripsissem singulis, si non aliis jam negotiis distentus essem; scribam tamen: postea autem in sinum me eorum totum effundam. His vale, decus meum, & amice exoptatissime, ac iterum vale. Datum Mergetheim die Vito martyri sacro, anno* 1532.

MICHAELIS EYSENHART
SAPHICON AD PIUM LECTOREM.



Emporum Flores nitidos rubentes,
Balsamum plusquam Syrium fragrantes,
Conditos quisquis calatho videre
Concupit uno;
Adsit accitus pede non remisso,
Hunc brevem pandat manibus libellum;
Et quid inclusum teneat, fideli
Lustret ocello.
Chordiger quondam Monachus peritus
Hos sibi legit variis in arvis
Eruditorum, monitrice pulchra
Virgine Clio.
Plurimis certe gravibus mederi
Corporis possunt animaeque curis,
Indigens tantum modo vertat ipsos
Aeger ad usum.

IDEM AD LECTOREM.

Noscere quisquis amat, quicquid sit tempore gestum
Perpetuo rerum quam memorabilium;
Hunc emat atque legat librum, clamabit; amoenis
Quam variis ager hic floribus ohe! nitet.

EJUSDEM
AD LIBRI AUTHOREM HEXASTICHON.

O Hermanne tibi multum gaudere paratum,
Quandoquidem lucem nunc tua scripta petant.
Omnia pulcheriora situ emundata maligno,
Quem peperere anni, vincula, carcer ater.
Si grates meruit, qui diluit illa Ysnartus,
Obsecrat, ipsius sis memor ante Deum.

EJUS.

E J U S D E M

IN LIBRI HUJUS CRITICUM CENSOREM HENDECASYLLABON.


Oc quisquis Chronicon videt legitque
Lector, qui valet eruditione,
Nequaquam ſuperetur a nefando
Livoris rabidi malo, monemus,
Quo liventibus id notis inurat.
Quîs poſſit mediocriter peritus
Lector ſumere nauſeam legendi.
Longe retro abeas maligne cenſor,
Sus profcoene, unis proterve nobis.
Non puram taminato Lectionem;
Non ſunt dente tuo ſacrata ſcripta
Huic noſtrae fidei truci petenda:
Sed quae de Stigiis Diis loquuntur,
Aut tractant veterum leves fabellas,
Vel quae vile diu ſophiſma jactant,
Quo Tu non melior puteris eſſe,
Huc omnes animi locato vires,
Et ſamam facies Tibi perennem.

M. EYSENHARD

AD LIBRUM.

I nunc Calcographum Tibi libelle
Dilectissime compara benignum,
Et tersum sapientem & eruditum,
Qui transscribere te velit polite,
Ut cum laude queas inire lucem, &
Multis conspicuis viris placere.
I nunc culte liber : Deus secundam
Et faustam tribuat viam supernus.

AD EUNDEM.

Pontificum, Regum atque Ducum si plurima gesta
Lector scire petas, haec Monumenta lege.

SERIES
RERUM ET SCRIPTORUM
MEMORABILIUM,
IN
D. G. MORHOFFII
DISSERTATIONE
DE
HISTORIA EJUSQUE SCRIPTORIBUS.

A.

Fa-

M.

N.

O.

P.

F I N I S.

VITIA TYPOGRAPHICA, hoc modo corrigenda.

Pag.	inpreſſum eſt		Legendum vero	
1.		MCCCXLX.		MCCCXLIX.
—	—	En · nixe.	—	e-nixe.
—	—	Paenitentiarium.	—	Poenitentiarium.
— 5.	—	Eoch.	—	Enoch.
— 6.	—	Viri.	—	Vini.
— 8.	—	Omia.	—	Omnia.
—	—	Agrae.	—	Nigrae.
—	—	Pertuſa.	—	Perfuſa.
—	—	Bocatia.	—	Boëtiae.
—	—	Argigentinum.	—	Agrigentinum.

Caetera Benevolus Lector per ſe ipſe facile corriget.

JOHANNIS GERHARDI MEUSCHENII

GLOSSARIUM BARBARAE LATINITATIS

Siſtens obſcura barbaraque & minus Latina vocabula, in hoc noſtro *Hermanni Chronico*, aliisque ſibi coaevis Ferreae Latinitatis Hiſtoricis occurrentia.

(A.)

A*bacus*, derivatur ab Abax, Decem, notatque Decuplationem, quia in abaco ſunt decem arcus ſe decuplantes, ubi in primo eſt unitas, in ſecundo denarius, in tertio centenarius &c. Dicitur ita quoque Tabula Geometrica, item Virgula Geometrica, qua Geometriae figuras in arena vel pulvere ſuppoſito fingunt. *Job. Januenſis* Catholicon.

Abbreviator, ab *abbreviare*, ſcripturam in compendium redigere, notat ſcribam opus aliquod, praecipue acta publica in brevem ſummam contrahentem. Tales Abbreviatores multi dantur in curia Romana, & dividuntur in Abbreviatores *de parco*, *majori* & *de parte minori*, de quibus anno 1691. Romae eruditum opus in 8°. edidit *Johannes Ciampinus*, ipſe *Abbreviator de Curia*, dignitate adhuc illos vincens, quamque Dignitatem Abbreviatoris de Curia idem etiam deſcripſit in peculiari libro, Romae 1696. edito.

Acolythus, perſona eccleſiaſtica ex 4. ordinibus minoribus, cujus officium accendere in templo luminaria, faceque accenſa cerea ſequi Diaconum, officio ſuo ſacro fungentem.

Adviſare, in conſultatione ſive Eccleſiaſtica ſive Politica ſuam dicere & exponere ſententiam: interdum uſurpatur quoque pro, dare alicui de re aliqua notitiam.

Affidatus, ab affidare, i. e. fide vel juramento ſibi aliquem obſtringere.

Altaragium, emolumentum, quod Sacerdoti ex officiis ſuis ſacris in altari praeſtandis datur & competit.

Ambaſſiator, Legatus Principis primi ordinis, nomen ducens ex Longobardica voce ambaſſia, vel ambaſcia, notans iter inſtitutum ad negotiandum vel operandum. *Fr. Macri* Hierolexicon. Inde hodiernum nomen, *Ambaſſadeur.*

Angariare, verbum Graeco-Barbarum ex ἀγγαρεύειν, compellere, cogere, premere.

Annatae, Reditus Eccleſiaſtici primi vel integri vel dimidii annui officii, quos nuper creatus Epiſcopus, Abbas aut alius Praeſul ſummo Pontifici ſolvere tenebatur, & ex quorum ſolutione maximi ſunt exorti motus, uti in Germania, ſic praecipue in Gallia, recenſiti à *Renato Choppino* de ſacra Politia Forenſi *pag.* 616. ſeqq

 Anti-

Antiphonarium, Liber omnes antiphonas, i. e. in Duobus Choris alternatim recitatos cantus ecclesiasticos, continens, & primum compositus à *Gregorio M. Rupertus* de Divin. Offic. II. 2.

Antistita, prima coeterisque Monialibus praefecta Monialis Virgo, hodie Abbatissa dicta.

Apocrisarius, Graeco-Barbara vox ex ἀπόκρυψις, occultatio, composita, notatque Scribam secretum, Secretarium & Consiliarium, imo interdum Consiliarium, quia ipse est Secretarius Regis vel Imperatoris, & ejus secreta scit. *Joh. Januensis* Catholicon.

Apostoli & Apostilli sunt literae ἀπὸ τοῦ ἀποστέλλειν dictae, datae à judicio Ecclesiastico, sive Episcopali, sive alio, ei qui in causa sua appellaverat ad superius curiae Romanae. *Brissonii* Lexicon.

Armilausa, vestis ex utroque latere aperta, solum armis seu scapulis clericorum inhaerens & infixa, & ex his dependens; unde Armilausa quasi armiclausa vocata, hodieque dicta *Scapulaza*, *Scapulier*. *Isidori* Etymol.

Assectio Studium, cultura.

Assumata pecunia, i. e. in certam summam numerando contracta.

Autocabdalon, opus tumultuarium, extemporaneum, ac absque ullo studio perfectum: *Johannis Lydii* Glossae Latino-Barbarae.

(B.)

B*ajulus*, puer vel juvenis Nobilis, bajulans seu portans Regis vel Principis umbraculum seu baldachinum super ejus caput.

Baldachinum Umbraculum majus, tegens capita magnorum Principum, contextum vel ex panno, vel ex serico, holoserico, aut alia pretiosiore auro, argentoque variegata materia. Est Duplex, vel *Portatile*, quae Imperatoris, Pontificis aliorumque magnorum Principum capitibus imminet, in publicis processionibus, sub quo progrediuntur, quodque portatur & sustinetur à Nobilioribus Viris. Vel *Fixum*, quod tegit illorum eminentiores sedes, vel thronos sive in templo, sive in illorum palatiis locatos.

Bannire, anathematizare, excommunicare, igne & aqua interdicere, proscribere, in exilium agere, de quo plura dabit *du Fresne* in glossario Med. Latin.

Bargas, *Bargina*, homo extorris & latrocinio vivens, quasi ex Barbaris genitus; *Vossii* Etymologicum.

Barigildi, Causidici, causarum Patroni, Advocati, ita dicti, quia coram Barria vel Barra, i. e. judicio, sic vocato, publico, hujusque Barris, seu cancellis locum judicii intercludentibus à spectatoribus, causas publice agebant. An ab his Barris, seu sepimento loci vel Curiae judicialis, originem ducat vox *Barriere*, aliis investigandum relinquo.

Begina, *Beguina*, vox quae sumitur in malum & bonum sensum: in malum, quando notat mulierem haereticam, damnatae antiquae Beguardorum sectae addictam; in bonum, si sumitur pro foemina Dei servitio se devovente, ducente coelibatum, & medium vitae genus inter monasticum & seculare agente, *Fr. Macri* in Hierolex:

Dantur

Dantur multae posterioris melioris classis foeminae hodie in Belgio tam Austriaco quam Foederato. In illo dicuntur *Beguynen*, *Beguyntjes*, quarum maxima combinata societas conspicitur adhuc hodie *Mechlini* in aula magna separata, quae appellatur *de Beghynen Hoff*. In Belgio Confoederato separatim à se invicem & externe satis modeste vivunt, & dicuntur *Cloppae*, *Klopjes*.

Boja, vinculum, catena, laqueus, carcer, quod hoc nomine ita adhuc apud Batavos venit, diciturque de *Boëyen*, & captivum ducere exprimitur per : *in de Boeyen slaen*.

Breve, Index Libri vel Actorum publicorum primo intuitu omnia cantanta pandens: Unde *Abbreviator*. Vid. supra; & *Breviarium Romanum*, omnium Sanctorum, quorum per universum annum singulis in Calendario notatis diebus fit mentio, memoriam brevissime recolens. Κατ' ἐξοχὴν Summi Pontificis Epistola inde hodie dicitur etiam *Breve*, & apud *Batavos & Germanos*, eadem licet etiam abjectissimorum hominum, vocatur *een Briev*, ein Brief: apud Westphalos *een Breef*.

Baleutherium Locus Consilii aut Judicii Publicus, nomen sortitus ex Graeco : Βουλὴ Consilium, Consultatio, Curia.

Bulla, vox significans Sigillum, originem trahens a Bullae aquae forma, nempe ab illa protuberantia Sphaerica, & Sphaericam elatamque hanc impressa effigie formam retinens. Sigillum Pontificis M. hoc nomine prae aliis Imperatorum, Regum ac Principum, aureis argenteisque fuit ornatum, licet modo plumbeum, appensum Chartis & Diplomatibus Pontificalibus funiculo, & repraesentans in uno latere effigies S. S Apostolorum Petri & Pauli, in altero Pontificis Nomen & Insignia. Ab ipso hoc Sigillo ipsa hoc munita Pontificis Decreta, Diplomata, & Reliqua, *Bullae* vocantur, & illarum collectio dicitur *Bullarium*, imo & Ministri seu Officiales plumbeum haec imprimentes Sigillum salutantur *Plumbatorii*; *Joh. Ciampinus* de Vice-Cancellario Ecclesiae Rom. *sect. XXII.* Quia Edicta, Diplomata & Brevia Pontificia plumbeo hoc sigillo gravata, in mediis Barbaris Sacculis Germaniae Principibus ac Civitatibus, harum Auctoritatem & Jura laedentia, erant nimis gravia, ideo videntur originem ducere hodie adhuc in inferiore Germania usitatae expressiones *de Epistolis*, & etiam *Viris*, minus *Civilibus* : *Een plumb Breef*, *een plumb Keerel* : *een Plumbert*.

Burgus, *Burg*, *Burgum*, notat Arcem, Castrum, Castellum, imo & oppidum muris cinctum, sicque satis medio aevo, ut credebatur, munitum, a quo nomine incolae seu Cives accepere nomen der Bürger. Inhaeret hoc nomen etiam hodie variis in Belgio & Germania Castellis, Arcibus & Urbibus Quod *Belgium* attinet, in hoc eminet in ipsa florentissima Civitate Lugdunensi Batava antiquum Illustris Wassenariae Familiae Castellum, eleganti ligata inaurataque Inscriptione in Introitu, & in Medio *Daedaleo*, Musis inserviente horto exornatum. In Germania inferiore, *Burgi* nomine, se quoque, licet maxime in ruderibus, curiosorum conspectui in hunc usque diem exhibet, antiqua *Wedekindi M.* Saxonum, sive Ducis sive Regis, ab eo inhabitata & munita Arx, mille & quingentis circiter passibus ab urbe Osnabrugensi sita, dictaque *Weekens-Weedekens-Burg*, i e, Wedekindi Castrum, qualia Castra *Widekindus* suo tempore plura habuit, ita appellata, uti *Teutoburgum*, *Ebreburgum*, *Iburgum* &c. Conf. *Vossius* de Vitiis Lat. Serm. qui

Burgi vocem a Graeca πύργος, circumvallationem significante, derivare nititur. Plura de hoc *Burgo*, & larga ex hoc nomine descendente etymologica prole dabit *Caspar Sagittarius*, de urbis Luneburgensis Originibus, *Cap. II. seqq.*

(C.)

Caetero (*de*) pro imposterum, dein, futuro tempore.

Catalogus, index brevis, multa complectens: nomen absolute positum notat Indiceta Sanctorum, & compendium precum ad illos directarum, uti: E. gr. *Omnes Sancti Orate pro nobis. Joh. Januensis* Catholicon.

Canon Missae, seu secreta Oratio, quae in Missa, seu Administratione, S. Eucharistiae, sive ante Consecrationem S. Symbolorum, sive in ipsa Consecratione a Sacerdote secrete recitatur, quaeque Canon dicitur, quae in Romana Ecclesia est totius Consecrationis exacta Regula, qua in minimo etiam transgressa, inefficax creditur Sacramentum. Varia Canon hic expertus fuit fata, toties quoties tam Accessionibus, quam Diminutionibus, seu Correctionibus a Pontificibus Romanis immutatus; *J. A. Schmidii* Lexicon Antiq. Ecclesiast.

Canopo, *Canobo* (ex) *Vestis*, i. e. luxurians, superbiens, mollis, serica, ex subtilissimis filis, retis instar, leviter solum contexta, ideoque pellucida, & sic membra corporis tegenda non satis obtegens. Germanice: Ein leicht und weitgewebter zarter Flohr. Origo nominis est *AEgyptiaca*, descenditque nomen hoc vel a subtilissima, quae in AEgypto crescit cannabi, vel a subtilissimo undique transllucido velo, quo lascivum antiquorum AEgyptiorum caninum idolum, nomine Canopus, tegebatur & quasi aspectui subtrahebatur. *J. Januensis Catholicon.*

Capitulare, (Verbum) i e cum aliquo de certis capitibus arduae rei transigere; unde Conventus Ecclesiastici cum suis Neo-electis Episcopis, vel aliis Praesulibus transactiones novas facientes dicti sunt *Capitula*, ipsae autem transactiones, inter tractantes partes tandem ex utriusque consensu & beneplacito feliciter finitae, *Capitulationes*: plura dabit *Christ. Grubelius* de perpetua Capitulatione Osnabrugensi *Cap. I.* & *du Fresne.* in Glossario M. L.

Capitulare (Nomen) notat *primum Capitula ipsa*, de quibus inter transigentes convenit. *Secundo* Libri vel codices in quibus pacta haec sunt consignata: & *Tertio Librum Ecclesiasticum Evangeliorum*, per totum anni circulum singulis diebus in Missa a Sacerdotibus Legendorum. *Baluzius* in Not. ad Capitul. p. 1176.

Caragus: Sortilegius, praestigiator, qui Characteribus magicis in incantationibus suis utitur.

Caragma, impressio, imago, effigies, figura, notatque idem quod Character.

Carena, a carere, notat *primo* annuum quadragesimale Jejunium, *Secundo* Poenitentiam Ecclesiasticam, vi cujus poenitens quadraginta diebus non intrat Ecclesiam, & lanea veste indutus ab interdictis sibi cibis ac potu, nec non choro, gladio ac equitatu abstinere debet. In tertia autem & quinta feria nec non in Sabbatho, aliquo genere leguminum & oleribus, pomis, vel piris, vel pisculis cum modica cerevisia uti potest. *Joh. Januensis* Catholicon.

Carectarii sculptores literarum, effigierum, formarum & characterum in lapidibus, praecipue sepulchralibus.

Chri-

Christianitas (tota) i. e. universus Orbis Christianus. Interdum notat haec vox etiam ipsam Religionem Christianam.

Circada; Census qui debetur & solvitur Episcopo, vel ejus Vicario ab Ecclesiis & ex illarum reditibus, pro visitatione. Honorarium hoc *Circada* dictum videtur a *circumeundo*, quod Episcopi suas Ecclesias circumeundo visitent: unde etiam ipsa haec *Visitatio* vocatur *circumitio*.

Commiscere terram vel regionem, idem est ac vastare & funditus delere eandem.

Compilare, pro colligere, conficere & scribere libros, juxta versum:

Compilo tollo pilos, compilo scripta librorum.

Januens. Cathol.

Corporale palla vel velum, vel linteum, quo in Ecclesia Romana corpus Christi, seu potius consecrata Hostia tegitur, quod textum esse debet ex simplici quidem, tamen purissimo ac subtilissimo lino, in memoriam, quia Josephus ab Arimathia linteum mundum emit, cui Christi Corpus involvit. *Du Fresne* Gloss. M. L. *Hugo Menardus* in Notis in Librum Sacramentorum Gregorii M. *p.* 148. edit. Paris. 4. scribit; *Corporalia olim fuisse tam ampla, ut involverent ipsum Christi Corpus* & *Calicem.*

Cubiculum est quoddam Secretarium, Domus seu Cella juxta Ecclesiam S Petri Romae, in qua excubabant ii, qui ad custodiam corporum S. S. Apostolorum dicti sunt *Cubicularii*. Idem *Menardus* Lib. cit. *p.* 3. notandum tamen hic, dictos quoque fuisse *Cubicularios aliorum* Sacellorum seu Oratoriorum custodes extra Romam.

Cussinus idem quod pulvinar, pulvinarium, unde Germanicum nomen ein Küssen.

Cyriaca vocatur Ecclesia vel Templum, ex Graeco Κυριακη, Dominica, & quidem primarium seu Cathedrale Templum *Cyriaca* dicitur, quia prae aliis in hoc Domino Dominantium & Regi Regum servitur. *Fr Macri* Hiero-Lex. Apud Germanos quaelibet aedes sacra inde adhuc dicitur die Kirche. Suevis & Francis *Kyrch* & Batavis *de Kerk*: in Saturlandia, Episcopatus Monasteriensis Provinciae incolae dicunt: *de Keiriche*.

(D.)

Dalmatica, vestis seu tunica Sacerdotalis vel potius Episcopalis candida cum clavis ex purpura, Dalmatia dicta, quia primum in Dalmatia, Graeca Provincia texta, & apud Sacerdotes Dalmaticos seu Sclavonicos in usu fuit; de qua plura dabunt *Isydorus* Etymol. Lib. XIX. Cap XXII. *Amalarius* de Eccles. Off. *Lib. II. Cap. XXI. Menardus* in Libr. Sacram. Gregorii *p.* 65. Regiam, imo etiam Imperatoriam vestem quondam fuisse docet *H. Spelmannus* in Glossario sub hac *voce*.

Decanus, *Decanatus* est Dignitas Ecclesiastica, qua gaudet in Ecclesiis Cathedralibus seu Eiscopalibus iste Canonicus, qui secundum ab Episcopo in Capitulo tenet locum, & in Ecclesiis ruralibus is, qui Decem Parochiis est, vel esse debet praepositus. A Decennario numero etenim haec dignitas dicta est, & ex graeca militia in Ecclesiam translata. Uti enim in illa dicebatur Δεκανὸς à Δέκα, qui decem praefuit militibus, seu corpori decem militum, quod hodie dicitur eine Corporalschafft/

(† 3.) ita

ita dein Decani dicti, qui praefecti fuere in Monasterio decem Monarchis, in Ecclesia Cathodrali Episcopali decem Praebendis, & in Episcopatus huic subjuncta Dioecesi speciali decem Clericis seu Parochiis. *Spelmannus* lib. cit. qui plura de Decanorum variis Classibus dabit; majora autem suppeditabit *Ludovicus Thomasius* in eruditissimo opere de Veteri & Nova Ecclesiae Disciplina *Part. II. Lib. III. Cap. LXXXI.* & alibi in hoc praestantissimo opere, edito Lugduni Gallorum 1705. III Tomis fol.

Decretales sunt Epistolae quaedam sub primorum Romanorum Episcoporum nomine editae, & ad stabiliendam auctoritatem & doctrinam Romanae sedis, Primatumque defendendum, a Gratiano in Jus Canonicum Pontificium translatae. Verum has Epistolas esse adulterinas & suppositititias docuit eruditissimus vir *David Blondellus* in libro 1628. edito, quem *Pseudo-Isidorum* vocavit. Pressit Blondelli vestigia pluribus *Josua Arndius* in Lexic. Antiq. Eccles. sub voce *Decretales.*

Degradare, *Dehonorare*, idem est ac aliquem dignitatis suae gradu dejicere, dignitate sua vel in totum, vel quoad partem solum ita privare, ut loco prioris majoris dignitatis Ecclesiasticae, jam minima gaudeat.

Depecuniare, aliquem pecunia sua, imo omnibus opibus privare, exspoliare, &c.

Devota, dicitur Virgo se Deo Ejusque cultui devovens, non tamen ideo Regulis Monasticis se obstringens. *Concilium Toletanum I. Can.* 16. 19. mihi una eademque esse videtur cum Beguina. Vid. *Beguina*.

Dextrarii Famuli, i. e. strenui equites, magnis equis prae aliis instructi ad militiam. *Dextrarii* dicti non solum ob dexteritatem, sed quia Principi seu Regi in bello & praelio a dextris sive a latere erant, hocque obtegebant: *Famuli* autem vocati; quia Nobiles erant, utpote qui Κατ' ἐξοχὴν Principum famuli dicti, docente hoc pluribus *du Fresne* in Gloss. Med. Lat. sub vocibus *Dextrarius*, & *Famulus* & *C. Redeckero* in Differt. *de Dextrariis Imperatoris*, seu des Keysers Leib-Guarde.

Diffidare, odio habere, pro hoste declarare, imo ferro, ense & igne aliquem persequi. Hinc ortum est nomen *Diffidatio*, quod in Longobardicis Legibus Belli publicam Denuntiationem notat, faciendam tribus ad minimum diebus, ante hostilem irruptionem. *J. Lydii* Glossar. Lat. Barbarum.

Dogmatisare notat non solum instruere ac docere aliquem, verum etiam aliquem judicare & condemnare, dabitque contextus, quae significatio ex his duabus locum habeat, si occurrit.

Dominica non solum diem solis, Dominicam dictam, notat, verum etiam primariam Aedem S Domino Dominantium consecratam, nempe Ecclesiam in urbe Cathedralem vel Episcopalem, quae inde adhuc in Germania vocatur der *Dom*, & Canonici in hac officiis suis sacris fungentes *die Domherrn*, areaque hanc Ecclesiam seu Cathedrale hoc templum cingens *der Domhoff*. Ut taceam primarios istiusmodi Ecclesiae inservientes Canonicos, seu Officiales, qui vocantur: *Dom-Probst*, *Dom-Dechant*. *Dom Scholaster*. *Dom Küster* &c. Item *Dom-Capittel*. Confer. vox *Cyriaca*.

Doxologia seu glorificatio Dei, nomen in antiqua Ecclesia tributum brevissimis canticis, aut in principio aut in fine additis Hymnis aut Psalmis, in Ecclesia publice decantatis. Haec Doxologia Duplex erat vel *major*, vel *minor*. *Minorem* conficiebat illud: *Gloria Patri*, *Filio & Spiritui Sancto*, *sicut erat in principio*, &

& nunc & semper & in secula seculorum. Amen! Majorem autem constituebat hymnus Angelicus, quo in Nativitate Christi Pastores Bethlemitici ad similem Deo laudem dicendam excitati sunt, nempe hoc: *Gloria in Excelsis Deo.* Haec Angelica *Doxologia major* dicitur, quia initio cultus Divini ad excitanda fidelium corda a Presbytero elata decantatur voce: illa autem vocatur *minor*, quia ejus decantatione cultus Divinus clauditur. vid *Hoffmannus* in *Lexico Univers.* sub hac voce: *Du Fresne* in Gl. M Graecit. & *Goarus* ac Euchologi. Graec.

Dragomanizare, hoc est interpretem vel translatorem unius linguae in aliam agere. *Carolus Hannibal Fabrottus* in Glossario sub hac voce. Credo, quod ab hoc verbo in Oriente, praecipue in Aula Turcica Constantinopolitana interpretes Linguarum aliarum Europaearum in linguam Turcicam ideo in hunc usque diem dicantur Dragomanni, *Dragomans.*

Dulcorare item *edulcorare* i. e. aliquid natura amarum mixto saccharo vel melle vel glycirrhiza reddere dulce dulcius: usurpatur quoque hoc verbum in figurato sensu pro *emollire exacerbatum alicujus animum.*

(E.)

E*cbola*, res viliores, minimae, parvae existimationis, imo fere nullius momenti. *Fr. Matri* in Hierolex. Hinc existimo derivandum esse, quod passim in Westphalia homines nullius frugi dicantur *bollen*, & in Batavia, *Losbollen*: imo ipsi minimi panes tritici vocantur *bollen.*

Edecumatus vir, i. e. integer vitae scelerisque, praecipue corruptionis per munera; purus item, vir praestans, sincerus, insignis, praeclarus, praecellens. *Du Fresne* Gloss. M. G.

Eduniare notat se excusare, ab objecto crimine purgare, & sic se idoneum ad peragendum porro suum officium sistere, *J. Lydii* Glossarium Latino-Barb.

Efforciare, vi summa, item manu militari aliquid extorquere: significat quoque interdum aliquem poena vel mulcta sibi dictata cogere: item omnes vires intendere. *Du Fresne* l. c. Gallis hodie verbum hoc adhuc in usu est, & pronuntiant *per efforcer.*

Epistolariter, i. e. per Epistolam, in modum Epistolae; item per *Epistolarium*, seu Latorem Epistolarum, *Fr. Macri* l. c.

Erciscundus, id est dividendus à verbo antiquo *ercisco*, quod significabat divido; inde etiam originem ducit *Familia Erciscunda*, ad quam ut legitimam & legitimo thoro descendentem haereditatis jure divisio bonorum spectat. Idem *Fratres Macri* l. c Ex antiquissima Romanorum lege XII. tabularum hujus vocis originem deducit *Joh. Calvinus*, J. C. in Etymologico.

Escarium notat non solum vas seu patinam, in qua esca seu cibus recipitur, sicque mensae imponitur, verum etiam *ipsum locum*, in quo cibus capitur, nempe triclinium & coenaculum, *Refectorium* in monasteriis dictum.

Exarcha, it. *Exarchus* idem est ac summus Praefectus alicujus provinciae, tribuiturque Exarchatus dignitas tam Politicis quam Ecclesiasticis personis. Illi erant, qui ab Orientalibus Imperatoribus, postquam sedem Imperatoriam Roma Byzantium tran-

transtulerant, Italiae Provinciis & principalioribus urbibus, ut Ravennae, Bononiae, Imoli, Ferrarae, Forojulio &c. erant cum plena agendi, regendi & judicandi potestate praefecti, & inter quos Exarchas primum locum tenebat *Ravennatensis* jure cudendi moneta simalo gaudens. Ecclesiastici *Exarchae* dicebantur quoque provinciarum Ecclesiastici Praepositi, Metropolitani & Patriarchae Constantinopolitani Vicarii, ex quibus eminebant Ephesinus, Caesariensis & Heracliotensis. Pluribus utramque hanc & Politicam & Ecclesiasticam dignitatem illustrant *Fr. Macri* in Hierolex. *Du Fresne*, in utroque Glossario Graeco & Latino; *Joh. Jac. Hoffmannus* in Lexic. Univ. *Ant. Duding Altefera* in observat. in Anastasium *observ. CXVII. Matthias Zimmermannus* in Lexico, quod Florilegium appellat, sub hac *Voce* & *Zacharias Goëzius* in Differtat. *de Exarchis Orientis* & *Occidentis Imperii.* ed. Lipstadii 1696. in 4to Cardinales Legatos Pontif. Max. hodie, illorum antiquorum imperatoriorum Exercharum vices in praedictis Ravennatensibus, Bononiensibus Ferrariensibus provinciis ac urbibus agere, cuilibet uter hos illosque parallelismum scrutanti facile patebit.

Exfestucare, i. e. ex possessione aliquem removere & deturbare. *Investuco* enim significat in possessionem mitto; antiquitus enim virga, virgula seu festuca signum possessionis tradebatur, & quando possessio rei cedebatur, tunc possessor antiquus removebat à se, seu projiciebat à se virgam vel festucam; vel eam tradebat novo possessori, vel emtori. Eodem modo, & quidem per festucam nodatam, antiquitus peracta fuit investitura, seu immissio in praedia, castra aliaque bona. *Fr. Macri* sub vocibus *Exfestuco*, *Fistucus nodatus.*

(F.)

F*aida Febde*, inimicitia, & quidem non levis, sed summa, imo capitalis; estque vel *privata*, quae inter privatos regnat, *vel publica*, quam Magnates inter contra se invicem suscipiunt. In ultimo hoc significatu notat bellum apertum, ita ut *Feudam denuntiare* Principi, idem fit ac bellum ei inferre. Descendit à Faida *Faidosus*, quod significat bello implicitus, item bellum inferens. *Brissonius*, it. *Spelmannus*, *Lydius* ac *du Fresne* in Glossariis.

Faldistorium, Episcopi seu Abbatis mitrati sedes humilis, cujus forma adinstar antiquae sellae curulis: ejus etymologia est, quasi *fandistorium* i. e. fandi & perorandi locus, quia Episcopi huic sellae insidentes, ex hoc saepius verba fecere ad populum. Ponitur Faldistorium in cornu epistolae, hoc est in sinistro latere altaris, in quo hunc locum occupat Liber Epistolarum, uti in dextro Liber Euangeliorum. *Fr. Macri.*

Filiaster. privignus, unde *Filiastra* dicitur privigna. *Fr. Macri*, & *Januensis*, Catholicon. *Perrottus* in Cornu Copiae, pag. 360. edit. Aldinae scribit, privignum ideo dici *Filiastrum*, quia imitatur filium.

Flammulum vexillum minus, in flammae speciem desinens, quod antiquitus Imperatoribus in publicis processionibus praeferebatur, & inde ejus vexillifer vocabatur *Flammifer.*

Gab-

(G.)

G*abbarus*, *Gabarus*, homo non plane quidem mentis compos, tamen infulfus, risum femper movens, expanso vel distorto, aut flexo nimium ore. Hinc talis homo adhuc hodie dicitur Batavis *een gabbert*, *een gaapert Lydii Glossarium Lat-Barb.* In plerisque fere Hollandiae urbibus hederae loco vino vendibili in fronte hospitiorum publicorum ridiculae horum gabbarorum pictae imagines suspensae sunt, cum lemmatibus; ***Den Ouden Gaapert***, ***den Grooten Gaapert***, ***den Jongen Gaapert***, *&c.*

Gasindig, *Gasindis*, domestica familia, & quidem Domino serviens, unde hodie adhuc in Batavia aeque ac in Germania famulus, vel ancilla nominatur *Gesind*, uti haec ex Longobardorum lingua probat jam laudatus *Lydius.* l. c.

Gaudiosa victoria, i. e. gaudii plena, gaudio triumphans, voluptate bachans, & cum effusa laetitia ovans victoria.

Gellonia Societas, Confraternitas opificum, operariorum, artificum, aliorumque quaestum facientium, legibus a se ipsa factis, & a magistratu confirmatis inter se arctissime combinata. *Fr. Macri* in Hiero-lex. usitatum hoc antiquum Longobardicum nomen est adhuc in Germania, ubi talis Societas vocatur eine Gilde, & Caput, seu Praefectus ejus ein Gilde-Meister. Habuit quondam quaevis istiusmodi Societas sua peculiaria, vel ex plumbo, vel stanno vel aere confecta signa, quibus character Societatis impressus erat, quaeque loco tessararum hospitalitatis, uti olim apud antiquos Lacedaemonios, dabantur, testimonii loco, membris, huic Societati jam adscriptis. An autem inde moneta nostra hodierna signata adhuc dicatur, vel dicta sit, *geld*, aliis dijudicandum relinquo; citati jam *Fratres Macri* vocem *geld* faciunt plane Saxonicam, non addendo rationem seu originem denominationis.

Grangia, *Grenge*, Villa, praedium, territorium, & etiam Tusculanum, pertinens ad Monasterium, seu alium conventum Ecclesiasticum, justa *Fr. Macri* in hierolex. *Guilbelmus Cantuariensis* in Glossario contracto, interpretatur nomen hoc per granaria, stabula &c. & quae pertinent ad oeconomiam: pro area, ubi frumentum teritur, *Grangiam* habet *du Fresne* in Gloss. M L., qui simul statuit, inde Monasticum officium esse exortum *Grangiarii*, seu Monachi, praedio rustico, & frumentis ex hoc colligendis custodiendisque praepositi. *Christianus Grubelius* in Critica Germ. existimat ab hac Longobardica voce fluxisse nostram Germanicam *Grant*, *graenze*, nempe finis alicujus territorii, qualia grangia olim fuerint limites alicujus Monasterii, seu in limitibus exstructa.

Gunatus, i. e. vestitus, amictus & quidem veste, ut mihi videtur, abjecta, ex pellibus ferarum vel caprarum consuta, qualem in ferreo aevo *gunam* dictam fuisse docent *Meursius* in Glossario Gr. Barb. *Spelmannus* in *Gloss.* & pluribus *Hoffmannus* in Lex. Univers. An autem ab hac voce etiam *Beguina*, *Beguna* derivanda sit, uti jam citatus *C. Grubelius* putat, ideo, quod tales religiosae foeminae sola *guna*, id est vilissimo vestitu incesserint, asserere non sustineo. vid. supra *Beguina.*

(H.)

H*armiscara* notat coercitionem; custodiam, qua reus infamis tenebatur. *Fr. Macri.*

Harnesium it. *Hernesium* armatura totius corporis, cataphracta; unde germanicum nomen *Harnisch.*

Heraldus idem ac praeco, caduceator, legatus militaris inviolabilis ad hostem missus, vel ad tractandam pacem, armistitium, inducias vel redemptionem captivorum, aliaque bellica negotia; inde adhuc Germanicum nomen *Herold*: de variis autem Heroldorum generibus fusius agit *H. Spelmannus* in *Gloss.* sub hac voce.

Homagium notat. actum submissionis & obligationis vasalli pro accepto a Rege vel Principe beneficio sub feudi nomine: interdum strictius sumptum denotat solum juramentum obsequii & fidelitatis, quo se vasallus Domino Feudi obstringit, pluribus de hoc agunt *Fr. Macri*, *H. Spelmannus* & *du Fresne* in Glossariis, & *Johannes Calvinus*, JCtus Heidelbergensis, in Lexico Jurid. sub hac voce, aliique. Descendit vox *Homagii* ab *Homo*, notans vasallum, uti citati Auctores etiam pluribus deducunt, nosque porro edifcimus ex rara pictura, quae hodienum Romae in uno cubiculo Lateranensis Ecclesiae, quod *Camera Pontificia* dicitur, conspicitur, & exhibet Imperatorem *Lotharium II.* se prae foribus dictae Ecclesiae Lateranensis, Papae Innocentio II. in ipsis foribus stanti submittentem, huicque ad conservanda Pontificis populique Romani jura, jurejurando se obstringentem, & dein admissum ad Pontificis complexum diadema Imperii ex illius manu suscipientem, cum subjecto picturae huic epigrammate;

Rex stetit ante fores, jurans prius Urbis honores;
Sic Homo fit Papae, sumit quo dante coronam.

Exhibet hanc ita pictam & insignitam tabulam aeri incisam *Caesar Rasponus*, Canonicus Rom. Lateranensis, in suo perraro, & ab hanc in apricum iterum productam picturam ab Imperatore proscripto, eleganti alias & pererudito libro; *de Basilica & Patriarchio Lateranensi* Romae 1656. fol. cum plur. fig. edito, idque *pag.* 291. & 296. de citato pedi tabulae inscripto epigrammate, ita *Rasponus* pag. 293. porro nimis sane ut mihi videtur audacter scribit: *Quod quidem Epigramma Friedericus AEnobarbus* (i. e. Barbarossa :) *à majorum suorum pieate degenerans, tamquam esset Imperiali majestati repugnans delendum, amovendumque curavit, offensus videlicet eorum versuum sententia. qua dignitatem suam Romani Pontificis esse beneficium affirmatur, id quod ille soli Deo debendum praedicabat.* Clarissimus *Rasponus* in *seq.* hoc Epigramma in favorem Romanae, & praejudicium Imperatoriae Aulae, defendere equidem studuit, sed nihil magis praeter Pontificis Alexandri VII. (cui hoc opus dicatum) gratiam, hoc studio sibi acquisivit, quam *libri* dictam proscriptionem, ejusque inde exortam raritatem.

Hospitalarii vocati sunt milites seu Equites S. Johannis Baptistae, ita dicti, quia sece

XI. devastata Hierosolyma à Saracenis, ab his autem sarto ac tecto relicto Sepulchro Christi. certus fortissimorum ex Germania, Gallia, Hispania & Italia, Nobilium & Equitum numerus se devovit, ac certis regulis arctissime inter se obstrinxit ad defendendum S. Christi Sepulchrum, & protegendos hoc ex omnibus fere Europae Provinciis religionis causa visitantes Christianos, quos peregrinos (*Pillgrimm*) dicimus. Sedem suam fixere Hierosolymis è latere S. Sepulchri Christi, ibi exstruendo magnum aedificium, *Hospitale* vocatum ideo, ut inserviret, tam receptioni membrorum suorum in excursionibus contra Saracenos vulneratorum, quam aliorum religiosorum peregrinantium, alio hospititio destitutorum; & dicatum cum capella simul aedificata S. Johanni Baptistae. Ab illo, nempe magnifico Hospitali dein nomen traxere *Equitum Hospitalariorum*, & à Patrono S. Joh. Baptista, cui illud cum annexa capella dicatum erat, *S. Johannitarum.* In Expeditione Cruciata *sec. XI.* fortissimo fratrum pari *Gothofredo* & *Baldrino*, Boullionensium & Lotharingiorum Ducibus, ad recuperandam Terram Sanctam & Hierosolymam, forti manu animoqne inserviere: Sed cum seculo subsequenti XII. à Saracenis victi Christiani Principes, illis universam Palaestinam iterum cedere fuere coacti, idem fatum manebat nostros Equites, qui ideo relicta *Hierosolyma*, suaque ibi magni Hospitalis sede, secessere in Insulam proximam Cyprum, hacque etiam dein à Saracenis expugnata, *seculo XIV.* in Insulam *Rhodus*, quam per duo fere secula tenuere, & hinc so *Rhodisios Equites* nominarunt. Hac tamen quoque anno 1521. à Solymanno exercitu plusquam 200000 militum expugnata, fortunam sedis tentarunt in Insula Melitensi, ideo, quia hanc illustrissimo huic Ordini in perpetuam sedem, sed sub Feudi Regni Hispanici vinculo, dabat gloriosissimus Imperator *Carolus V.* Quia itaque hac stupenda fortitudine plusquam una vice adversus Turcarum insultus defensa marique circumvallata Melitensi sede, illustres & fortissimi Equites in hodiernum usque diem gaudent, ideo nominantur jam *Equites Melitenses Maltbezer Ritter.* De Ordine ipso, ejusque statutis, regulis, privilegiis, capititibus & reditibus summis, plura dabunt *Jacobus Bosius* in Historia Militiae S. Johannis Hierosolym. ed. Romae 1584. *fol. Anonymus* in Histoire de l'ordre de S. Jean de Jerusalem ed. Parisiis 1660. fol. nec non ante viginti annos Dominus *Vertot* in Historia Equitum & Hospitaliorum S. Johannis in Hierusalem, Hagae Comitum 1724., Gallice edita, & non sine excitatione animi legenda *Confer. Ubertus Folieta* de Obsidione Melitensi *Part II. Tomi I.* Antiquit. Italiae *J. G. Graevii*, *pag.* 1127.

Hyldegart, amoris hortus, descendit ab *Hyld Hild*, seu *Huld*, quod notat favorem amorem, estque adhuc apud *Germanos* in *usu*: *Johannes Aventinus* in *Nomenclatura*, Annalibus Bojorum praemissa.

(I.)

Idoneare se, est se à crimine objecto vel imposito idoneis vel signis, documentis aut testibus, imo ipso juramento purgare. *Fr. Macri* & *Lydius* in Glossariis. Conf. vox *eduniare*, quae ad eundem significatum redit.

Ignis probamentum notat probationem & purgationem per ignem, ita in barbaris seculis institutam, ut aliquis de crimine capitali accusatus, sed tamen innocens, deficientibus aliis probationibus innocentiam suam demonstraret, vel aqua perelixante, cui immitteret ad certum horae spatium manus, hasque illaesas in signum innocentiae ex illa retraheret; vel ferro candente, hoc aut denudatis manibus vel pedibus etiam illaesis ad praescriptum tempus comprehenso, tacto vel calcato: Fallacissima sane innocentiae demonstratio: quia membra corporis denudata, & illinita antea oleo Salamandri, vel lapidis Asbesti seu Amianthi, cujus in Cypro ac Epiro in Insula Corsica, in Pyrenaeis montibus, imo in ipsa Insula Islandiae magna copia datur, ignis calore neque affici, neque laedi possunt. Confer. *Joh. Ciampini* erudita Dissertatio *de Incombustibili Lino* sive *lapide Amianto*, edita Romae 1691. 4to. Interim de hac ipsa per ignem probatione plura desideranti, majorem copiam dabunt *Martinus del Rio* in Disquisitionibus Magicis. *Lib. IV. Joh. Palatius* in *Aquila* Saxonica p. 237. seq. *Justus Lipsius* in Monitis & Exemplis Politicis *Lib. II. Cap. II. Joach. Camerarius* in Horis subcisivis *Cent. II. Cap. XVIII. Joh. Lomeierus* de Vet. Gentil. Lustrationibus *Cap XIX.* & *Eberhardus Rudolphus Roth* in Dissertatione de more probandi innocentiam per ignem, edito Ulmae 1678. 4.

Incaustum item *Encaustum* dicitur atramentum, quo scribitur aut pingitur: Interdum notat ipsum atramentarium, ut contextus in *Hermanno* nostro docebit: vox mihi videtur *Graeco-Barbara*, descendens ex Καυστικὸν, Καυστὸν ustile, urendi habens facultatem, ex ustum, & atramentum ideo inde nomen duxisse, quia hoc initio scriptionis ut plurimum praeparabatur ex subtilissimo pulvere carbonum seu prunarum extinctarum pinearum ac picearum & dein ex horum lignorum fuligine, vel exusta resina. vid. *Petrus Maria Caneparius* in libro de atramentis; Venetiis 1619 4. edito Quid Caustica sint Specula, ab Archimede inventa, quibus in obsidione Syracusana Marcelli classem incendit, docet *Hieronymus Vitalis* in Lexico Mathematico, pag. 845. *seqq.* editionis Romanae 1690. 4. *Athanas. Kircherus* in arte magna Lucis & Umbrae *Libri X part. III. p.* 874., & *Georgius Paschius* de inventis Novo-Antiquis *Cap. VII. §. LIII.* & denique clar. & venerandus *Libxnechtius* in peculiari de speculis causticis Dissert. ed. 1704. 4.

Indictio, est numerus quindecim annorum, in computationibus annis Christi ad majorem certitudinem addi solitus. Est autem Indictio duplex, Imperialis & Pontificia. Illa incipit ab VIII. Kal. Octobris, haec autem in die Nativitatis Domini, i. e. post tres menses Indictionis Imperialis incoeptae. Illa sub Constantino M. initium sumebat, anno Christi CCCXIII. ante diem VIII. Kalendarum Octobris, quo die victus est Maxentius, & Religio Christiana in libertatem est vindicata. Ergo quasi primordiis libertatis Christianae Nicaeni Concilii auctoritate constitutum est, ut sublatis Olympiadibus annorum ratio ab eo tempore iniretur: sic ut quindecimo effluxo anno nova esset Indictio, anni autem singuli Indictionis computarentur: *Fr. Macri* in Hiero-Lex. Plura autem de Indictione, hujusque in Imperatorum, Regum, ac Pontificum Diplomatibus & Edictis usu suppeditabunt *du Fresne* in Glossar. M. L. *Hoffmannus* in Lexic. Univers. sub hac voce, & praecipue *Dionysii Petavii* libellus de Indictione, ed. Parisiis 1616. 8.

Indulgentiae nomen habent ab indulgendo seu remittendo, & sic per has intelligitur Remissio peccatorum Ecclesiasticae poenae. Antiquitus enim innuebat solum Re-

Remissionem vel Relaxationem poenae, seu poenitentiae Ecclesiasticae pro enormibus peccatis impositae. Quia haec in primitiva Ecclesia valde gravis & rigorosa erat, ita ut illi, quibus juxta Canones Ecclesiasticos publica agenda poenitentia imponebatur, omnes poenitentium gradus, nempe, *publicam in Ecclesia Confessionem*, *Fletum*, *Auditionem*, *Prostrationem*, & *Consistentiam*, subire tenerentur, antequam reconciliarentur cum per lapsum gravissime scandalizata Ecclesia, in ejusque gremium reciperentur: Tandem remissior facta est haec Ecclesiastica poena, & pro ratione vel statu vere poenitentium & de peccatis dolentium, haec vel quoad unum alterumve gradum, aut exigente periculo imminentis mortis, vel desperationis in totum remissa est ab Episcopo, & quidem ultro absque ulla pro hac indulgentia data pecunia. Sed sequioribus ab XI. Saeculis in Curia Romana haec indulgendi, seu remittendi vel absolvendi potestas a Canonicis Ecclesiasticis poenis, extensa est ad peccata ipsa, imo horum satisfactoriam purgatorii poenam, & tandem ad ipsam aeternam, reatum tam culpae quam poenae, tam aeternae quam Ecclesiasticae seu Canonicae; idque non gratis, sed pro certa constituta ac determinata, in *Taxa Cancellariae Apostolicae* expressa pecuniae summa. *Josua Arndius* in Lexico Antiq. Eccles. sub voce *Indulgentiae*.

Intoxicare, *Toxicare* aliquem, notat veneno aliquem e medio tollere. Descendit hoc verbum a *Toxicum*, quod venenum significat, diciturque ita, quia ex succo Taxus arboris conficitur; *J. Januensis* Catholicon sub voce *Taxus*.

Juniores vocantur Nobiles & liberi Domini, dicti inde adhuc in Germania Jun=ckern pro Jung-Herrn. *Lydii* Glossarium.

Irreplegiabilis, utitur de pignore capto, quod, dato licet apud praefectum vadio seu fidejussione, redimi vel dimitti nequeat. *Guilhelmi Somneri Cantuariensis* Gloss. contractum, sub hac voce.

(L.)

Libellatici vel *Libellati*, (ita dicti *Durando* de Ritib Eccl. Cath. *Lib. I. Cap. IX.*) vocabantur ii, apud Antiquos, Christiani, qui a Gentilibus Praefectis Provinciarum vel Urbium conscripti & adacti ad sacrificandum Diis Gentilium, his porrigebant libellos supplices, & in eis rationem, cur ob amplexum Christianismum sacrificiis interesse non possent, exponebant, certamque & quidem magnam pecuniae summam offerebant, ut hac redimerent injunctum sacrificium, sicque dispensationem obtinerent. (2) Ita dicti, qui haeresin abjurantes, qua antea polluti erant, Libellos Fidei & Confessionis suae testes dabant Presbyteris. Imo (3.) hoc Libellaticorum nomen tributum est illis, qui licet non publice, tamen clam, metu Martyrii, Libello Magistratui Gentili oblato, Christianam Religionem abnegabant. *Zonaras* ad Concilium Carthag. *Can. 51.* *Cyprianus* Epist. *Lib. II. Epist. VII.* & alibi: Vid. *Pamelii ex Joban. Oxoniensis* Notae in h. l. *Baronius* in *Annalibus* ad An. Chr. CCLIII. *num. 23. 59. 60.* *Guilhelmi Saldeni Otia Lib. II. Exercit. X. p. 411.* *Forbesii* Instruct Histor Th. *Lib. XII. Cap. I. num. 17.* & *Sebastianus Niemannus* in Dissertat, *de Libellaticis* ed. 1669. 4.

Liga, idem ac foedus, quia hac duae contrahentes partes secum seu inter ligantur. Sumitur quoque interdum pro conspiratione. *Du Fresne* & *Lydius* in Glossariis.

Liturgia, notat (1.) *in genere* omnem Cultum publicum Ecclesiasticum, diciturque a λείτοι & ἐργὸν. Et in hoc significatu, nempe pro praescripto certo Cultus Divini ordine, hic dividitur iterum in *Liturgiam* Apostolorum & Patrum. (2.) *Liturgia* denotat solum Officium Precum publicarum, eoque simul nomine venit *Liber* Precum illas comprehendens. Et (3.) tributum hoc nomen est in Ecclesia Romana praecipue Administrationi S. Eucharistiae, quae nomine *Officii Missae* in illa venit; *Jos. Arndii Lex. Antiq. Eccles.* sub hac voce. Inde etiam apud Graecos illa communio, in qua totus Consecrationis actus non repetitur, sed in qua, jam Dominica priori, solenni ritu Consecrata Sacra Elementa, in hebdomade communicantibus solum porriguntur, dicitur Λειτουργία προηγιασμένων, *Liturgia* seu *Missa Praesanctificatorum*, i. e. assumptio Elementorum S. Panis ac Vini, jam *antea*, seu *Praesanctificatorum*, nempe solenni publico in die Dominica, tempore Quadragesimali, instituto Consecrationis actu; de qua *Liturgia* seu *Missa Praesanctificatorum* plura dabit *Johann. Michael Heineccius* in Delineatione Veteris & Novae Ecclesiae Graecae *Part. II. Cap. VI. pag.* 293.

(M.)

Magarizare, significat impie deserta Religione Christiana amplecti Turcicam vel Mahumedanam, sicque hac spurcissima abnegatione, quasi stercore se faciemque suam conspurcare, quod μαγαρίζειν Graecis dicitur. *Leuenclavius* in Pandectis Turcicis *num.* 22.

Mantum notat pallium, quod ideo adhuc hodie vocatur Germanis, Der Mantel/ & Gallis; *un Manteau.*

Manutenere innuit vi armata aliquid tueri, defendere, imo alteri succurrere Hinc Hodiernum Gallicum, *Maintenir*; & *Manutenentia*, i. e. defensio possessionis quietae, ne turbetur. *Du Fresne in Gloss.*

Manutergium, idem ac linteum vel mappa, qua manus tergitur, estque sic compositum ex *manus* & tergo. *Januensis* Catholicon. Dicitur ita hodie praecipue linteamen, quo Presbyter baptizans, vel S. Eucharistiam administrans manus abstergit.

Matrix, nomen datum Ecclesiae praecipuae vel Cathedrali, aut Collegiatae, quae gaudet adhuc aliis minoribus Ecclesiis, tamquam filiis, ex illa velut matrice exortis, ab eaque dependentibus, imo huic subjectis, *Lydii Gloss.* & *Joh. Ciampinus* de S. R. E. *Vice-Cancellario*, *p.* 139. ed. Romae 1697. 4. Habet haec denominatio adhuc locum apud Germanos, ubi hodie *majores* Ecclesiae huic insertas minores Parochias habentes dicuntur Mutter-Kirchen / hae autem Filialen.

Ministerium Ecclesiae in communissimo equidem sensu Ecclesiae alicujus Ministros, Archi-Diaconos, Diaconos & Sub-Diaconos denotat; sed frequentissime etiam designat solum Sacra Vasa & suppellectilem alicujus Ecclesiae, nempe patenam, calicem, aliaque Sacra Vasa & Ornamenta ex Auro, Argento, aliaque pretiosa materia conflata. Plura de his Ministeriis Ecclesiae edisserit *Johannes Mabillonius* de Liturgia Gallicana *Lib. I. Cap. VII.* §. 3. *pag.* 63. *seqq.* & Lib. cit. *Cap. V.* §. 9. *pag.* 40.

Minuta, vox est descendens a minuo, diminuo, contraho, notatque (1.) Contractionem contentorum in libellis supplicibus Pontifici Romano oblatis, pro impetranda aliqua gratia. (2.) Ipsam expeditionem Bullae Papalis, gratiam expetitam concedentis. Haec enim gratiae concessio Minuta vocatur, quia in illa omnia superflua in libello supplici occurrentia resecta sunt, & Pontificis gratia minoribus seu paucioribus verbis juxta Cancellariae leges expressa est. Secretarius Minutam scribens ideo quoque dicitur Abbreviator. *Joh. Ciampinus* in Notitia Abbreviatoris de Curia. *pag.* 5. 6. 7.

Mozarabica Missa, vocatur Missae seu S. Eucharistiae Officium, hujusque ordo, quo olim, praecipue Saeculo XIII usi Hispani, qui *Mozarabes*, i. e., cum *Arabibus mixti*, dicti sunt, quia tunc temporis cum Arabibus ex Africa in Hispaniam delatis adhuc commixti erant. *Jacobus de Vitriaco* in Historia Orientali *Cap. LXXXI. Mozarabicae* hujus *Missae Officium*, ex Antiquissimo Authentico Codice emendatum edi Anno 1500. *Toleti* curavit eruditissimus Toletanus Archi-Episcopus & Cardinalis *Franciscus Ximenes*, exhibetque ex rarissimo Toletano exemplari nobis quaedam inde excerpta capita jam laudatus *Mabillonius* in *Appendice* Liturg. Gallic. *pag.* 440. *seqq.*

Mundium, jus quod habet Curator, vel Tutor in impuberem personam & bona illius, qui sub ejus Cura vel Tutela positus est, quodque huic annum pubertatis ingresso ab illo restituitur. *Fr. Macri* in *Hierolex.* Ad. *H. Spelmannus* in Glossario sub vocibus Mund / *Mundiburdium*, *Mundialis*. Vox haec Germanorum linguae cum aliis barbaris vocibus se immiscuit, quia Germanis adhuc pupilli annum pubertatis attingentes dicuntur Mündig / i. e. sui Juris, non indigentes amplius tutela Curatoris.

Munitat notat terminum alicujus Coenobii, ejusque ***Immunitatis***, ex qua truncata corruptaque voce hanc esse ortam existimat *Marquardus Freherus* in Glossario Vocum semi-Latinarum aut Barbararum, praemisso Germanicarum Rerum Scriptoribus, a se Francofurti 1600. uno Tomo fol. editis.

Musivum opus, dictum quoque *Mosibum* & *Moseacum*, est aedificium, vel hujus saltem pars, vel ornamentum, constructum ex diversis versicolorum marmorum crustis, in formas diversas resectis, videlicet in formam Quadranti, Quadrilateri, Trianguli, Sectionis Conicae, Sphericae, Pentagoni, Hexagoni, Octagoni, aliarumque Geometricarum figurarum, quae variae inter se dispositae, insimulque conjunctae varias aspectui jucundissimas figuras & imagines, seu hominum, seu animalium, vel Angelorum &c. repraesentarunt. Describit haec Musica Opera quoad primam Originem, varias Species, Materiam, Pulchritudinem ac Elegantiam *Johannes Ciampinus* in raro, pretiosissimoque ob infinitas aeri incisas, opere dicto *Munimenta Antiqua*, & quidem *Tomo I.* Cap. IX. X. XI & XII. *a pag.* 78. *ad* 89. Prodiit splendidissimum hoc opus Romae 1690. & 1699. fol. 2. Tomis. Idem Auctor in alio aeque raro ac ob figuras aeri incisas opere *de Sacris AEdificiis a Constantino M. exstructis*, ed. Romae 1693. fol. hanc de Musivis Operibus materiam pluribus erudite prosequitur *pag.* 34. 37. 42. *seq.* 75. 130. *seqq.* 150. *seqq.*

Myr-

Myrrobrecharius, Vox Graeco-Barbara, descendens ex μύρον Unguentum & βρέχω illino, notansque Unguentarium, Unguenta, Olea ac Thura praeparantem, & quidem tam in Profanum, quam Sacrum Usum, docente hoc ex *Salmasio* & *Sponii Miscellan. Matthia Zimmermanno* in Florilegio *pag.* 551. In quanto honore istiusmodi Unguentarii fuerint apud veteres Romanos, & in sequioribus quoque seculis, monstrat pluribus *Fortunatus Schachus* Sacrorum Eleochrysmatum *Myrothecio I. Cap. XVII. pag.* 85. *seq.* & *Cap. XX.* ubi *pag.* 97. & 98. simul discrimen inter *Ungentarium* & *Unguentarium* monstrat, asserendo: *Ungentarium* dici Unguenta vendentem, *Unguentarium* autem haec conficientem & componentem. Quomodo autem differat in Ecclesia Romana *Chrismarius*, quod idem fere significat ac Ungentarius, ab hoc, docent *Fratres Macri* in Hiero-Lexico *pag.* 151. *Add. A. C. Eschenbachii* Tractatus *de Unctionibus Gentilium Cap. III. pag.* 49.

(N.)

Nigrorum ordo, item *Nigromonachi*, denotat *Monachos S. Benedicti*, praecipue illos in principali Coenobio *Montis Cassiani* degentes, ac prae aliis S Benedicti Congregationibus seu Conventibus, strictissime illius piis Regulis & Institutis, idque quoad ipsum vestimenti pullatum colorem, inhaerentes; *Joachimus Hildebrandus* de Religiosis eorumque Ordinibus sub voce *Benedictini p.* 38.

Nonnus & *Nonna*, Vox AEgyptiaca est & denotat *Sanctum*, *Sanctam*, etiam aetate venerandum & venerandam, data solum Monachis vel Monialibus, prae aliis in Claustris suis uti sanctitate vitae, sic etiam aetatis gravitate eminentibus, ideoque dignis, ut aliis praeficerentur Monachis vel Monialibus. *Antonius Dadinus Alteserra* Originum Rei Monasticae *Lib. III. Cap. I. pag.* 136. *seq.* & *Lib. VII. Cap. I. p.* 361. ed. *Paris* 1674. 4. Quamvis autem hic honoris Titulus *Nonni* ac *Nonnae*, Initio, Saeculis VI. & VII., tributus fuit aeque viris ac foeminis, sanctitatem, id est Vitam Monasticam, professis, tamen hunc tandem solum Moniales Virgines sibi vindicarunt, utpote quae in hunc usque diem generatim Germanis dicuntur Nonnen / & Belgis, *Nonnetjes*, & Gallis, *Nonain*; *Nunnantes* quoque ex opinione *Goldasti* vocari apud neminem Med. aet. Scriptorum legi, neque ullibi unquam hanc expressionem me audivisse memini.

Notatus dicitur, aliqua nota infami, sive in fronte, sive manu, sive in alia corporis parte signatus, eoque a fidelium aliorumque honestorum hominum consortio exclusus. Hinc *notorium*, id est delictum publica delinquentis confessione, & hinc ei a Judice adjudicata nota, satis superque manifestatum. *Fr. Macri* in Hiero-Lex. Add. *Potterus* Archaeologiae Atticae *Lib. I. Cap. X. Tom. XII. Thesauri Antiq. Graecarum celeberrimi Gronovii.*

Nudipedales vocati Homines Religiosi, variorum ordinum, qui ex affectata pia devotione, non solum in sacris publicis, more antiquorum Sacerdotum AEgyptiorum, Hebraeorum, Graecorum, Romanorum, Celtarum, Bardorum, Gymnosophistarum, aliarumque gentium nudis incessere pedibus; verum etiam hoc extra Sa-

cra,

cra, extra suas Clausuras, per totam vitam, idque per nivem ac glaciem, adstrictissimumque hiemis frigus fecere, *Cynicorum* antiquissimorum, horumque capitum *Antisthenis* & *Diogenis* more. De Antiquis Nudipedalibus a Recentioribus imitatis, plura desiderantibus satisfacient *Franciscus Balduinus* de Calceo Antiquo, *Ant. Bynaeus* de Calceis Hebraeorum, *Hieronymus Mercurialis* de arte Gymnastica, *Johannes Lomyerus* de Lustrationibus Vet. Gentil. *Cap. XXXIII.* *Braunius* de Vestitu Sacerdotum Hebraeorum *Lib. I. Cap. III.* & denique *Caspar Sagittarius de Nudipedalibus Veterum* 1674. 4. emissa ac Vinariae 1683. recusa, imo iterum inserta Syntagmati Disputat. Philologicarum, Amstelodami.

(O.)

O*fficium Ecclesiae*, vel Ecclesiasticum, dicitur Ordo Sacrorum annuus; Diebus Dominicis & in omnibus Festis, Lectionibus Epistolarum & Euangeliorum, Precibus, Hymnisque publicis observandus, compositus primum a *S. Hieronymo*, & *S. Ambrosio*, & dein successu temporis variis additamentis a Pontificibus Romanis praecipue Gregorio I Seculo VI. adeo auctus, ut inde acceperit, hodieque adhuc obtineat Nomen *Ordinis Romani*, primarii fundamentalisque libri Ritualis Ecclesiae Romanae, cujus antiquissimum Seculi ni fallor IX., exemplar MSt. Membranaceum extat in amplissima elegantissimaque Bibliotheca Argentoratensi P. P. Societatis Jesu, quod mihi hanc anno 1717. visitanti monstravit ejus eo tempore eruditissimus Bibliothecarius Ven. Pater *Robinet*, Hispanus, se mihi una cum Collegii Praefecto Domino Vener. *P. Robin*, hodierni Regis Hispaniae quondam Confessionario, ob summam humanitatem, ac in re Literaria, imo omnis Eruditionis genere, scientiam maxime probans. Plura de Ordinis Romani Origine suppeditabit *D. Melchior Hittorpius* in erudita Praefatione praemissa editioni Coloniensi 1568. fol.

Ordalium, Genus probationis Innocentiae Judiciale, per aquam ebullientem ac ferventem, ita institutae, ut reus, vel maximi criminis accusatus, ferventissimae in amplissimo vase igni imposito ebullienti aquae manum denudatam cubito tenus immergeret, hacque extracta illaesa, neque quoad ipsam exteriorem cuticulam effervescente aqua aliquali solummodo contracta aut vulnerata, sic suam innocentiam comprobaret. *Andreae Welochii* Glossarium *Cantabrigiae* 1644. fol. editum *pag.* 20. sub voce *Alsetum* seu calefactorium: Personas illustres, imo Reges & Principes huic judicio, saeviente adhuc Seculorum Barbarie subjectos cum ipsa *Judicialis Processus forma* amplissime describit *Henricus Spelmannus* in Glossario a *pag.* 435., usque ad *pag.* 440. Confer supra *Ignis Purgamentum*, de quo in Auctore nostro *Hermanno* etiam hinc inde quaedam exempla occurrunt. Prohibitam autem a Papa Sylvestro II. hanc per candens ferrum & ferventem aquam Purgationem refert

Ivo Carnotensis Epistola XCI. ad Hildebertum Cenomanensem Episcopum, huncque dehortatur, ne se huic sibi injunctae aquae ferventis aut ferri candentis Purgationi submittat. Clar. JCtus *Fr. Juretus* in Notis ad has Epistolas Parisiis 1585. 4. a se editas *fol.* 48, 49, 50. plura exempla, nec non Exorcismi seu Conjurationis aquae calidae formulas exhibet.

Ordo Monasticus innuit certam Congregationem Virorum Religiosorum, seu Monachorum, Monasticae, i. e. Eremiticae (uti debebamus esse) vitae sese devoventium, idque vel secundum *S. Basilii M.*, vel *S. Augustini*, vel *S. Benedicti* aliorumque Regulas. *Hermannus* noster in hoc suo Chronico studiose observavit ac notavit Origines plurimorum Ordinum, E. gr. *Benedictinorum*, *Cisterciensium*, *Camalduensium*., *Praemonstratensium*, *Carthusiensium*, *Cluniacensium*, *Praedicatorum* seu *Dominicanorum*, imo & sui *Ordinis Franciscanorum*, seu *Minoritarum*, quem asserit anno MCCVI. a *Francisco Assisio*, anno aetatis sui XXV. sub Pontificatu Innocentii III. fuisse institutum, & ab ejus Successore *Honorio* demum confirmatum. Cur autem hi Religiosi Franciscani *Minores* dicantur, ideoque Hermannus noster Fratrem *Ordinis Minorum* se scribat, non addidit; neque ego veram certam primamque hujus Denominationis Originem hactenus inveni: quod se hi Monachi solum in humilitatis signum *Minores* id est *Ministros* appellaverint, fere omnium est opinio: Credo autem, me in *Hermanno*, recte tamen solum ab ipso tactam originem invenisse, in eo consistentem; quod *Franciscus* a summo Pontifice *Minor* habitus fuit quam *Dominicus*, statim & quidem duobus post annis, an. MCCVIII. post Franciscum, etiam ex aemulatione novas sui Ordinis Regulas condens, & haec sua nova Monastica Instituta dimidio anno prius, quam Francisci a Papa Honorio vidit approbata & confirmata, cum tamen haec a Fransisco, duobus antea annis Antecessori Honorii, nempe Innocentio III. erant ad confirmandam exhibita, uti *Hermannus* ad an. cit. scribit. Quia ita Franciscus Dominico revera prior, huic nihilominus est postpositus, & sic *Minor* Dominico a Papa habitus, ideo se *Fratrem Minorem* dixisse, aut ab aliis ita vocatum fuisse, conjicio. Nudas *Franciscanorum Soleas*, imo *Funiculum*, quo se cingunt, deducit ad An. 1281. *Hermannus* de *Soleis Christi*, in quibus crucifixus, & de *Funiculo Christi*, cum quo ex Templo Hierosolymitano Christus ejecit Mercatores. Plura de his suppeditabit *Bartholomaus Pisanus*, etiam Ord. Minorum, in Libro conformitatum Vitae Beati Francisci ad Vitam Domini nostri Jesu Christi *Lib. II fol.* 138. seq. editionis Mediolanensis anni 1513. fol. non autem 1510. ut existimat Clariss. *Petrus Baylius* in Diction. Hist. Crit. pag. 1202 not. F. Tom. II. C. Rapine Histoire Generale de Origine & Progres & Constitutions de S. Francois. Paris 1631. 4.

Organizare, notat juxta *Januensem*, canere Organo, & canere in modum Organi. Sumitur & passive *Organizari*, i. e. canticis harmonicis & laudibus extolli.

Orientem (ad) Vetus est excitandi formula, quam in Templis acclamabant Sacerdotes Fidelibus, preces peracturis, idque eum in finem, ut inter orandum faciem, oculos manusque verterent versus Orientem, seu Orientalem plagam In Missa *S. Graegorii* haec formula ita exprimitur; *Aspicite* ad *Orientem*; Et in Missa *Aethiopum* sic: *Aspicite ad Ortum.* In primitiva Ecclesia enim Orantes semper ad Orientem conversi precati fuere, uti constat ex *Justini* Quaestionibus ad Orthodoxos *Quaest. CXVIII. Clemente Alexandrino* Stromat. *Lib. VII. Tertulliano* Apolog. *Cap. XVI. Origine* in Numeros *Homilia V. Lactantio* Institut. *Lib. II. Cap. IX. Basilio. M.* in Tractatu de Spiritu S. *Cap. XXVII.* Tom. II. *Gregorio Nazianzeno Epistol. LXVI. Cyrillo Hierof.* catechoch I *Augustino* de Sermone Domini in Monte *Lib. II. Cap. V. Job. Damascenus* de Fide Orthodoxa *Lib. IV. Cap. XIII.*, vocat hunc versus Orientem orandi modum *Apostolorum institutum*, pro quo eum quoque habet *Dionysius Areopagita*, Hierarch. Eccles. *Cap. I. Sect. VI.* Ut autem hoc institutum eo curatius observaretur Sixtus III. Papa anno 362. Templa ita aedificanda constituit, ut tertia Templi pars Chorus, item Sacrarium dicta, in qua positum erat Altare, spectaret Orientem, quo coetus Ecclesiasticus a Sacerdote ad fundendas preces excitatus manus oculosque extenderet versus Orientem. Rationes, cur antiquitus Preces versus Orientem peractae fuere, fusius explicat *Joachimus Hildebrandus* in Libro de Veterum Christianorum Precibus *pag.* 9. *ad* 22. *Melchior Zeidlerus* in Exercitatione de Conversione Orantium ad Orientem §. *V.* & *seqq. Job. Baptista Casalius* de Veteris Ecclesiae Ritibus *Part. I. Cap. III. pag.* 29. *seqq. Jacobus Gottenius* in Observationibus Ecclesiasticis *Lib. I. Cap. V. Hugo Menardus* in librum Sacram. Gregorii I *pag.* 69, 70, 71. *J. C. Suicerus* Sacr. Observat. *Cap. VI. p.* 149. *seq.* & *Job. Stephanus Menochius* de Republ. Hebraeorum *Lib. II. Cap. IV.* & praeprimis illustris JCtus *Hannibal Fabrottus* in Notis in Tit. Cod. Theodos. de Paganis, Sacrificiis ac Templis, *pag.* 15, 16. ed. Parisiis 1618. 4.

Osculum Pacis, etiam *osculum sanctum* dictum, vocabatur in antiqua Ecclesia illud osculum, quod in Missae seu S. Eucharistiae administratione dabant sibi invicem non administrantes Sacerdotes solum, verum etiam ipsi Fideles, sive ipsi S. Communione utentes, sive huic saltem precibus ac laudum canticis praesentes; idque in Symbolum veri amoris fraterni, sanctae conjunctionis mutuae, ac sincerae reconciliationis, pacisque cum Deo spiritualis. In quibusdam Ecclesiis haec pia, cum pacis apprecatione, exosculatio peragebatur ante ipsum S. Communionis actum, in aliis autem demum hoc finito & in dimissione Ecclesiae. Primum obtinuit hic mos in Ecclesia Graeca, ex qua autem tandem, ex *Hermanni* nostri mente, eundem in Ecclesiam Occidentalem transtulit Papa *Innocentius* I. Quod attinet hujus osculi pacis primam originem, modum ac cautelas, exhibet has *Johannes Baptista Casalius* de Veteribus Sacr. Christianorum Ritibus *Cap. LIX.* toto; *pag.* 236. seq. *Albaspinaeus* de Veter. Ecclesiae Ritibus *Lib.* 1. *Observat. XVII. Georgius Goëzius* de *Osculo artic. II.* §. *9. pag.* 16. *seq.* Hugo *Menardus* in Notis in *Libr. Sacram.* Gregorii I. *pag.* 376. *seq.* & *Johannes Friederici* in Liturgia Vetere ac Nova *Cap. IV. pag.* 64. *seq.*

seq. Armenios, Ecclesiae Orientalis sectarios, in hunc usque diem in sacris suis publicis matutinis hoc osculo pacis adhuc uti, ipse vice plus simplici vidi, quando interdum Amstelodami sacris illorum interfui. Osculum hoc sanctum primorum Christianorum ansam gentilibus dedisse calumniandi Christianos ut voluptuosos, incestui, promiscuisque venereis commixtionibus deditos, ex *Origine* & *Clemente Alexandrino* probat *Wilhelmus Ernestus Tenzelius* in Exercitationibus Selectis *part. II. pag.* 327. & *Caspar. Calvörius* in Rituali Ecclesiastico, *Part. I. Lib. II. Sect. I. Cap. V. pag.* 356.

Oxybaphium, locus in quo vestes Magnatum sunt purpura tinctae; *Carolus du Fresne* in Constantinopoli Christiana *Lib. II. Cap. XVI. pag.* 175. *Tom. II.* Historiae Byzantinae, ed. Paris. 1680. fol.

(P.)

Palla, dicitur a palliando obtegendo, significatque vel mappam lineam, qua altare tegitur, vel corporale, quo calix cooperitur. Quodque ideo *palla corporalis* appellatur, uti apud gentiles olim istiusmodi operimenta Altarium ab eorum palla vocabantur etiam *pallae Deorum*, notante hoc Cl. *Brouckhusio*, in Notis ad Tibullum *pag.* 398. Pallam S. Gregorii ex speciali miraculo in Missa cruentatam possidet exhibetque cum aliis Reliquiis Monasterium Stradense, in Aquitania situm, & Anno DCCCXXVIII. a Wifredo Comite Bituricensi fundatum, uti constat ex *Johannis a Bosco* Bibliotheca Floriacensi, Lugduni 1605. 8. edita, *Part. II. pag.* 35. Modum ad lavandam pallam exhibet *Edmundus Martene* de Antiquis Ecclesiae Ritibus *Lib.* I. *Artic. IX. Cap. III. pag.* 337. *Tomi I.* edit. cit. Rhotomagens.

Pallium Archi-Episcopale, est sacri vestimenti species, antiquitus & tribus prioribus seculis solum propria personis sacris, nempe Ascetis & Presbyteris, uti pluribus probat *Claudius Salmasius* in *Tertulliani* Librum de *Pallio*, *pag.* 63. *seqq.* ubi simul in originem hujus vestimenti inquirit, hancque a vestitu veterum Ægyptiorum Sacerdotum, nec non Philosophorum Cynicorum deducit. Sed pullata eo tempore solum erant pallia, ac oblonga, ut totum corpus tegerent, & contra injurias aëris & tempestatum munirent. Sequioribus temporibus hoc vestimenti exterioris genus sibi soli vindicarunt Pontifices, sed in alia forma, nempe decurtata; alioque colore, & quidem triplici, candido, purpureo & nigro ornatam: ideoque *Tribalton* vocatam. Ordinarium hoc pallium Papae publicis officiis fungentis superhumerale est vestimentum, & ab eo ex speciali initio gratiae & in signum distinctionis concessum optime meritis Archiepiscopis,

pis, Patriarchis & Metropolitis & quidem *gratis*, uti hoc *Hermannus* noster sub *Leone II. ad. an.* 676. asserit. Sed quot & quantas post Leonis II. tempora auri & argenti summas pro hoc Archiepiscopis, imo dein in majus Fisci Apostolici incrementum, etiam Episcopis, injuncto & necessario petendo Archiepiscopali & Episcopali ornatu hujus pallii, Aula Romana, renitentibus licet tot Archiepiscopis, imo regnis ac provinciis, Gallia praecipue ac Germania, acceperit, & in hunc usque diem contrahat, monstrant pluribus *Hermannus Conringius* de *Episcopis* Germaniae *Num. XXXV. Marcus Antonius de Dominis* de Republica Ecclesiastica *Lib. III. cap. II. pag.* 501. seq. *Tom. I. Petrus de Marca* de Concordia Sacerdotii & Imperii *Lib. VI. cap. VII. pag.* 813. *seq. Ludovicus Thomassinus* in Veteri & Nova Ecclesiae Disciplina *Tom.* I. *Part.* I. *Lib. II cap. LV. pag.* 398. *seq. Antonius Matthaeus* in Manuductione ad Jus Canonicum *Lib. I. Tit. X. a pag.* 56. *ad* 64. *Caspar Zieglerus* de Episcopis eorumque juribus ac privilegiis *Lib. II. cap. X. pag.* 464. *seq.* nec non celeberrimus *Justus Henningius Böhmerus* in Jure Ecclesiastico *Tom. I. Lib. I. Tit. VIII. pag.* 350. seq. Pallii hujus compositionem, benedictionem, varium usum, dignitatem ac praerogativas fuse satis exhibent *Fratres Macri* in Hierolexico *a pag.* 432. *ad* 435. Formam Pallii ejusque mysticam significationem enarrant *Amalarius*, Archiepiscopus Trevirensis de Ecclesiasticis Officiis *Lib. II. cap. XXIII. pag.* 171. ed. Coloniens: nec non *Isidorus Pelusiota* Epistolarum *Lib. I. Epist. CXXXVI. pag.* 54. ed. Paris; 1585. fol. Lubet interim, adhuc addere solennem hujus Pallii Collationem ex *Pontificali Romano Partis. I. fol.* 38. edit Venetae Juntarum 1582. fol. reg. quia nemo praedictorum Scriptorum hanc caeremoniam ita tetigit, & *gravissimum* a palliando Archiepiscopo *juramentum*, quo Curiae Romanae firmissime obstringitur, addidit, & hoc etiam neque in Caeremoniali *Romano*, nec *Episcoporum*, neque *Castaldo* reperitur, eique hoc solum vera satis politica ratio Curiae Romanae in collatione hujus Pallii, se manifestat, aliis autem occultanda. Sic itaque hunc Actum *Pontificalem* loc. cit. describit: *Cum Pallium a sede Apostolica ad quempiam Patriarcham, sive Archiepiscopum mittitur, Episcopi quibus res ipsa committitur, statuto die cum ipso electo Patriarcha*, vel *Archiepiscopo conveniunt in Ecclesia sua Metropolitana, si commode fieri potest; vel alia Ecclesia suae Dioecesis magis commoda, in qua Missarum solennia peraguntur. Et facta Communione per celebrantem, Pallium reponitur supra medium altaris extensum & zandali, sive serico, in quo involutum portatum fuit, coopertum. Deinde peracta re Divina, Episcopi ipsi induti amictu, Stola pluviali & Mitra simplici, sedentes ante altare super Faldistoriis, aut sedilibus, capiunt juramentum fidelitatis, nomine Sedis Apostolicae, ab ipso electo Patriarcha vel Archiepiscopo, omnibus Pontificalibus paramentis, ac si celebraturus esset, Mitra tamen & Chirothecis demtis, induto, ante se genu flexo, juxta formam per literas Apostolicas eis traditam, quae haec est.*

„ Ego N. Patriarcha vel Archiepiscopus N. ab hac hora in antea, fidelis &
„ obediens ero B. Petro, Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae, ac

 „ Domi-

„ Domino nostro, Domino N. Papae N. ejusque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, aut consessu, vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu quaedam capiantur mala captione. Consilium vero, quod mihi credituri sunt, per se aut per nuncios, seu literas ad eorum damnum nemini prodam. Ad retinendum & defendendum Papatum Romanum, & Regalia S. Petri adjutor eis ero; salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina, Romana Curia existente citra, singulis annis, ultra vero montes singulis bienniis visitabo aut per me, aut meum nuncium, nisi absolvar Apostolica licentia. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiae meae, inconsulto Romano Pontifice."

Ad haec senior dictorum Episcoporum in gremio suo librum Evangeliorum ambabus manibus apertum tenens, inferiore parte libri Electo versa, ab eo praestationem hujusmodi juramenti recipit, & Electo Patriarcha vel Archiepiscopo adhuc coram eo genu flectente dicente: Sic me Deus adjuvet, & haec Sancta Evangelia. *Tum Episcopus respondet:* Deo Gratias. *Juramento praestito Episcopi surgunt cum Mitris, & ambo, simul Pallium hinc inde de altari recipientes, senior eorum solus illud super humeros electi Patriarchae vel Archiepiscopi adhuc ante se genuflexi imponit; dicens:* Ad honorem Omnipotentis Dei, & B. Mariae semper Virginis, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli, Domini nostri Papae N. & Sanctae Romanae Ecclesiae, nec non Ecclesiae N. Tibi commissae, tradimus Tibi Pallium de Corpore Beati Petri sumtum, in quo est plenitudo Pontificalis officii, cum Patriarchalis vel Archiepiscopalis nominis appellatione, ut uteris eo intra Ecclesiam Tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis; in Nomine ✠ Patris & Filii & Spiritus S. Amen.

Quo dato surgit Patriarcha vel Archiepiscopus cum Pallio, & ascendens ad Altare, crucem suam ante se habens, detecto capite benedicit populo solenniter dicens: Sit nomen &c. *Qua benedictione data, dimissis in Ecclesia paramentis, omnes ad sua revertuntur.* Et hisce Caeremoniis absolvitur ita solemnis haec Pallii collatio. Quae porro in Pontificali in duobus subsequentibus columnis *fol.* 38. *B. b.* & *fol.* 39. *A. a.* de Pallio extant, & expressa sunt, concernunt solummodo Palliatorum Praerogativas, prae aliis Archiepiscopis vel Episcopis illo non ornatis; nec non stato tempore, vel solennes dies, quibus Archiepiscopus vel Patriarcha, & quidem solum in sua Provincia seu Dioecesi, non autem extra illam, Pontificali hoc pallio uti potest, ex quibus primarii sunt Festa annua majora Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, & Ascensionis Domini, Pentecostes & quaedam alia Festa, Mariana & Apostolorum, diesque

solen-

folennes. Add. *Caeremoniale Episcoporum* Lib. I. Cap. XVI. *pag.* 29. *seq.* editionis Taurinensis 1602. 4.; nec non *Andreas Pistara Castaldus* in Praxi Caeremoniarum seu Sacrorum Ecclesiae Romanae Rituum *Lib. I. Sect. X. pag.* 138. *seq.* editionis Sulzbacensis 4.

Palmarum Dominica. Haec Dominica in Ecclesia Romana prae aliis diebus Dominicis ita se effert, uti palmae ipsae altitudine & pulchritudine sua transcendunt omnes alias arbores, idque juxta *Durandum* in Rationali Divinor. Officiorum *Lib.* 17. *Cap. XCIV. fol.* 349. *b.* edit. Venetae 1668. 4., quia (1.) hac die filii Israel Terram Promissionis ingressi sunt, & siccis pedibus Jordanem transierunt. (2.) Quoniam hoc die Jesus de Bethania veniens in Hierosolymam, maximo honore & applausu cum ramis palmarum, docente Johanne Cap. XII. exceptus est. (3.) Quia hac die Christus Hierosolymitanum Templum purgavit; potentissime ex illo ejiciendo vendentes. Et (4.) quia in hac die a Pontifice Romano Palmae, seu horum loco rami ex buxo vel lauro, perpetuo virente, benedicuntur, dein ab illo per Magistrum Caeremoniarum, Cardinalibus, Praelatis aliisque Magnatibus, imo omni praesenti populo distribuuntur eum in finem, ut cum his, ad imitationem populi Judaici, instituant in honorem Christi, publicam laetam Processionem, cantando *Hosannah*, item hymnum a *Theodolpho, Aurelianensi Episcopo*, narrante *Hermanno* ad *An.* 815. *Gloria, Laus & Honor.* Modum Benedictionis ac Distributionis harum sic dictarum Palmarum, nec non Processionis publicae solennis, exhibent *Fratres Macri* in *Hiero-Lexico* sub voce *Palmarum*, *Castaldus* in Praxi Caeremoniarum, *Lib. III. Sectione V. Cap. III. & IV. pag.* 387. *seq.* & praecipue *Caeremoniale Romanum*, *Lib. II. Cap. XXXIX. fol.* 151, 152, 153, 154., editionis Venetae apud Juntas 1582. 4. Reg. Palmarum hoc festum jam Seculo IX. fuisse celebratum notat noster *Hermannus* ad *An.* 815.

Pantheon, quod narrante nostro *Hermanno* ad An. 604. *Phocas* Imperator Papae Romano dedit, fuit Templum omnium Deorum, ex nimia superstitione Romae à M. Agrippa erectum, Jovi Ultori & omnibus Diis, ut in eo cultus praestaretur omnibus Diis sive notis, sive incognitis, pluribusque descriptum à *Famiano Nardino* in Roma Veteri *Lib. VI. Cap. IV. Tom. IV. Antiq* Roman. *Graevii*, *Joh. Baptista Casalio* de Urbis in Romam. Imp. splendore *Part. III. Cap. VI.* pap. 397. ed. Romae 1650. fol. *Justo Lipsio* de Magnitudine Romana, *Lib. III. Cap. VI.* Tom. III. operum edit. Vesaliae 1675. 8. Reg. Thysio aliisque. Hoc Pantheon seu omnium Deorum Gentilium Templum a quisquiliis Paganismi purgavit, & in Mariae Virg. & omnium Martyrum honorem consecravit Papa *Bonifacius IV* anno DCX., & dein in honorum omnium Sanctorum *Gregorius IV*, qui simul omnium Sanctorum Festum instituit. Templum hoc vocatur hodie *Maria Rotunda*, ejusque conversionem in cultum Sanctorum omnium pluribus docent *Franciscus de Albertinis* in omnium rarissi-

mo

mo libro de Mirabilibus Veteris ac Novae Urbis Romae, *Lib. II. Capite de Templis*, editionis *Romanae* per Mazochium Romae, 1510. 4. *Flavius Blondus* in Roma Instaurata, *Lib. III num. 62. fol.* 24. b. editionis Venetae 1503. fol. & *Fioravantus Martinelli* in Roma ex Ethnica Sacra, *pag.* 237, 238. edit Romae 1668. 8. Miracula nova consecratione hujus Templi peracta idem *Martinelli* l. c. *pag.* 239. *seq.* ex antiquo codice Vaticano simul exhibet.

Papa vox est Ecclesiastica & Nomen honoris, tributum antiquitus Antistitibus Ecclesiasticis, Patriarchis & Episcopis, estque Origine Syriaca notans *Avum*, seu *Patrem Patrum*. Primo Nomen hoc tributum est in Orientali Ecclesia hujus Episcopis, praecipue vero Patriarchis, interque hos in signum eminentiae Patriarchae Alexandrino, uti hoc docet ipse Patriarcha Alexandrinus *Eutichius* in Ecclesiae suae Originibus a *Johanne Seldeno* Londini 1642. in 4. evulgatis, ubi ita *pag. XXXIV*. Eutichius scribit: *Cum Homines audierant vocitare Patriarcham Abba seu Patrem, inter se dixere: Nos Episcopum quemlibet Abba, seu Patrem appellamus, & appellant Episcopi Patriarcham Abba; Unde sane oportet, ut vocemus nos Patriarcham Papam, id est avum, cum sit Pater Patrum. Ita à tempore Heraclae Patriarcha Alexandrinus dictus est Papa, id est Avus.* Ex Graeca Ecclesia hoc venerandum *Papae* vel *Avi* nomen defluxit quoque in Occidentalem Ecclesiam, & venerandos ejus Antistites, quos *Papae* titulo quoque insignitos fuisse docet laudatus *Joh. Seldenus* in suo in Eutichii Origines erudito Commentario *Cap. XXI.* pag. 139. *seqq.* Licet vero Nomen *Papae* initio commune fuit omnibus Episcopis tam Orientalibus quam Occidentalibus, tamen dein hoc sibi ut *proprium solum* Romani Pontifices prae aliis vindicarunt, idque praecipue *Seculo XI.* Papa *Gregorius VII.* uti hoc ex *Baronii Martyrol. Rom. Ferrario Lib. III.* Epist. *Ignatio Braccio* de Etymologia *Papae*, *Th. Raynaudo*, *Azorio*, aliisque, magno studio probare nititur, *Abrahamus Ecchellensis*, Maronita & Stipendiarius Romanus, in *Eutichio Vindicato*, *Part. II. Cap. XII. pag.* 96. *seqq* edit. Romae 1661. 4. ex Typographia Congregationis de Propag. Fide. Confer. *Emanuelis à Schelstrate* Antiquitas Ecclesiae, *Tom. II. Dissert, VI.* de Jure Patriarchatus Romani, *Cap. IV. Artic. II. pag.* 456. edit. Romae 1697. fol. item *Matthiae Larroquani* Adversaria S. *Lib. II. Cap, VI. pag.* 242. *seqq.* ed. Lugduni Bat. 1688. 8.

Paramenta, vocantur ornatus Ecclesiasticus, omnesque ad hunc pertinentes vestes, *Lydius* in Gloss. sub hac voce. Paramentorum Missae, seu vestium, quibus indutus Presbyter Missam celebrat, significationem mysticam exponit *Bartholomaeus Corsettus* in Praxi Sacrorum rituum ac caeremoniarum à *pag.* 661. ad 666. ed. Bruxellis 1656. 12.

Parentela, *Parentalitas*, derivatur à Parente, denotatque unius Familiae universam cognationem & consanguinitatem, quia vox parens etiam accipitur pro parente vel

vel consanguineo. *Januensis* sub voce *parens*. Galli Barbara hac voce adhuc utuntur, ideoque nominant consanguineum *un parent*, & consanguinitatem *parente*. Belgae quidam hanc vocem exprimunt per *parentage*.

Pasagium it. *Passagium* significat equidem in genere transitum, iter; in specie autem in nostro *Hermanno*, transitum Christianorum in Palaestinam, armata manu contra Saracenos institutam, seu *expeditiones*, (uti a signaculo Crucis a militibus inde *Cruciferis* dictis, accepto vocantur,) *Cruciatas seculo XI. & XII.* exhortationibus ac persuasionibus Pontificum Romanorum, praecipue horum Legati *Pauli Eremitae* incoeptas, quorum *prima* jam Anno 1096. ductu *Godofredi Boullionnei* ejusque fratris *Balduini*, Ducum Lotharingiae fortissimorum satis feliciter est instituta: Cui *secunda* in medio *sec. XII.* auctore Ludovico III. Galliarum Rege sed minori fortuna, successit; hancque demum *Anno* 1188., instinctu Papae Clementis III. *tertia* Auctoribus, & Ducibus Imperatore *Frederico I.* seu Barbarossa, & *Richardo* Angliae Rege, subsecuta est, quamque proprie intendit *Hermannus* noster, quando ad vivum *hoc magnum passagium*, seu magnam hanc bellicam expeditionem, contra Saracenos, contradicente, & mala inde subsecutura augurante pio Abbate *Joachimo*, delineat. Eventum vero hujus expeditionis infelicem respondisse augurio Joachimi, discimus ex *Matthaeo Parisiensi* in Historia Rerum Anglicarum *Ad an.* 1191. *& seq.* porro *ex Expeditione Asiatica Friederici I.* extante *Tom. V.* Antiquarum Lectionum *Henrici Canisii* edit. Ingolstad. 4. *Benedicti Accolti Aretini* de Bello Sacro pro Judaea & S. Sepulcho recuperandis *Lib. II.* ed. Florentiae 1530. 4; & *Ivonis Du Chatii* Belli S. adversus Barbaros gesti *Narratione II.* Confer. *Maimburgii* Histoire des Croisades pour la delivrance de la Terre Sainte. ed. Paris. 1642. 2 Tom. 4.

Paschalis Cereus; magna cerea ex cera candidissima conflata candela est, quae in Sabbatho S. Paschatis una cum aliis majoribus & plurimis minoribus, à Papa vel ejus Diacono, benedicitur, idque ut *Hermannus* noster ad an. CCCCXXII., narrat ex institutione Papae *Zosimi*. Forsan accensio horum cereorum in Ecclesia primitiva Christiana descendit cum aliis pluribus ritibus ex Synagoga Judaica, quae Paschale festum noctu celebrans, occasionem dedit Christianis, in hujus memoriam etiam faces seu candelas accendere cereas, uti conjicit vir doctissimus *Johannes Faës* in libro de Cereis Baptismalibus veterum Christianorum *Lib. III. Cap. XII. pag* 166. *seqq.*, ubi simul de Paschali *cereo* plura commentatur, ejusque originem ultra Zosimi tempora extendit, erudite tamen simul ostendit *Prudentii* sec. IV. scriptoris *Hymnum V. Cathemerinon* minime huc spectare. Quomodo autem, quem in finem Paschales consecrati Cerei, quibusve virtutibus post consecrationem gaudeant, quomodo Neophytis, seu in Paschalis festo baptizatis per 7. dies gestandi, dati fuerint, illorumque mystica seu symbolica sit interpretatio, interpretantur *Alb. Flaccus Alcuinus* de *Divinis Officiis fol.* 66.; *Drepanius Florus*, seculi V. Poëta Christianus variis hymnis clarus, in *Hymno* de Cereo Paschali, *pag.* 669. *Tom. VIII.* Bibliothecae Max. Patrum edit. Lugduni 1677. fol. XXVII. Tomis; *Walafridus Strabo*, sec. IX. scriptor, de Rebus Ecclesiasticis *Cap. XXX. pag.* 198. *Tom. XV.* dictae Biblioth. Max. Patr. *Ennodius*, Ticinensis Episcopus, Epistolarum *Lib. I. Epistol. XI* ad Firminum, *pag.* 25—29., ex editione *Andreae Schotti*, Tornaci 1611. 8. Reg. *Guilhelmo Durando*, in Brevi Explicatione Divinor. Offic. *Cap.*

(††††) *CVIII.*

CVIII. CIX. fol. 351. *Castaldo* in praxi Caeremoniarum Rom. Eccles. *Lib. III. Sect. VIII.* pag. 428. *seq.* *Joachimo Hildebrando* in Rituali Baptismi Veteris, *pag.* 93. 94. *Josephus Vice-Comes* in Observationibus Ecclesiasticis antiquis Baptismi Ritibus ac Caeremoniis *Lib. IV. Cap. I. pag.* 573. 574. edit. Parisiis 1618, 8; ubi auctor simul observat, hunc cereorum in baptismate ritum antiquum adhuc locum habere in Ecclesia Salisburgensi & Mediolanensi. Addatur denique *Edmundus Martene* de Antiquis Ecclesiae Ritibus, *Lib. I. Articulo XVIII. ord. XVI. pag.* 200. *seq. Tom. I.* edit. Rotomagi 1700. 4. 2. Tomis. Ex cera alba hujus benedicti & consecrati cerei Paschalis dein confectae sunt cereae icunculae, Sigillo Agni impresso ornatae, ideoque *Agnus Dei* dictae, quia typus erant Christi ut innocentissimi Agni, pro nobis passi, crucifixi ac ex mortuis resurrecti. Hoc agni signo notatae minimae cereae imagines initio datae sunt fidelibus, praecipue neophytis, seu recens baptizatis, eum in finem, ut horum ex collo usque ad pectus dependentium aspectu, sibi in memoriam revocarent (1) Christi aeternum amorem, in eo se manifestantem, quod ut agnus, licet innocentissimus, pro peccatis nostris, ad occisionem ductus, imo occisus jam ab origine mundi. (2) Ex hoc aspectu discerent imitari Christi ut agni innocentiam, sanctitatem, puritatem, patientiam, amorem, mansuetudinem, humilitatem, aliasque virtutes, uti hoc fusius ac eleganter docet *Caesar Rasponus* de Basilica Lateranensi *Lib. II. Cap. VIII. pag.* 142. 143. *seq.* & tamen simul notat abusum horum Agnorum Dei, successu temporis pro amuletis adversus Fascinorum praestigia aliaque mala habitorum. Adducit *pag.* 146. JANI VITALIS Carmen de virtutibus hujus *Agni Dei* a Pontifice consecratae imagunculae, quod, ut alibi non occurrens, ex raro hoc *Rasponi* opere, non piget hic addere:

Candida cera Dei Divini ope Numinis Agnos
Agnos novellos conficit.
Adduntur succo mox balsama pinguis olivi,
Et Lympha puri gurgitis:
Conceptis verbis, arcano & munere sacrat
Romanus illos Pontifex.
Et quia designant nobis mysteria summi
Agni Deorum Principis,
Restituit nobis proprio qui funere vitam;
Agni, rogat Vicarius,
Ventorum ut rabiem excutiant, pelagique procellas,
Ictusque frangant fulminum;
Ut stygios nostris pellant à sedibus hostes;
Ut foeda tergant crimina.
Cunctantem educant utero de sospite foetum;
Matris dolores abnegent.
Flammarum extinguant incendia dira, bonisque
Opes Honoris augeant.

Prae-

Praeterea tollant horrenda pericula mortis,
Mortis repente concitae.
Sit Victor quisquis pugnans, dat laudis honores
Agnis Novellis debitos.
Exorent nobis Divini Numinis auram
Opis, sequestres coelitum.
Omnia fint votis nostris, atque omnia possint,
Culti fideli Spiritu.
Ut sunt in se ipsis pars totum quaelibet, utque est,
Totum illud absque partibus.
Haec rogat, & sanctis undis simul abluit Agnos,
Pastor Gregis mortalium. *

Modus consecrandi Agnus Dei fuse describitur in *Caeremoniali Romano* & quidem *Lib. I. Sectione VII. Cap. VIII.* fol. 62. 63. & 64.

Passionale, item *Passionalis*, liber ad quem toties *Hermannus* Lectorem remittit, juxta *Du Fresne* in Gl. M. L. sub voce *Passionalis*, *passionarius*, nihil aliud est quam *Martyrologium* antiquum continens passiones & acta S. S. Martyrum, distinctorum per singulos anni dies, quod jussu *Gregorii M.*, uti ex ejus Epistolis *Lib. VII. Epist. XIX.* inde quidam colligere volunt, compositum, eum in finem, ut non solum legeretur in Festis Martyrum publice in Ecclesia, verum etiam privatim in dies à Clericis, praecipue Monachis. *Guilhelmus Durandus* in Rationali *Div. Off. Lib. VI. Cap. I.* §. 29. *fol.* 167., hoc institutum & *Passionalis*, seu ut scribit, *Passionarii* compositionem adscribit Papae Anthero, qui ideo huic libro nomen *Martyrologii Romani* dedisse videtur. Hoc antiquum Romanum Martyrologium primum ex antiquo MSto edidit Antwerpiae 1613. fol. *Henricus Rosweydus*, Soc. Jes. Quia vero nimium breve est, & solummodo in eo nomina Martyrum cum diebus ac locis Martyrii designantur, *Ado*, sec. IX. Archiepiscopus eruditus Viennensis in Gallia, & aliis scriptis, praecipue *Breviario Chronicorum de VI. Mundi Aetatibus* clarus, hoc illustravit commentario ex Floro, Beda, Actis Sctorum & Martyrum composito, in quo acta uniuscujusque Sancti ac Martyris qualibet die in Kalendario notati, breviter exponit, non autem initium ducit à Kalendis Januarii, sed à Vigilia Nativitatis Christi, idque ex antiquissimo Romanae Ecclesiae ritu, quae anni Epocham olim habuit Nativitatem Christi, & ab hujus Vigiliis annum auspicabatur. Recusum hoc *Romanum* & *Adonis Martyrologium* est, proditque multo nitidius Parisiis 1645., fol. sed non serena fronte susceptum a Galliae eruditis, praecipue ab oculatissimo Viro *Henrico Valesio*, utpote qui huic insurrexit peculiari brevi quidem sed erudita 1651. primum Parisiis impressa Dissertatione; *De Martyrologio Romano* quod *Rosweydus edidit*, in qua hoc *Martyrologium Romanum* nullum ac mere suppositium esse evincit, quamque Dissertationem addidit, seu potius subjunxit suis *adnotationibus* in *Eusebii Historiam Ecclesiasticam* à se editam *Parisiis* 1671. fol. Hac *Valesiana* contradictione tamen non obstante, dictum antiquum Roman. Martyrologium in *Adonis* Martyrologio insertum est *Tom. XV. Bibliothecae Max. Patrum ed.* Lugduni 1677. fol. Clar. *Valesius* in laudata Dissertatione nullum agnoscit *Martyrologium Romanum*, nisi

 illud,

illud, quod denuo ex mandato *Papae Sixti V.* est compositum, & dein jussu Gregorii XIII., sub nomine *Martyrologii Romani* primum est evulgatum ac pereruditis notis illustratum ab Eminentissimo Cardinale *Caesare Baronio* Antwerpiae 1618. fol. recusumque est Parisiis 1645. fol. praemisit *Baronius* huic Martyrologio eruditam Dissertationem, in qua agit de Antiquioribus Martyrologiis, & quidem *Cap. V. VI. VII.* de Martyrologio *Eusebii Pamphili*, quod Graece scriptum transtulit B. *Hieronymus*; sub cujus nomine etiam circumfertur, licet non auctor, sed interpres modo Hieronymus sit. *Cap. IX. Baronius* recenset *Bedae* Martyrologium, & *Flori*, Monachi Benedictini notas in illud, nec non *Usuardi*, Monachi etiam Benedictini Parisiensis, circa an. 870. florentis Martyrologium, quod uti ipse fatetur, ex *Hieronymo*, *Beda*, *Floro*, aliisque Actis Sanctorum composuit, idque hortatu Imperatoris *Caroli II.*, Calvi cognominati, & ut ego suspicor simul ad imitationem *Adonis*, coaetanei, qui ut supra notatum 10., vel 15. antea annis, eandem in conficiendo Martyrologio operam navaverat. Edidit hoc *Usuardi* Martyrologium primum *Johannes Molanus* Lovanii 1568. & 1573. 8., recusumque est, castratum tamen & incompletum, Antwerpiae 1583. 8. Ex judicio *Ellies du Pin* dans *Nouvelle Bibliotheque des Auteurs Ecclesiastiques Tom. XVI. pag.* 133. Tandem, cum alio antiquo Martyrologio editum est Lucae 1668. fol. à Franc. *Maria Florentinio.* Interim adhuc aliae Martyrologii Romani editiones praeter allegatam Antwerpiensem 1613. & Parisiensem 1645. 8., indicandae sunt, nempe duae recentiores uno anno, nempe 1709. publicatae. Prima est Latina, & gaudet hac rubrica: *Martyrologium Romanum Gregorii XIII. jussu editum, & Clementis X. auctoritate recognitum: accessit eorum memoria, qui à summis Pontificibus usque ad Clementem XI. in Sanctorum Numerum relati sunt. Venetiis* 1709. 4. secunda ejusdem hujus anni editio Gallica est, editaque sub seq. titulo: *Martyrologe universel contenant le Texte du Martyrologe Romain, traduit en François, & deux additions à chaque jour des Saints, qui ne s'y trouve point.* Paris 1709. 4. Interim omnibus Martyrologii Romani editionibus palmam praeripit prima illa laudata Antwerpiensis Baroniana editio anni 1613., fol. quae se, ut splendore, ita simul hodie raritate eruditis maxime commendat. Non existimandum vero est Ecclesiam Romanam, hoc unico Generali Martyrologio solum uti: Nam praeter hoc & peculiaria Regna, provinciae, ac praecipue Ordines Ecclesiastici habent sua specialiora Martyrologia. *Hispanicum* Martyrologium composuit, & VI. Tomis Lugduni 1651. & annis seq. fol. emisit. *Th. de Salazar*, Hispanus. *Andreas Saussay*, Martyrologicum *Gallicanum* edidit Parisiis 1637. fol. & *Rhotomagense* lucem vidit Rhotomagi 1680. 4. *Parisiensis Ecclesiae* Martyrologium examinavit clar. *Johannes Launojus* peculiari scripto, quod *Judicium de Parisiensis Ecclesiae Martyrologio* vocat ediditque *Parisiis* 1671. 8. *Germanicum* Antiquum debemus *Martino Fried. Beckio*, ed. Augustae Vindelicorum 1687. 4. *Batavicum* Martyrologium publici juris fecit *Petrus Opmeyerus* Coloniae Agrippinae 1625. 8. Ordines Ecclesiastici habent quoque sua singularia Martyrologia. *Franciscanorum* Martyrologium *Arthurus* à *Monasterio* Parisiis 1638. emisit, quem secutus *Thomas Bouchier*, Duaci 1649. 4. item publico dedit, *Fratres Minores calamo & sanguine pro Fide certantes.* Praedicatorum, seu *Dominicanorum* ordinis Martyrologia luci exposi-

posita sunt Venetiis 1582. fol. & Romae 1615., 4., quod ultimum tamen solum generalis Martyrologii usum apud Dominicanos complectitur. *Cisterciensis* ordinis Martyrologium impressum est Parisiis 1689. 8. Nec *Patribus societatis Jesu* desunt suae societatis Martyrologia. Primum, quod vidi, est *Petri Morini*, Galli S. J. cui nomen dedit, *Historiae Martyrum Japonicorum Soc. Jesu* ab anno 1612 ad an. 1620. impressum Parisiis 1624., 4., & continuatum ad annum 1622. à *Garcia Garces*, Hispano soc. J. uti vidi ex Bibliotheca Jesuitica *Philippi Alegambe*, *pag.* 287., editionis Romanae 1676. fol. Et idem hic clar. *Alegambe*, Bruxellensis patria, S. J. desudavit in eadem materia, scribendo: *Mortes illustres PP. S. J. occisorum in odium fidei*, quod ex magnifica inpressione prodiit Romae 1657. fol. pressit in hoc opere *Alegambe* vestigia socii sui *Johannis Nadasi*, vel Nadasti, Ungari, qui quoque initium fecerat publicare *mortes illustrium Virorum societatis Jesu* ab anno 1647. idque Romae eodem anno in 4: sed *Alegambe* suo eleganti opere, hoc *Nadasi* longe vicisse, dabit ipsa horum duorum operum inter se instituta collatio. Sed missis tandem omnibus hisce Martyrologiis vel Passionalibus, dicendum nunc est ad illustrationem *Hermanni* nostri, ad quodnam Passionale toties Lectores suos ablegavit. Paucis dicam: Non ad antiquissimum *Romanum*, quod nimis decurtatum; neque ad *Adonis* aut *Usuardi* Martyrologia, secus horum, ut aliorum, quibus usus est, Auctorum aliquando in opere suo mentionem fecisset; sed ad *Jacobi de Voragine*, Archiepiscopi Genuensis, in fine seculi XIII. florentis *Legendam Auream* de Vitis Sanctorum, quae etiam *Passionale* dicebatur, & sub hoc titulo edita est Basileae 1493. fol. Titulus hujus editionis hic est: *Jacobi à Voragine Legenda, seu Passionale Sanctorum.* Et rem ita se habere, & *Hermannum* digitum in hunc intendisse librum, patet (1) *ex eo*, quod in allegationibus suis utatur jam voce *Passionalis* & jam *Legendae*, sibi synonymorum; & (2) ex *variis* fabulosis miraculis, nugisque ex hac *aurea Legenda* haustis suisque Temporum Floribus insertis. Ob fabulas ac ineptias in hoc Legenda Aurea occurrentes eam *ferream* vocarunt ipsi Pontificii eruditi Scriptores, ut *Lodovicus Vives*, & *Claudius Espencaeus*; qui ultimus eruditus vir tamen coactus fuit publice hoc suum judicium de *Voraginis Legenda* recantare, referente *Thuano* Histor. *Lib. XVI. p.* 489 supra citatus *Ellies Du Pin*, Vir literatissimus, in *Nouvelle Bibliotheque des Auteurs Ecclesiastiques. Tom. X. pag.* 85, 86. illorum judicio accedit, scribens: „ *Jacques de Voragine*, ainsi appellé, „ du nom de la Ville de Varaggio, proche de Genes, de laquelle il étoit, est Auteur de la *Legende Dorée*, qui contient les Vies des Saints, dans laquelles il a „ ramassé sans critique & sans discernement quantité de faits la pluspart fabuleux. „ Voici le jugement, qu'en porte *Melchior Cano:* Cette Legende, dit-il, à été écrite par un homme, qui avoit la bouche de fer, & le coeur de plomb, & dont „ l'Esprit n'étoit ni juste, ni prudent. On y lit plutot des monstres de miracles, „ que des vrais miracles. Elle à eu cependant un grand cours. Confer. *Augustini Oldoini* Athenaeum Ligusticum, *pag.* 275. *seqq.* ed. Perusiae 1680. 4.

Passivus, id est, lascivus, luxuriosus, gulae ac omnibus venereis obscoenis voluptatibus deditus: seu homo omnibus suis inordinatis passionibus dominantibus indulgens, unde hoc nomen etiam ortum esse censeo. Hinc *Passivitas vitae* descendit, quae idem est ac vita turpis, incomposita omnibusque voluptatibus sese tradens.

Jacobus Billius Observationum Sacrarum, *Lib. I. Cap. XV. pag.* 23. edit. Parisiis 1588. fol. huic meae Conjecturae adstipulatur.

Pausare idem, ac requiescere paululum à labore: inde *Pausa* requies, seu brevis laboris aut actionis alicujus intermissio. *Januensis* Catholicon sub hac voce.

Peditare, id est, pedibus ire, pedibus victum quaerere, item pedibus merere. Hinc *pedites*, milites qui pedibus merentur stipendium, dicuntur Germanice *Fuſſknechten*, & *peditatus Fuſſ Volck*; item Batavice, *Het Voetvolk.*

Petia, pars exigua, particula, frustum, fragmentum, quo nomine saepe veniunt Reliquiae Sanctorum. *Fr. Marci* in *Hiero-Lex.* sub hac voce: *Hermannus* noster evehit *petiam* S. *Johannis.*

Plasmare verbum Graeco-Barbarum, quod videtur ortum ex Graeco πλάσμα, id est, fictum formatum opus, notatque ideo *plasmare* idem ac fingere, formare, & utitur hoc verbo *Hermannus* de Adamo, quem a Deo *plasmatum* asserit. Occurrit hoc verbum frequentissime apud alios scriptores Ecclesiasticos corruptae jam Latinitatis, qui inde etiam *Adamum* vocare solent *Protoplastum*, id est, primo creatum & formatum.

Pluviale, vestis est Episcopalis longa demissa usque ad pedes, habens caputium, in interiori parte fimbriis adornata. Hanc vestem Episcopi non nisi in majoribus festivitatibus induunt, & Papa utitur pluviali rubro tempore jejuniorum. *J. A. Schmidii* Lexicon Ecclesiasticum sub hac voce, *pag.* 226.

Postillare notat aliquem imitari, exscribere librum, item componere librum, & praecipue glossas, seu Notas in S. Biblia, quae notae *Post-illa* dicebantur, quia *post verba* Scripturae Sacrae, sive in margine, sive in fine paginae scribebantur, & asterismis illis assignabantur S. S. verbis seu versiculis, qui glossis seu annotationibus his illustrabantur. Tandem ipsi Sermones Sacri, seu Homiliae, quibus certi Biblici Libri, aut Pericopae, Textusque ex illis explicabantur, *Postillarum* nomen accepere: quia *post* praemissos primum Biblicos textus sunt recitatae aut positae. Confer. *du Fresne* in Glossario Med. Lat. *pag.* 365. *Tom. II.*

Potionari significat veneno tolli, indeque Veneficus dictus *potionator*. *Idem* sub hac voce.

Praxare, sumitur pro praeparare, componere, perficere. Descendit inde *Praxis*, actio, exercitium, usus alicujus rei: nisi mavis ex hac origine Graeca voce πρᾶξις Graeco-Barbarum hoc verbum *praxare* originem duxisse, quae mea mens est, mirorque neminem Glossatorum tetigisse barbarum hoc verbum *praxare*, quo tamen *Hermannus* saepius utitur, meque hoc in aliis sibi coaetaneis Scriptoribus quoque legisse memini, licet jam meae memoriae illorum nomina non occurrant, neque operae pretium duco illos jam multo studio revolvere.

Primi-Scrinius, it. *Primi-Scriniarius*, innuit eum, qui primum locum inter Scriniarios, seu Secretarios Aulae Imperatoriae aeque ac Pontificiae obtinuit. Vid. infra *Scriniarius.*

Qua-

(Q)

Quadragena, Significat (1.) poenitentiam 40. dierum pro uno peccato mortali, qua poenitentia is qui peccaverat per dies 40. ab Ecclesia excludebatur, incedebat capite coperto, sparso cinere & utebatur solum aqua & pane, docente *Matthaeo Zimmermanno* in Analectis Miscellis Menstruis, *Mens. XI. pag.* 326. Haec 40. dierum poenitentia etiam injungitur Clericis, si per negligentiam in S. Eucharistia de Calice consecrato aliquid stillaverit in terram, a *Theodoro*, Episcopo Cantuariensi, *in poenitentiali. Cap LI. pag.* 38. *Tom. I.* ed. Parisiis 1679. 4. Porro & (2.) sumitur vox *Quadragena* de certo poenae & disciplinae Ecclesiasticae genere, consistente in flagellatione seu fustigatione, vi cujus delinquenti Monacho suste vel flagello XL. ictus minus uno, sunt dati. Vid. Jus Can. Cap. *Nullus Clericus II. Quaest. I.* Locum habet haec disciplina adhuc in Monasteriis, & ex Synagoga Judaica in Ecclesiam translata, siquidem in illa eodem modo exercebatur, uti nos proprio tristique suo exemplo docet S. Paulus II Corinth. XI. 24. monentibus *Frat. Macri* in *Hierolex.* sub hac voce. Ut autem Lectori B. constet; quomodo haec Flagellatio apud antiquos Hebraeos fuerit in sontes exercita, adeundus ejus fons Talmudicus, nempe Tractatus *Mischnicus* מכות *Cap. III.* §. 10, 11, 12. pag. 288, 289. *Tom. IV.* Operis Mischnici Clar. *Guilhelmi Surenhusii*, ubi hujus poenae processus, ex translatione Magni *Cocceji*, ita describitur: §. 10. *Quot verberibus afficitur sons? Quadraginta uno minus, quia dicitur; Deuter.* XXV. 2. 3. *Numero quadragenarii*, id est *numero qui proximus est quadragenario.* R. *Jehudah ait: quadraginta pleno numero infliguntur ipsi. Quanam igitur parte accipit ictum abundantem? Inter scapulas.* §. 11. *Non addicitur plagis, nisi quae trifariam dividi possunt. Si XL. ferre posse aestimatus sit, &, parte tolerata, videatur reliquas sustinere non posse, dimittitur. Si XVIII. addictus ictibus, postquam eos recepit, appareat*, & *reliquos potuisse ferre, liber abit. Crimen si commiserit, in quo sit duplicis interdicti violatio*, si *una aestimatione ad plagas damnatus sit, iis acceptis, abit liber: si diversa vapulat*, & *postquam sanatus fuerit, reliqui ictus ipsi irrogantur.* §. 12. *Quomodo fit flagellatio? Adstringit quis ambas ejus manus ad columnam, tum minister publicus vestem ejus arreptam detrahit, sive rumpatur, sive dissuatur, usque dum denudet pectus. Lapis pone illum collocatus est, in quo stat Lictor, manu tenens lorum bubulum complicatum, primo ut ex simplici fit duplex, iterum ut ex duplici fiat quadruplex. In illo duo lora sunt, qui ascendant & descendant.* §. 13. *Manubrium palmi longitudinem habet: latum est palmam: extremitas ejus ad os ventris pertingit; hoc eum ferit trifariam, ità ut trientem ictuum adverso, vestem adverso infligat. Non ferit stantem, neque sedentem, sed inclinatum, quia dicitur; Deuter. XXV.* 2. *& prosternet eum judex. Qui ferit, una manu caedit quantum potest.* adduntur in majorem illustrationem Notae in h. l. R. *Obadiae de Bartenora*, R. *Mosis Maimonidis*, Cl. *Cocceji*, & ipsius eruditissimi *Surenhusii* praefatio Tomo huic IV. *Mischnico* praefixa *fol.* 4. 6. & 5. *a.* 6. plura de hac poena flagellationis desiderantibus satisfacient *Aegidius Strauchius* de ritu Judaico flagellandi, ed. Witteb. 1668. 4; *Johannes Seldenus* de Synedriis veterum Hebraeorum *Lib. II. Cap.* 13. §. *VIII. IX.* à *pag.* 336. *ad pag.* 348. editionis Amstelodamensis 1679. 4, ubi illustris hic vir ex *Maimonide*, aliisque monumentis producit omnia crimina flagellatione animadvertenda, hujusque

jusque simul moderationem intuitu criminum, vel majorum vel minorum: porro *Johannes Buxtorffius*, Pater, Synagogae *Judaicae* Cap. *XXV.* & in Epistola Dedicatoria ad *Philippum Mornaeum*, elegantissimi *de Abbreviaturis Hebraicis* libri, ed. Basileae 1640. 8. & quidem 4. foliis, hanc materiam solidissime descutientibus. Magnorum horum Duum Virorum in hoc eruditionis Antiquit. Hebraicarum minimo licet, articulo, vestigia pressere *Johannes Morinus* de Administratione Sacramenti poenitentiae *pag.* 231. ed. *Paris.* 1651. fol. *Wilhelmus Schickardus* de Jure Regio Hebraeorum *pag.* 144. *seq. Joh. Henricus Hottingerus* de usu Scriptorum Hebraicorum in N. T. *pag.* 403., collectionis & editionis *Rhenferdianae* Leowardiae 1702. 4. *Joh. Henricus Otto* in Lexico Rabbinico Philologico, *pag.* 210. ed. Genev. 1675. 8. *Johannes Leusdenius* in Philologo Hebraeo-Mixto *Dissertat. XLIX. pag.* 357. *seq. Melchior Leidekkerus* de Republica Hebr. *Lib. VII. Cap. XII. Observat. III. pag.* 482. 483. *Tom. I.* ed. Amstelodami 1704. fol., *Conradus Mel* in Antiquario Sacro *Sect. IV. Cap. II* §. 7. *pag.* 249.; *Hadrianus Relandus*, de Antiq. S. Vet. Hebr. *Lib. I. Cap.* §. *VII. pag.* 130. ed. Ultraject. Vener. *Conradus Ikenius* Antiquit. Hebr. *Part. II. Cap. V. pag.* 408. *seq.*, & demum *Campegius Vitringa*, qui hanc materiam ampla eruditissimaque Dissertatione discussit, imo fere exhausit *in Synagoga Vetere Lib. III. Part. I. Cap. XI. à pag.* 768. *ad.* 782. ed. Franequerae 1696. 4. Hodie adhuc haec severa flagellationis poena in Synagogis Judaeorum, in LL. Divinarum aliarumque suarum arcanarum specialium Constitutionum transgressoribus, strictissime observatur, & interdum tanto rigore peragitur, ut ejus inflictione delinquentes eam sustinentes fere ad omnem animi desponsionem, desperationem ipsam Religionis, imo ipsius Dei abnegationem, premantur, uti hoc exemplo suo, in aeternum hujus Judaicae seuerissimae (à Christianis Magistratibus, sub quibus vivunt, minime tolerandae) castigationis opprobrium, tragico suo exemplo probavit, occasione hujus flagellationis acerrimae plane Atheus factus Judaeus Ulysipponensis, Nobilis origine, Dictus *Uriël à Costa*, natus à Parentibus Christianis, jam dignitate Ecclesiastica Ulysipponae mactatus, & tamen animi infelici turbine actus, Patriam & Ecclesiastica beneficia deserens, Amstelodamumque petens, ibi Judaicae Synagogae & circumcisioni, se submittens. Sed uti turbulentus hic homo in sua amplexa Synagoga Judaica varias turbas dedit, ita etiam harum ex LL. Judaeorum meritam poenam expertus est, quam ipse in *Exemplari Humanae Vitae*, quod *Philippus Limburgius* subjunxit suae *Amicae Collationi* de *Veritate Religionis Christianae* ed. Goudae 1687. 4., *pag.* 349. 350. enarrat. Ut pateat hodiernus hujus severissimae in Synagoga Judaica poenae adhuc receptus mos, & ne eum imitentur in *Ascetica Monastica* Disciplina rigidiores censores Patres, modum & processum castigationis hujus ipsis infelicis *Urielis a Costa* verbis hic ex libro citato *pag.* 349. 350. enarrabo. Verba ejus sunt: „ Peracta in Synagoga, quae hominibus & mulieribus plena erat, lectione & peccatorum confessione, descendi à suggestu, & accessit ad me sacratissimus „ Praeses, susurrans mihi in aurem, ut diverterem ad angulum quendam Synagogae. „ Contuli me ad angulum, & dixit mihi Janitor, ut me nudarem. Nudavi corpus „ ad cincturam usque, linteum capiti subligavi, calceos deposui, & brachia erexi, „ manibus tenens quandam quasi columnam. Accessit Janitor ille & manus meas „ ad columnam illam quadam fascia colligavit. His ita peractis accessit Praecen- „ tor,

„ tor, & accepto corio percussit latera mea triginta & novem percussionibus, secun-
„ dum traditionem: Nam judicium Legis est, ut numerus quadragenarium non
„ excedat. Inter percutiendum Psalmus decantabatur. Hoc impleto humi sedi,
„ & accessit Concionator, seu Sapiens, (quam ridiculae sunt res mortalium,) qui
„ me ab excommunicatione absolvit, & ita porta coeli mihi erat aperta, quae antea
„ fortissimis ferris clausa me à limine & ingressu excludebat. Post haec indui vestes,
„ & abii ad limen Synagogae, prostravi me, & custos ipsius sustentabat caput meum.
„ Tunc omnes qui descendebant transibant super me, scilicet clevabant pedem
„ unum & transibant ad inferiorem partem crurum meorum; quod omnes tam pueri
„ quam senes fecerunt. (Nullae sunt Simiae, quae actiones magis absonas, aut
„ gestus magis ridendos hominum oculis possint exhibere!) & peracto opere, quan-
„ do jam nullus restabat, surrexi e loco, & mundatus à pulvere, per illum qui mi-
„ hi assistebat, flagro percussus domum me contuli. O impudentissimi omnium!
„ O Patres execrandi! quos utinam nunquam accessissem, & nomen meum, quod
„ habui in Portugallia Christianus *Gabriel Acosta*, non mutassem in *Uriël*. Atheum
hunc Acostam sibi ipsi tandem Sclopeto globulo munito, & in medium pectoris
exploso propria manu, infelicissime vitam extinxisse refert vener. B. *Johannes Christophorus Wolffius* Bibliotheca Hebraea *Tomo I. pag.* 131. & Joh. *Clericus* Bibliotheque Universelle *Tom. VII. pag.* 327.

Quatuor Tempora, dicuntur quatuor solemnia Jejunia, quae 4. anni Temporibus, nempe in Vere, Aestate, Autumno ac Hieme in Ecclesia Romana, imo etiam in multis Ecclesiis Protestantium, interque has *Saxo-Meiningensium*, celebrantur, quorumque Auctorem *Hermannus* noster facit Papam *Calixtum I.* qui initio seculi III. anno 218. florere coepit. Quamvis hoc institutum non tam *Calixto*, quam potius *Leoni*, qui Sec. V. vixit, adscribere conatur *Johannes Dallaeus* in lib. *de Jejuniis* & *Quadragesima* Lib. *IV. Cap. VII. pag.* 735. *seq.* Rationem hujus instituti Quatuor Temporum Jejunii exponit *Joh. Baptista Casalius* de Veter. Christianor. Ritibus *Part. III. Cap. LXIII. pag.* 318., scribens; Satis patet Judaeos quatuor praecipua habuisse Jejunia; nempe Quarti, Quinti, Septimi ac Decimi Mensis. *Jejunium Quarti* habebatur in memoriam fractarum Tabularum in monte Sinai; *Exod. XXXII. Jejunium Quinti*, quoniam Templum & urbs Hierosolyma fuerant combusta primum à Chaldaeis, & dein a Romanis. *Jejunium Septimi*, quoniam tunc Gedalias & qui tunc cum eo erant Chaldaei & Judaei fuerunt occisi in Maspha. *Jejunium Decimi*, quoniam Rex Babylonis tunc congregabat vires suas, ut aggrederetur Hierosolymam. Hinc est, quod praedicto Judaeorum ordini conformis quoque sit ritus Ecclesiae Catholicae: Et propterea indicitur Jejunium 4 anni Temporibus, Videlicet in Hyeme, Vere, Aestate & Autumno: ut Annus in omnibus suis partibus Deo consecretur, a quo aeternam speramus nos felicitatem consecturos. Cl. *Casparus Calvör* in Rituali Ecclesiastico *Part. II. Sect. II. Cap. XXIV. pag.* 308., addit adhuc aliam rationem, depromptam a Clericorum Ordinationibus, ex Constitutione Canonum in his 4 Temporibus solum peragendis, cum antea tantummodo Decembri mense peractae, memoratque *Christophorus Marcellus* in Caeremoniali Romano, *Lib. I. Sect. VIII. Cap. I. fol.* 64. b. quod antiqua consuetudo fuerit, Cardinalium creationem celebrare in 4 Temporibus ad imitationem Sancto-

rum Patrum, qui illis diebus ordinationes faciebant Clericorum Romanae Ecclesiae, sicut & hodie faciunt aliarum civitatum Episcopi. Addit tamen *Marcellus*; „ Aliquando tamen etiam nostris temporibus extra 4. Tempora creati sunt Cardinales. *Sixtus* enim Papa *IV.* Anno Salutis 1473., & sui Pontificatus II. Septima die Maji „ creavit octo Cardinales. *Hermannus* noster ad an. 1051. vult, ordinationes Presbyterorum his Quatuor temporibus primum adstrinxisse Papam *Leonem IX.*, quem *X.* vocat. *du Fresne* in Gloss. M. L. *Tom. II. Part. III.* sub hac *Voce*, ex Graecismo MSt. sequentes de his 4. anni Temporibus versiculos producit.

Dant Crux, *Lucia*, *Cineres*, *Charismata dia*,
Ut sit in Angariae, *quarta sequens feria.*

Hic *Angaria* sumitur pro hebdomade laboribus destinata, ejusque quarta dies, ab incluso die solis computata, habetur pro feria solemni Jejunii, & sic 4. Temporum constituta meta. Quia in *hisce* 4. *Solemnioribus* Temporibus antiquitus, ut vidimus, Clerici ordinati sunt, inde descendit mos, ut illis etiam statis hisce quatuor Temporibus annua salaria solverentur; quo beneficio tamen dein & alii Officiales Laici uti coepere, eoque per universam fere Germaniam una cum Clericis adhuc gaudent, solenne tamen injunctum simul Jejunium recusant. Confer. *Stephani Baluzii* Notae & Appendix Actorum veterum ad *Reginonis Libros II.* de Disciplina Ecclesiastica *pag.* 604., 609., 613., ed. Parisiis 1671. 8.

(R.)

R*efectorium* dicitur locus in Coenobio vel Monasterio, in quo Religiosi conveniunt, ut corpus cibo ac potu à meridie & in vespera reficiant: estque idem ac Diaeta, Coenaculum, Triclinium, & quidem ut plurimum in superiori parte Coenobii constructum, uti erant composita Coenacula & Triclinia apud veteres Romanos, quae elucidantur à *Stuckio* Antiquitatum Convivalium *Lib. II. Cap. XIV. pag.* 385. *seq.* à *Joh. Baptista Casalio* & *Josepho Laurentio* de Conviviis & Tricliniis *Andrea Baccio* de Conviviis Antiquorum *Tom. IX.* Thesauri Antiquit. Graec. Celeberrimi *Gronovii*, *Julio Caes. Bulengero* de Conviviis, *Lib. I. Cap. XXVII. Tom. XII.* Antiq. *Roman.* Cl. *Graevii*, F. *Ursino* in Appendice ad *Ciacconium* de Triclinio *pag.* 211., & denique *Flavio Blondo* in Roma Triumphante *fol.* 145. editionis Brixiensis 1503. fol. Refectorium Monachorum pluribus illustratur a *Stephano Baluzio* Miscellaneorum *Lib III. pag.* 45. *seq.* 56. 67. *seq.* ed. Parisiis 1680., 8.

Regalia, sunt Jura Regia, quae ab Imperatoribus vel Regibus, Principibus, Episcopis aliisque personis Ecclesiasticis sunt concessa, & diriguntur ut alia Feuda. Extinctis quippe personis Ecclesiasticis, ad Imperatorem vel Regem ut Dominum redeunt, donec alius iisdem investiatur, praestito prius Imperatori vel Regi juramento Fidelitatis. Unde per mortem Episcopi *Regalia aperta* dicuntur, *clausa* è contra cum Episcopo Successori redduntur, suntque de his saepius inter Clerum Romanum Reges, & Principes gravissimae lites exortae, praecipue si hi, ut diutius Ecclesiarum Regalibus uterentur, vel Electiones vel Investituras Episcoporum impediverunt, aut

aut nimium protraxere. Quod cum in fine superioris seculi à *Ludovico XIV.* in Gallia factum erat, & Rex insimul Regaliorum jus sibi per omnes Regni sui Archiepiscopatus & Episcopatus, imo ipsos Aquitaniae, Languedoci provinciae, & Delphinatus, qui se Regalia immediata possidere asserebant, sibi vindicaret, inde gravissima controversia inter Regem & universum Clerum Gallicanum primum, (occasione anno 1682. a Clero Gallicano editae Declarationis;) & dein inter Regem & ipsum Pontificem Romanum est exorta, ex qua tamen Rex tandem triumphum duxit, uti hoc pereruditа Dissertatione demonstravit, & in hanc agitatam controversiam delineavit *Johannes Ernestus Gerhardus*; Dissertatio haec prodiit Jenae 1691. 4. sub rubrica: *Jus Tertii in causa Regaliae inter Galliae Regem & Pontificem Romanum Disceptatae.* Causam Regis, contra Clerum Gallicanum omnesque ejus objectiones strenue defendit *Edmundus Richerius*, Doctor Parisiensis Sorbonnicus, *Libris IV. de Potestate Ecclesiae in Rebus Temporalibus*, editis non Coloniae (uti in Titulo fingitur,) sed *Amstelodami* 1691. 4. uti hoc ostendunt iidem Typi eademque Charta, quibus suae *Vindiciae Doctrinae Majorum Scholae Parisiensis de infallibilitate Ecclesiae in Rebus Fidei ac Morum*, *Amstelodami* apud Balth. ab Egmond 1683. sunt impressae; licet etiam *Colonia*, ut locus impressionis, in titulo sit expressa. Utriusque libri editionem procuravit Dominus de *S. Amour*, Praesbyter Oratorii Parisiensis, Jansenistarum acerrimus propugnator, & in Aula Romana Legatus, seu potius ad hanc ablegatus: In hisce *Vindiciis Richerius* aeque ut in priori libro Regi Galliarum summam in Rebus Temporalibus potestatem & Regalia abjudicat, Papae autem ac universo Clero Romano nullam aliam quam Spiritualem potestatem vel Jurisdictionem concedit, hocque fusius probat ex Scriptura S. Canonibus Conciliorum ac Testimoniis Patrum aliisque rationibus. Haec horum duorum jam rariorum librorum contenta docent, horum nigrum non respondere rubro, seu ex fuco suspensae huic Jansenistarum vendibili vino hederae. Regalia, seu supremam in Rebus Temporalibus Jurisdictionem, initio hujus seculi & alius Auctor, Anonymus tamen, tueri studuit in libro, qui inscribitur: *Traite de la Puissance Ecclesiastique & Temporelle*, & qui, absque nominato impressionis loco (quem tamen ex Charta & Typis conjicio esse Lutetiam Parisiorum:) est impressus 1707. 4.; & in cujus *Parte*, seu *Proposit. I.* Auctor materiam hanc solide deducit, ubique tamen *Richerii* vestigia pressit, ejusque argumentis utitur. Conf. *Hugo Floriacensis* de Regia potestate, Tomo vel *Libro IV.* Miscellaneorum *Steph. Baluzii*, *pag. 9. seqq.* ed. Paris 1683. 8.

Regnante Christo, Formula est antiqua subscribendi & computandi, & usi sunt Antiqui hac, loco hodiernae formulae *Anno Christi*, illaque semper Acta publica, ac Sanctorum, imo Epistolas clauserunt, uti ducentis ferè antiquissimis, jam ex Seculo III. etiam productis, monumentis hoc solide probavit *David Blondellus* in eruditissimo libro *De Formula Regnante Christo*, *Sectione IV. Capitibus VIII.* pag 373. *seqq.* Editus est hic, rarior jam factus, liber, Amstelodami. 1646.; 4. Sumpsitque Blondellus ex hac Formula occasionem *prioribus primis Sectionibus* vindicare famam Galliae Regum *Philippi I. & II.* injustissime à Pontificibus Romanorum excommunicatorum, & excommunicatione hac adeo constrictorum, ut ex quorundam opinione Papa universo Clero Galliae prohibuerit, Actis publicis

 Annum

Annum Regiminis Regum adjungere, & loco hactenus consuetae formulae; *Regnante Rege*, vel *Philippo*, uti sequenti; *Regnante Christo*. Hanc *Squerreri*, *Vignerii*, & *Jureti* opinionem ut falsam, nudamque pictorum pergulam, *Blondellus* destruit, & dein summa Regum Majestatica cura contra Papam ejusque attentatam infractionem, solidissime ex antiquissimis monumentis, gravissimisque argumentis defendit.

Religionem intrare, idem *Hermanno* nostro est, ac *intrare Ordinem Monasticum*, item *Monasterium:* quia suo tempore & in prioribus seculis, *Professio Ordinis Monastici*, imo ipse Ordo dicebatur *Religio*, & hinc Monachi prae aliis personis Ecclesiasticis, seu Clericis, salutabantur κατ' ἐξοχὴν *Religiosi*, uti constat ex *Salviano*, de Gubernatione Dei, *Lib. IV. Cap. XIII. p.* 84.; & Adversus Avaritiam *Lib. II. Cap. X. p.* 253. *seq.* it. *Lib. III. Cap. IV. pag.* 269. additisque in haec loca notis *Stephani Baluzii*, *pag.* 396. & 432. ed. Parisiis 1684. 8. Cur vero Monachi prae aliis Clericis Religiosorum nomine gaudeant, videtur inde proficisci, quia trium votorum paupertatis, castitatis & obedientiae vinculo sunt prae illis obstricti & religati; unde etiam *Lactantius* de Vera sapientia *Lib. IV. Cap. XXVIII.* statuit, Cultum Divinum vocari *Religionem*, *quia ejus vinculo obstricti & religati simus*, seu ut *Hieronymus* in *Cap. IX. Amosi* Proph. scribit, *quod Religione quasi in fascem Domini vincti ac religati simus.*

Residentia, significat personalem praesentiam Episcopi vel Parochi in sua, cui praepositus est, Dioecesi vel Ecclesia, imo, narrante *Eysendardo* nostro ad an. 1352., etiam Beneficiariorum; cujus necessitatem omnia fere Concilia & Patres primitivae Ecclesiae statuere, uti hoc fusissime probat, rationes Canonicas absentiae Episcopi vel Parochi a sua Ecclesia, nec non Dispensationes circa personalem praesentiam adducit *Ludovicus Thomassinus* in Veteri & Nova Ecclesiae Disciplina *Part. II. Lib. III. & Capite XXX. ad LXXII.* inclus. *pag.* 653. *seqq.* Hanc Residentiam Jure Divino esse praeceptam probavit *Franciscus Torrensis* in eleganti, rarissimo tamen, libro *De Residentia Pastorum jure Divino scripto Sancita* ed. Florentiae 1551. 4. In fine hujus Libri, *pag.* 70. *seqq.* varias huc spectantes *S. Athanasii Epistolas*, & quidem numero octo, à se e Graeco in Latinum conversas, illisque sequentem notatu dignam praefationem praemittit: *Per viscera Domini nostri Jesu Christi obtestor Episcopos omnes ac Presbyteros, quicunque sunt Pastores ovium, pro quibus bonus Pastor Christus Jesus animam suam posuit, ut has Athanasii Patriarchae Constantinop. Episcopi Sanctissimi & Sapientissimi Epistolas, quas e Graeco in Latinum converti, legant & relegant attentissime, ex quibus intelligent, spero, non sine magno fructu, quae sit muneris Pastoralis Ratio & Lex.* Laudatae hae VIII. *Athanasii* Epistolae recusae sunt Parisiis 1589 & 1610. 8. extantque etiam in *Remigii Florentini* Collectione Auctorum *de Episcoporum Residentia*; ed. Venetiis 1562. 4. Novam de Residentia Episcoporum *Constitutionem* promulgavit Papa *Urbanus VIII.*, impressam Romae 1635. 4.

Repsonsorium, est species cantus Ecclesiastici in Rom. Ecclesia, diciturque a Respondendo, quod uno desinente alter, & quidem Chorus respondeat. Differt ab Antiphona, quod in Responsoriis unus dicat versum, in Antiphonis autem alternent versibus chori. *Bartholomaeus Gavantius* in Thesauro Sacrorum Rituum *Tom. II. pag.* 29. ed. Mediolani 1638. 4.

Rumigerulus, item *Rumogerulus*, significat Dilatorem, divulgatorem, calumniatorem, falsc-

falſoſque *rumores* de innocentiſſimis etiam perſonis circumferentem, & quaſi ſecum *ferentem*, ex quo hoc nomen ideo originem duxiſſe conjicio. *Fr. Macri* in Hiero-Lex. *ſub hac voce*, hanc ita interpretantur: *Rumigerulus notat rumorum gerulum. Nam Gerulus & Gerro pro nugarum nunciatore ac circumlatore ſumitur*; *Rumigeruli igitur Synonymum eſt Nugigerulus:* addunt *Fr. Macri*, ſe credere, ab hac voce *Fabulas*, quas *Romanenſes* (Romainen) vocamus, ita eſſe denominatas: cujus rationem denominationis longe aliam *Morhoffius* in adj. Diſſertatione dat. Interim adjungo Barbaris his Rumigerulis, barbaros quoſdam verſus, quos in hoc peſtilentiſſimum hominum genus quondam ſeculo XV. compoſuit Anonymus, quoſque mihi ex inſtructiſſima ſua Bibliotheca benevole anno 1719. Hannoverae in antiquiſſima ſcheda communicavit conſanguineus meus Reverendiſſ. *Gerhardus Molanus*, Abbas Laccumenſis, Regii Elector. Conſiſtorii Praeſes, omniumque Eccleſiarum Electoralium Hannoveranarum Director. En in barbaros hos homines barbaram Poëſin ipſam:

O! Vos Rumigeruli,
Ex Satan geniti
Orbis Chriſtiani
Ut & Politici
Hoſtes acerrimi,
Aulis chariſſimi,
Piis deteſtandi,
Eritis à coeli
Porta excludandi,
Et hinc puniendi,
Nec non cruciandi
Ignibus Inferni
Maxime horrendi;
Nec Refrigerandi;
Imo vinciendi
Catenis Diaboli
Summi Rumigeruli.

Ad intelligenda verba *nec refrigerandi*, ſciendum eſt hoc verbo reſpicere Auctorem ad *refrigerium*, quod in Eccleſia Romana cum Purgatorio creditur, diciturque, hoc gaudere animas cruciatas in Purgatorii flammis, ſi tumuli vel ſepulchra illorum cadaverum vel corporum emortuorum, aſpergantur aqua benedicta, utpote qua mitigentur poenae, leniantur dolores, frangantur vires Purgatorii flammarum, & extinguantur ardores. Lepidum hoc Refrigerium animam cujuſdam defuncti Sacerdotis ex Purgatorio redeuntem, in hanc ſcenam primum produxiſſe, auctor eſt *Lucas*, Hiſpanus, Tudenſis Epiſcopus, (unde *Tudenſis* dicitur) Scriptor ſeculi XIII., fabularum ac apparitionum defunctarum animarum feraciſſimi. Hic enim narrat in *Hiſtoria Vitae ex Miraculorum S. Iſidorii Cap. XXXI.* quod huic apparuerit anima defuncti Sacerdotis, dixeritque: *Ad loca, quo corpora noſtra jacent, ve-*

 nire

nire permittimur, quae si incenso, vel aqua benedicta reperimus aspersa, tanto perfundimur refrigerio, ut nobis fere quasi Paradisiaca requies videatur. Plura de hoc Refrigerio suppeditabit *Chrysantius Solarius* in *Pentateucho Mortuorum*, *Lib. V.* capite integro *XX. pag.* 446, 447. ed. Patavii 1645. fol.

(S.)

S*accavii* dicti à Sacco, & intelliguntur per hos Bajuli, qui merces aliunde advectas portant, in saccis sarcinisque portandis operam suam collocant, hisque quaestum faciunt. *Codex Theodos.* XIV. Tit. I. & in hunc *Jacobi Gothofredi* Not. *Tom. V. pag.* 261. Praecipue Saccarii dicebantur Portatores mercium in portubus urbis Romae, speciati privilegio muniti, ut tam privatorum quam publicas species, omnisque generis merces & sarcines comportarent, & quidem soli, exclusis aliis mercenariis, uti simili privilegio Hamburgi gaudent *Die Luzenbruder*. In quibusdam Galliae urbibus etiam vespillones olim quoque Saccarios, imo *Saccas* dictos fuisse discimus ex *Job. Richardi* Antiquitatibus Divionensibus, *pag.* 18. ed. Paris. 1585. 8.

Salica Lex, cujus Lationem & Constitutionem *Hermannus* ad an 1025. Imper. *Conrado II*, Franconiae Duci, *Salico* vocato, adscribit, à *Conrado Salico* hoc nomen accepit ex opinione Hermanni. Alii vero hanc denominationem deducunt vel à *Salegasto*; vel Germanorum *Saal*, i. e. Aula; vel à *Saliis*, i. e. Gallis, antiquitus ita dictis; vel à *Sala*, Germaniae flumine: quas opiniones omnes ad examen vocat *Coccejus* in Jure Publ. *Cap. III. Sect. VI. pag.* 88. *seq.*; probabilissimum est, hanc Legem à *Saliis* sive Gallis, non autem à *Conrado Salico*, nomen accepisse, quia non tam Germanis quam Gallis data est, & in illa in horum Regnique Galliae gratiam, sanctum est, *ne Saliorum Terra*, i. e. *Regnum* à *lancea transiret in colum*, i. e. ut à Regiae Dignitatis Successione excluderentur foeminae. *Sigebertus*, Monachus *Gemblacensis*, qui initio seculi XII. floruit, & sic *Hermannum* nostrum aetate 200. annorum vincit, longe altius petit originem LL. Salicarum, harumque auctorem facit *Pharamundum*, Francorum Regem, qui An. 402. Patri *Marcomiro* successit, & LL. harum sub ejus Imperio compositionem describit in sua *Chronographia* ad An. 422. *pag.* 493. in collectione *Scriptorum German. Johannis Pistorii:* ed. Francof. 1583. fol. En ipsa *Sigeberti* verba: *Franci uti coeperunt legibus, & Legem Salicam dictaverunt per quatuor gentis suae Proceres; electos de pluribus bis, appellatos nominibus Usogast, Bosogast, Salagast, Widigast: in villis Germaniae Salechaim, Bodochaim, Wingehaim, hi quatuor Proceres per tres mallos causarum origines convenientes solicite tractantes, de singulis discutiendo, sicut Lex Salica declarat, judicare decreverunt.* Alii antiqui Scriptores, quos lubens praetereo, *Carolum M.* harum LL. primum Legislatorem asserunt. Interim plane dubias, nec Pharamundo, neque alio Galliarum Regi *LL.* Salicas esse adscribendas, sed ut suppositititium monstrosum partum esse considerandas, satis audacter asseruit Regius Historiographus Gallus *B. G.* de *Hailan* in sua *Historia Galliae*, à Pharamundo ad Regem Carolum VII. 1576. *fol. ed.* uti hoc propriis suis inde excerptis verbis docet Cl. *Petrus Baylius*. Dictionaire Histor. Crit. *Tom. II.* p. 1385. b. edit. III. Amstelod. 1720. IV. Tom. fol., ubi pag. *seq.*

seq. 1386. *seqq.*, etiam adducit adversarios *Hainanii*, dictae suae Historiae & allegatae suppositioni contradicentes; quibus adhuc merito jungo *Petrum Gregorium Tholosanum*, JCtum pereruditum Ponti-Mussanum, idem facientem, in multijugae eruditionis libro *de Republica*, idque *Lib. VII. Cap. XI. p.* 283. *seq.* fol. editionis tertiae Francofurt. 1642. 4. Editae sunt hae Salicae LL. *à Fried. Lindenbrogio* in Codice Legum Antiquarum Francofurti 1613. fol. nec non à *Godofredo Wendelino* Antwerpiae 1649. fol. item ab *Hieronymo Bignonio* cum eruditis suis Annotationibus & addito *Marculphi Glossario* in has LL. Parisiis 1666. 4. Illustrarunt autem has LL. pluribus *P. Gabr. Daniël* in Histoire du France *pag.* 12. *seqq.* ed. Parif. 1697. 8. qui simul Auctorem harum LL. facit *Clodovaeum I.* dictum ex debellatis Italis & Visigothis *Magnum*, & Auctorem *trium Liliorum candidorum* in Insigni, seu Armis Galliae; uti hoc pluribus demonstravit *Joh. Jacobus Chiffletius* in vasto Libro, qui *Lilium Francicum* dicitur, ed. Amstelodami 1658. fol. Porro LL. Salicas ad examen vocarunt & simul illustrarunt *Petrus Pithaeus* de Lege Salica, ed. Parisiis 1603. 4.: *Besoldus* Dissertationum Nomico-Politicarum *Lib. I. Dissert. XI. pag.* 32. *seqq. Neocorus*, seu *Ludolphus Kusterus*, Bibliothecae Novorum Libr. Anni 1693. *pag.* 212. *seq. Hermannus Conringius* de Origine Juris Germanici, *Cap. VII. pag.* 17. *seq.*; nec non *Hachenbergius* in Dissertatione de Germania Veter. *Dissertat. III. pag.* 64. *seqq.*

Salve Regina, est canticum laudis, quod compositum est in honorem B. Virginis Mariae, & singulis diebus post completorium in Ecclesia Romana alta voce canitur; Auctorem ejus facit Cardinalis *Johannes Bona* de Divina Psalmodia, *Cap. XVI.* §. XX. *pag.* 530. operum *Antwerpiae* 1694. *fol.* editorum, *Hermannum Contractum*, a contractis membris ita dictum, Monachum ordinis S. Benedicti anno 1059.; scribens; Quod ille cum omnis literaturae politioris expers omnino esset, B. Virginis intercessione in virum doctissimum mutatus fuerit, ideoque ex gratitudine animi in ejus laudem hoc canticum composuerit. Hoc Canticum dein Pontifex *Gregorius IX.*, summus B. Virginis cultor, qui Pontificatum tenuit ab anno 1227. ad annum 1241., certis divinae rei horis addi, & simul sub ejus cantu campanas, ad laudes B. Virginis pulsari decrevit, ut auctor *Supplementi* Abbatis Uspergensis, *pag.* 250. refert. Introductus autem hic hymnus est primum in Hispaniam anno 1302., idque per *Concilium* hoc anno *apud pennam fidelem*, à Toletanae provinciae Praesulibus celebratum, ubi *Canone XII. de Salve Regina Cantanda* ita statuitur: Tenemur omnes Sanctam Virginem gloriosam, tanquam matrem misericordiae, requirere cum Hymnis ac Canticis gloriosis: ideo inde suae laudis praeconium duximus taliter ordinandum, ut singulis diebus post completorium cantetur; *Salve Regina*, in qualibet Ecclesia alta voce, cum Versu, *Ora pro nobis*, & Orationibus, *Concede nos famulos!* item *Ecclesiae Tuae* &c.! Extant acta hujus Concilii seu potius Synodi, *Tom. VII.* Actorum Conciliorum cura *Joh. Harduini* Parisiis 1714 & 1715 XII. Tomis editorum, ubi *pag.* 1256. citatus canon legitur, in gratiam illorum, quibus brevis hic Hymnus, Salve Regina, incognitus est, eundem ex *Psalterio B. Virginis Mariae*, rarissimae editionis *Venetae* 1580. 12. hic apponam:

Salve

Salve Regina,
Mater misericordiae,
Vita, Dulcedo,
Et spes nostra Salve.
Ad Te clamamus,
Exules filii Evae,
Ad Te suspiramus,
Gementes & flentes
In lacrymarum valle.
Illos Tuos misericordes
Oculos ad nos converte,
Et Jesum benedictum
Fructum ventris Tui
Nobis post hoc exilium ostende.
O! clemens, o! pia
O Dulcis Maria. A.

Expositionem hujus Hymni fecit *Placidus Nigidus*, Presbyter Siculus, in rarissimo quoque libro, dicto *Mariale*; seu *de Devotione erga Virginem Dominam*, edito Panormi 1623. fol. *pag* 41.42.43. *&* 44.

Salutatorium, sumitur pro vestibulo Palatii vel Domus, sive sacrae seu profanae, in quo Dominus Domus, sive ipse sive per alios advenientibus Hospitibus ivit obviam, & in quo primum mutuae salutationes fuere peractae, uti ex *Paulo Diacono*, *Cassiodoro* & *Theodoreto* pluribus docet *Berbardinus Ferrarius* de Sacris Concionibus *Lib. III. Cap. IX. pag.* 353. *seq.* ed. Ultrajecti 1692. 8.

Schufti, per ignominiam olim appellati sunt in Germania Judices, Domini ac Praepositi pagorum, à Carolo M. instituti & quidem ex Nobilibus delecti, Judaeisque libertatem domicilii in creditis sibi pagis concedentes. Hi talem & Judicem & Praefectum Hebraeo honoris titulo שפט, qui judicem notat, vocarunt, alii autem, ab illis male tractati, illos indignationis causa & in contumeliam vocarunt *Schüffte*, quo nomine adhuc hodie nullius frugi homines notantur in Westphalia; *Goezii* Excerpta *specim.* 7.

Scriniarius idem est ac Libellarius, Secretarius, Registrator, qui acta publica colligebat, notabat & dein in *Scrinio* recondebat vel reponebat, a quo *Scrinio* seu actorum publicorum Repositario vel Theca nomen *Scriniarii* accepit. *B. du Fresne* in Gloss. M. L. sub vocibus *Scrinia*, *Scrinarius*. Conf. *Zimmermanni* Florilegium *pag.* 701. *seq.* it. *Guntherus* in Latinitate Restituta; *pag.* 524. 525.

Sententionare, it. *sententiare* significat sententiam in judicio publico dicere; ac proferre. Id. *Du Fresne* sub hac voce. *Guntherus* l. c. *pag.* 531. statuit significare sententiam definitive pronunciare, unde *sententialiter*, i. e. definitive.

Sequela dicitur (1) Jus persequendi aliquem in judicio publico de re aliqua, maxime de criminali: (2) Jus persequendi fugitivum furem, homicidam aliorumque magnorum criminum reum: & (3) Jus Domino competens fugitivum servum, vel alios domesticos persequendi & (4) Officium servorum vel subditorum obsequendi

di Dominorum imperatis. Id. *du Fresne* sub voce *Secta*, quae de primo persequendi jure sumitur. Differt haec vox à *Sequella*, denotans accessionem majorem alicujus rei, cui major accedit pars, docente *Calvino* in Lex. Jurid. sub voce *Sequella*. Confer. *Henricus Spelmannus* in Glossario *pag.* 509.

Sequentia, Ita vocatur Laus Divina, seu jubilatio, in celebratione Missae instituenda, primum composita à *Noggero*, Monacho S. Gallensi, & cantari praecepta à Papa *Nicolao I.* referente *Hermanno* nostro ad *an.* 859., qui quoque ad *An.* 1040., refert *Hermannum Contractum*, praeter paulo ante memoratum hymnum *Salve Regina*, tales Sequentias composuisse etiam de B. Virgine Maria, ut illam; *Ave praeclara!* cum Antiphona: O *gloriosum lumen!* & aliam, *Simon Bar Jona!* Qui de Sequentiis his plura scire gestit, evolvat *Alcuini* librum de Divinis Officiis, *pag.* 78. ed. cit. *Johannem Bonam* Rerum Liturgicarum *Lib. II. Cap. VII. pag.* 328. Operum, edit. cit.

Sibyllae, vox Barbara incerti originis, a Romanis tamen purioris aetatis scriptoribus etiam prolata, & ab *Hermanno* nostro saepius quoque adducta, qua denotantur proprie fatidicae, de futuris Mundi, Regnorum ac Rerumpublicarum fatis, aliisque rebus, vaticinia edentes mulieres, ex quibus omnibus praecipuae fuere Decem, ita ab Eruditis notatae. (1) *Persica*, aliis Hebraea, imo etiam Chaldaica dicta, cui vaticinia de Christo tribuuntur. (2) *Lybica*, quae de Christi Miraculis prophetasse creditur. (3) *Delphica*, ex tripode oracula edens. (4) *Cumaea*, Tarquinio Superbo oracula sua offerens, cujus Patres *Justinus Martyr*, *Lactantius*, *Eusebius*, *Clem. Alexandrinus* saepe mentionem faciunt. (5) *Erythraea*, Trojanum excidium praesagiens. (6) *Samia*, in insula Samos oraculis suis ludens. (7) *Cumana*, quae autem ab aliis creditur esse ipsam Cumaeam. (8) *Hellespontica*. (9) *Phrygia*, & denique. (10) *Tiburtina*. Descripsit has, earumque scite effictas imagines simul exhibuit *Servatius Gallaeus* in Dissertationibus de Sybillis, editis Amstelodami 1689. 4. quibus anno sequenti ibidem impressa addidit eorum Vaticinia sub rubrica: *Sybillina Oracula*, suis aliorumque notis *illustrata*. Licet vero doctissimus vir tantam in his edendis Oraculis operam navarit, tamen in utroque horum Oraculorum falsitatem ac suppositionem solide demonstravit contra Virum alias oculatissimum *Isaacum Vossium*, qui horum authentiam, seu auctoritatem Canonicam, nescio an ex mero ingenii lusu, an ex vera animi sententia, contra *Richardum P. Simonium* adserere conatus est in peculiari Dissertatione *de Sybillinis Oraculis*, quae exhibetur in ejus *Variis Observationibus*, editis Londini 1685. 4. a *pag.* 209 ad fin. Credo *Vossium* pressisse vestigia *Pauli Scherlogii* Societ. Jes., qui in *Antiquitatibus Hebraicis Lib. I. Dissert. IV.* Sect. *XV.* tota, *pag.* 172. *seqq.* ed. Lugduni 1651. fol. iisdem argumentis pro veritate librorum Sybillinorum utitur. Cum vero *Pater Richardus Simonius* Vossii opinioni opponeret objectiones, has discussit *Vossius* iterum in *Responsione*, subjuncta ejus *Appendici Observationum ad Pomponium Melam*, *pag* 75 *seq.* edit. Londini 1686. 4. *Richardi Simonii* Castigationes in *Is. Vossii* Opusculum de Oraculis Sibillinis, una cum aliis ejus Responsionibus, habetur in ejus *Opusculis Criticis* adversus Isaacum Vossium editis Edinburgi 1685. 4. Partes *Simonii* contra *Vossium* amplexus fuit *Hieronymus le Camus*, Presbyter Parisiensis, in suo *Judicio* de Responsione *Vossii* ad *Simonii* objectiones, edito ibidem eodem

(††††††) anno

anno in 4. Vossio quoque insurrexit Cl. *Antonius van Dale*, falsitatemque & imposturam Oraculorum Sybillinorum solide demonstravit in Dissertationibus *de Vera ac Falsa Prophetia Part. II. Cap. VI. pag.* 315. *seq.* recusis editisque cum *Dissertationibus de Origine* & *Progressu Idololatriae ac Superstitionum* Amstelodami 1696. 4. add. *David* Blondellus in tractatu Gallico de Sybillis ed. Amstelodami 1649., 4. *Joh. Baptista Casalius* de Urbis ac Imperii Romani splendore, *Parte III. Cap. IV.* toto *p.* 377. *seqq.* ed. Romae 1650. fol. *Daniel Clasenius* de Oraculis Gentilium *Lib. III.* ed. Helmstadii 1673., 4. *Johannes Hoornbeeckius* de Conversione Indorum ac Gentium *Lib. II. Cap. III.* toto, *pag.* 102. *seq.* *Erasmus Schmidius Lib. III.* Sybillinorum ed. Wittenbergi 1618, 8. & tandem post *Petri Petiti* singularem de *Sibillis* librum, *Onuphrius Panvinius* in libro, *de Sybillis ac Oraculis Sybillinis*, quem exhibet *Gaudentius Robertus* in *Miscellaneis Italicis* Eruditis, *Tomo I. pag.* 296. *seqq.* ed. Parmae 1691., 4. Tomis IV.

Solidatus, i. e. Stipendiatus. Descendit haec vox a *Solido*, moneta valoris XII. Denariorum, docente hoc *Johanne Avantino* Annalium Bojorum *Lib. III. pag.* 293. ed. Ingolstadii 1554., fol. Germanis Stipendium hodie adhuc dicitur *Solde*, & Milites pro certo Stipendio militiae se dantes inde *Soldaten*, quasi *Solidati*.

Spatarius, notat Sicarium, qui *Spata*, seu *Spatha*, id est oblongo & ancipite acuto gladio, qui Longobardis *Spata* dicebatur, clam aliquem transfodit, ac interimit. *Joh. Januensis* in Gloss. it. *Isidorus* Etymol. *Lib. XVIII. Cap. VI.* In Duellis, barbaris seculis, pugnantes Spatis esse usos, imo his solummodo digladiationem mutuam perficere debuisse, docent *Leges Alemannicae Tit. VIII.* apud *Lindenbrogium*.

Stoecharium, it. *Sticharium* est vox Graeco-barbara, descendens *ἀπὸ τῦ στίχυ*, *a versu*, vel ab *universae lineae ordine*, innuitque tunicam albam sacerdotalem, ex lino confectam, plicatam, & in longum protensam, qua usi sunt sacerdotes primum in Ecclesia Graeca & dein in Latina, ad sacra sua officia liturgica publice in Ecclesia obeunda, quaque adhuc hodie in multis Germaniae provinciis, praecipue Saxonicis, in Franconia utuntur in Officiis S. publicis in templo peragendis etiam Lutheranae Ecclesiae Ministri, quibus dicitur vernacula lingua, *Em Chor-Rock*; *eine Albe.* Originem hujus vestis albae sacerdotalis ex Ecclesia Judaica, & vestitu sacerdotali Hebraeorum deducit *Joachimus Stephanus* in Institutionibus Juris Canonici *pag.* 120. sequens in hac sententia *G. Durandum* in Rationali Divin. Offic. *Lib. III. Cap. I. pag.* 41. ed. cit. Ducitur eadem opinione *Polydorus Vergilius* de Rerum Inventoribus *Lib. IV. Cap. VII. pag.* 306. ed. Amstelod. 1671. 12. nec non *Christophorus Sonntagius*, Theologus Altorffinus, in speciali Commentatione de *Stoecharis* §. *IV. pag.* 6. *seqq.* in qua Dissertat. § *X. pag.* 11. *seq.* horum Stoechariorum usum, ut antiquum, in primitiva Ecclesia jam receptum, in Ecclesiis Lutheranis minime abrogandum sed retinendum esse censet. De Tunica Sacerdotali Hebraeorum Vid. *Braunius* de Vestibus Sacerdotum Hebraeorum *Lib. II. Cap. II. pag.* 368. ed. Amstelodami 1698. 4.

Sudarium Christi, quod cum aliis Christi Reliquiis *Carolum M.* ab Imperatore Constantinopolitano *Constantino VII.* dono accepisse, illudque magna pompa in magnificum à se extructum Cathadrale B. Virginis Templum Aquisgranense transtulisse *Hermannus* ad an. 782. narrat, videtur fuisse unum ex linteis sepulchralibus Christi, seu Sindon, cui a Nicodemo & Josepho crucifixum exanime Christi Corpus fuit

fuit involutum, & sepulchro mandatum, quia (1.) istiusmodi lintea sepulchralia etiam Sudaria fuisse appellata docet pluribus *Joh. Jacobus Chiffletius*, in Crisi Historica *de linteis Sepulchralibus Christi Cap. V. pag.* 27. *seq.* ed. Antwerpiae 1624. 4. & (2.) Idem hoc linteamen a *Carolo M.* Aquisgranum translatum, inde iterum à *Carolo Calvo* in Galliam fuit transportatum, & a Rege *Philippo*, Compendii urbe Picardiae, sedem Regiam habente, Anno MXCII. ibidem in Basilica S. S. Martyrum *Cornelii & Cypriani*, & quidem in aureo gemmis distincto vase fuit reconditum, uti fusius ex antiquis monumentis refert idem *Chiffletius* Lib. cit. *Cap. XXVI.* à *pag.* 150. *ad* 160. quique porro in hoc, jam rariore, libro, & alia Sudaria, quae quoque Christi fuisse in Ecclesia Romana creditur, describit, nempe *Vesuntinum* à *Capite VI. ad XV. inclus.* Allobrogicum seu *Taurinense* a *Cap. XVI. ad. XXV.* inclus. *Edessenum* ad Abgarum missum *Cap. XXXIII.* & denique *Cap. XXXIV.* Sudarium *Veronicae*, quibus duobus ultimis Sudariis, Christo ad detergendum sudorem inservientibus, Christum imaginem suam impressisse acerrime Romanenses Scriptores propugnant. Omnia dicta haec Sudaria ad eruditissimum examen vocavit Vir summus *D. Ernestus Salomo Cyprianus*, Saxo-Gothani S. Proto-Synedrii Vice-praeses, in *Dissertationibus Ecclesiasticis*, *Dissert. II. Capitibus IV.* à *pag.* 28. *ad* 65. ed. Jenae 1704. 4. item *Johannes Reiskius* in libro *de Imaginibus Christi.* ed. Jenae 1685. 4. ubi *Exercitat. I.* à *pag.* 11. quatuor capitibus agit *de Sudario Edesseno*; *porro Exercitat. II.* à *pag.* 59. duobus capitibus de *Sudario Veronicae*, & denique *Exercitat. III.* a *pag.* 81. Capitibus tribus de reliquis *Sudariis sepulchralibus Christi.* Add. *Johannes Dallaeus* de *Latinorum Cultus Religiosi Objecto Lib. IV. pag.* 77-80. & *Johannes Hoornbeeckius* in *Examine Bullae Urbani VIII. de Cultu Imaginum pag.* 120. *seqq.* ed. Ultrajecti 1653., 4. *Veronicae* Sudarium, seu linteum fuisse triplicatum, ac ideo triplici forma, facie Christi ei impressa decoratum, fingit *Hieronimus Xavierdus* in *Historia Xti à se Persice conscripta pag.* 474., & inde critico perfricatur sale *a Ludovico de Dieu* in *Animadversionibus in hanc Historiam pag.* 620. 621. ed. Lugduni Batav. 1639. 4. incudi autem graviori hoc *Veronicae Sudarium in specie imponit Johannes Gottlieb Möllerus* in Observationibus Philologicis *Observatione III.* tota *pag.* 20. *seqq.* edit. Rostochii 1695. 4.

Synodicae Literae, dictae antiquitus fuere, quae ab absentibus ad Concilium vel Synodum convocatis Episcopis ad hanc, & vice versa ab hac ad illos mittebantur, & quas pluribus describit *Philippus Priorius* in tractatu *de Literis Canonicis pag.* 168. ad finem ed. Paris: 1675. 8.

(T.)

T*emplarii*, ita vocati Equites Militares, tempore Expeditionum Cruciatarum, peculiarem Ordinem eo fine inter se constituentes, ut contra infideles Saracenos Terram S. praecipue Hiërosolymam occupantes, mascule stringerent ensem, & hoc Religiosas Peregrinationes ad Christi Sepulchrum Hiërosolymitanum instituentes Christianos adversus horum Barbarorum, aliorumque Latronum insidias ac insultus defenderent. Originem illorum *Hermannus* noster adstringit initio seculi XII. scribitque anno 1123. à Papa *Honorio III.* illorum Ordinem, Regulas & Statuta

 fuisse

fuisse confirmata; illos ab eodem ornatos veste candida, cui dein An. 1146. ab Eugenio III. Papa, in majoris distinctionis signum addita fuit crux rubicunda. Regulis se initio S. Augustini, & simul Ecclesiasticae potestati Patriarchae Hierosolymitani subjecere, tribusque votis solennioribus paupertatis castitatis & obedientiae sese obstrinxere, & initio Christianis Principibus in Cruciatis Expeditionibus manus dedere fortes auxiliatrices, ac inde per universam Europam, Galliam, Angliam ac Germaniam maximam famam, cum fama honores, & cum his maximas simul opes consecuti sunt. Verum cum inde sequentibus temporibus ita surgebat illorum arrogantia ac fastus, ut obsequium denegarent supremo suo Moderatori Patriarchae Hierosolymitano, idemque detrectarent summis Pontificibus; Christianis summis Principibus ac Regibus, in quorum Regnis ac provinciis opibus ac tutela gaudebant, sese pertinacissime opponerent, & successive hoc crimen, majoribus perjurii, rapinae, incestus dissolutissimaeque vitae augerent, tandem ex tacita & secreta inter Christianos Principes, & Papam Romanum conventione, a Papa *Clemente V.* in *Concilio Viennensi Galliae*, anno 1312. habito, totus hic Ordo sublatus, proscriptus, ejusque bona omnia vel Fisco publico, vel aliis S. Ordinibus adjudicata fuere: quam publicam abolitionem & proscriptionem statim, & quidem una die, in Hispania, Anglia, Gallia ac Germania subsecuta fuit, omnium hujus Ordinis sociorum interemptio ac exstinctio, plane similis famosis Vesperis Siculis, ac Lanienae Parisiensi, uti omnia haec prolixe & erudite delineavit, & monumentis fide dignis historicis confirmavit *Nicolaus Gurtlerus* in *Historia Templariorum*, secunda vice multoque auctior impressa Amstelodami 1703. 8. Fata haec Templariorum infausta etiam satis ample describit, & summam illis à Clemente V. illatam, ex sua opinione, injuriam acerbo calamo vindicat *Johannes Zwingerus* in Tractatu *Historico-Theologico* de *Festo Corporis Christi*, *Part. II. Cap. I. pag.* 34–38. edit. Basileae 1685. 4. Add. *AEgidii Strauchii* Dissertatio *de Origine & Interitu Ordinis Militaris Templi*, quae ex iterata editione prodiit Wittebergae 1687. 4.

Tene Fic, proverbium, vel potius maledictum est obscoenum, significans, sit venia dictis, *lambe*, *vel suge ficus*, i. e. asininum coenum, quia docente *du Fresne* in Gloss. M. Latinit. sub voce *ficus*, notabat in media seculorum barbarie coenum equinum, quod etiamnum hodie ita Germanis vocatur diciturque *pferde feigen*, & obtinet adhuc hoc dicterium suum antiquum Lombardicum, delendum sane, usum in plebe quorundam Westphaliae locorum, ubi ira incitati & ab aliis lacessiti his quoque saepius acclamant; *Lick Fiegen*. Primam spurci hujus convicii originem adscribit *Hermannus* noster ad. An. 1162. foedo prandio, rebellibus Mediolanensibus civibus praeparato ab Imperatore *Friederico I.* dicto Barbarossa.

Teutonicorum Militum Equestrium Ordo, ex mente *Hermanni*, anno 1206. in civitate Achazon, in Palaestina, originem coepit, & subsequenti seculo, exstinctis Templariis, ex illorum acquisitis ex parte opibus, majora incrementa coepit, cujus Instituta, resque gestas suppeditant *Christophorus Hartnochius* in *Chronico Borussiae* ed. Lipsiae 1679. 4.; *Bernhardus Justinianus* in *Historia Chronologica illustris Equestris Ordinis Teutonici*, Italice scripta & edita Venetiis 1674. 4; nec non *Raymundus Duellius* in *Historia Ordinis Teutonicorum* ed. Viennae 1727. fol. aliique.

Treuga, denotat vel inducias, seu armorum bellique cessationem ad certum constitutum tem-

tempus, vel ipsam pactam pacem, uti multis probat *Du Fresne* in *Lex. M. Lat. sub hac voce.*

(V.)

V*ermiculatum* opus, est species Musivi operis in Architectura; quod vermiculatum dicitur, quia ex minutissimis variegatis lapillis, figurisque inflexuosis, ita mirifice constructum est, ut vermium aspectum cominus inspicientibus repraesentet. *Johannes Ciampinus* Veterum Monumentorum *Parte I. Cap. X. pag.* 87. edit. cit.

Vigiliae, *Vigilia* dicebatur & adhuc dicitur dies, aliquem solennem festum diem immediate praecedens, qui ita dictus, quia primitiva Ecclesia, uti jejunio, sicque praecipue Vigiliis nocturnis, inque his perpetuis precibus ac hymnis se ad sequentem solennem festum diem praeparabat. Fuisse has Vigilias etiam antiquis Gentilibus in usu, ostendit satis docte *Andreas Rivinus*, in suo Commentario in *carmen antiquum Vernale* dictum *Pervigilium Veneris*, *pag.* 46. *seq.* ed. Hagae-Comitum 1712. 8. Ex omnibus Vigiliis in primitiva Ecclesia solennissimae fuere *Vigiliae Paschales*, de quibus habemus peculiarem, ac sane eruditissimam *Dissertationem Georgii Henrici Goezii*, editam Lipsiae 1687. 4., novaque impressione dignam.

F I N I S.

AUTHORIS HERMANNI PRAEFATIO.

„ Mariae virginis indignus famulus, ego frater Her-
„ mannus, ordinis fratrum minorum, dictus GY-
„ GAS scire desiderans, quibus temporibus quilibet
„ sanctus super terram floruit, Chronica diversa &
„ multa studiose perlegi, ex quibus omnibus ab in-
„ itio seculi usque ad annum gratiae MCCCXLX. mi-
„ hi solum collegi quaedam, & abbreviavi verbisque
„ simplicibus ac minus allegoricis in margine & in textu signavi.
„ Nam quum'in divini verbi proclamatione populo interdum dice-
„ rem. Et hodie tot anni elapsi sunt quando iste vel iste sanctus e
„ vita emigravit, Clerici ac fratres mei saepe admirantes, en-
„ ixe a me exemplaris copiam ac rationem de numero usuali exe-
„ gerunt, quo plerisque notior videretur. Sed quia non solum gen-
„ tiles & Hebraeos; verum etiam Christianos historiographos, tam
„ veteres quam modernos, in annorum positione cognovi, inter se
„ plurimum discordare, turbatus & anxius viam mediam praeelegi,
„ inter veteres OROSIUM & ISIDORUM. Inter modernos
„ MARTINUM Romanae curiae paenitentiarium de ordine prae-
„ dicatorum sequutus. Sed heic! nec hi tres etiam satis in annorum
„ positione concordabant, ideoque ego libellum hunc mihi solummo-
„ do servandum duxi, & diu penes me retinui, donec honesto-
„ rum virorum precibus persuasus publicavi. Quapropter non de-
„ dignor, verum charitative opto ab aliis emendari & corrigi ubi
„ corrigibilis dignoscar: Malens cum beato GREGORIO salva fi-
„ de alieno intellectui cedere quam contentionibus inservire. Obse-
„ cro autem scriptores, ut circa numeros annorum scribendos cor-
„ recte, solicitam diligentiam adhibeant propter Deum; alioquin e-
„ go, quantum ad homines, in vacuum laboravi, & ignaviae meae
„ imputabitur error librarii dormitantis. Notatur autem hoc mo-
„ do usualis numerus *centum* C. *quadringenti* CD. *quingenti* D. *sexcenti*
„ DC. Nongenti CM *mille* M. Duo millia ĪĪ. quinque millia V̄. vi-
„ ginti millia X̄X̄. & sic de aliis. Quinque igitur primas aetates ce-

Quo usque author scripsit.

Quid eum ad scribendum moverit.

Scriptores discordes sunt.

Quos authores ipse in hoc opere imitetur.

Precatio ad lectores & scriptores.

Scriptores rogat.

Manuductio ad intelligendum numeros.

„ lerius transvolans, sextae, maxime nostris temporibus, prolixius
„ immorandum duxi. Ubi seorsim Romanorum Pontificum nomi-
„ na omnia, a beato Petro usque ad Clementem sextum, qui fuit
„ de ordine S. Benedicti breviter annotavi; Ac seorsum Romano-
„ rum Imperatorum ad Carolum quartum usque, filium Joannis Re-
„ gis Boëmiae, qui successit Ludovico Imperatori quarto. Quod est
„ ad annum domini MCCCXLVIII., facta statuta celebriora elucidans,
„ ac etiam diversa mundi mirabilia interserens, annotavi quaecun-
„ que memoria digna essent, non ad eorum laudem, sub quibus
„ regnantibus gesta sunt, sed ad sanctorum eisdem contemporaneo-
„ rum gloriam, ut inter terrenorum principum spinas caelicae ro-
„ sae, & paradisiaca beatorum lilia elucescerent: unde & opuscu-
„ lum hoc *Temporum Flores* appellavi.

Dicit quo usque scripsit 1348.
Dicit de quibus scripserit.

Opusculi nomen & titulum exprimit.

INCIPIT
PRIMA AETAS SECULI
II. annos & DCXLIII. habens.



Prima aetas duravit ab Adamo ad Nohae, duo millia annorum comprehendens & DCXLIII. Inde computatur tempus ab Adamo ad diluvium usque, secundum *Josephum*, his versibus:

Tempus ab hoc ad Adam Josepho testante fuerunt
Anni sexcenti millia nempe duo.

Prima seculi dies dominica fuisse putatur, post medium mensis Martii, in qua, ut ISIDORUS refert, Deus Coelum empyreum creavit & angelos; ex quibus multi per superbiam ruentes de coelo, in caliginosum aerem detrusi sunt, multi in infernum etiam demersi, aliis per amorem Deo subjectis, beatificatis: creavit quoque eo die quatuor elementa, ignem, aerem, aquam & terram, & lucem, quae hunc diem & duos immediate sequentes illuminavit; & tempus. Secunda die creavit firmamentum cristallinum, dividens aquas superiores ab inferioribus: Aquas sub firmamento congregans & quasi condensans, appellavit Maria. Tertia die in terra jam arida facta, per aquarum congressionem in visceribus terrae, Deus arbores creavit, herbas & semina. Quarta die solem lunam & omnes stellas. Quinta volucres in aere, pisces in aquis, & reptilia aquatica. Sexta die Deus creavit bestias, pecudes, reptilia terrae, & hominem, omnium creaturarum sub coelo praestantissimum, cui ipse tam diu omnia subesse jussit, quam diu is sibi subjectus & obediens esset. Sexta itaque feria homo plasmatus est, eo tempore, quo in Calendario annunciationem Domini celebramus, in Ebron sive in campo

Prima dies seculi & Dei opera.
Coelum Empyreum & angeli creati.
Angelorum lapsorum poena diversa.
Secunda dies, & Dei in ea operatio.
Tertia dies & opera.
Quarta dies.
Quinta dies.
Sexta dies, & Dei in ipsa operatio.
Hominis creatio.

damasceno. Hora prima positus in paradisum, hora tertia in extasi

Evae productio.

quasi obdormivit; & de costa ipsius Deus Evam produxit, cui nomen imposuit, & omnibus creaturis.

Transgressio mandati.

Pomum eis vetitum a Deo, hora sexta comederunt, & ex beatissimo loco hora nona ejecti sunt: adhuc tamen virgines erant, tam magni quidem corpore, quasi annorum triginta essent.

Septima dies & requies Dei.

Septima die Deus ab omni opere requievit, quare nihil postea, cujus speciem in materia aut forma diebus istis sex non posuisset, creavit, & vidit Deus cuncta quae fecerat, & erant valde bona: Haec perlustratio octavo die, quae & prima fuit

Septima dies maximis privilegiis adornata.

facta est. Haec dies, VIII. Kalendas Aprilis, in qua scilicet hominem ipsum Deus creavit, multis & magnis privilegiis adornata est, quamvis annis plurimis interjectis. Nam eo die post CXXX. annos

130.
Abel die dominica occisus.

primus martyr Abel pro justitia occisus est, quem Christus in Euangelio laudat & nos ipsum in Canone missae quotidie nominamus.

Hebraeis die dominica victoria concessa.

Deinde post centum IIIXL annos Deus eodem die Abrahae gaudiosam victoriam de quatuor regibus & grandi exercitu dedit, quos CCCXVIII. servis superavit, & populum captivum ac praedam cum

Melchisedech Deo panem & vinum obtulit.

gaudio reduxit & die illa Melchisedech Dei altissimi sacerdos, qui rex Salem in Hierusalem fuit, Deo panem & vinum in eucharistiae figuram immolavit; Gen. XIV. cap. require in Passionali VIII. Kalend.

Abraam filium suum VIII. Calend. Apr. obtulit.

Aprilis. Post annos dehinc elapsos XL. die eadem Abraam filium suum Isaac super altare obtulit in dominicae Passionis figuram; Gen. XXII., licet Hebraei hoc factum esse dicant in Neomenia Septembris. Deinde post annos MDCCXVIII. eadem die hora tertia, ut aliqui dicunt,

VIII. Calend. Aprilis virgo Maria concepit.

vel media nocte ut ceteri volunt, Virgo Maria, Gabriele Angelo nunciante, concepit Salvatorem mundi, hominem integrum, virum unicum & organizatum per omnia, ut dicit AUGUSTINUS.

VIII. Calendas Aprilis Joannes Baptista decollatus est.

Deinde post annos XXXIII. die eadem decollatus est Baptista Christi Johannes, licet hoc festum translatum sit ad quartum Kalendas Septembris, quando caput ejus inventum fuit.

VIII. Calend. April. Christus crucifixus est.

Post haec uno anno transacto eodem die Jesus Christus crucifixus est & pro inimicis oravit, matrem suam dilecto discipulo Joanni commendavit, Latronem salvavit: Solem obscuravit, Longinum illuminavit, terram concussit, monumenta aperuit, mortuos resuscitavit, inferni tenebras fugavit, ejus claustra confregit, sanctos patres inde reduxit, daemones terruit, Luciferum ligavit, prophetias evacuavit, umbras legales cas-

VIII. Calend. Apr. Jacobus Apost. martyrizatus, item sanctus Petrus de carcere liberatus.

savit, & novae legis sacramentis virtutem contulit. Praeterea sanctus Jacobus Apostolus eo die occisus est; Petrus de carcere per Angelum Domini eductus, quemadmodum in *Passionali* vere comperitur. Exiltimant super haec omnia nonnulli, finale judicium die eadem futurum, alii vero die dominica, dicentes, quod sicut prima fuit,

VIII. Calend. April. finale judicium fiet.

sic merito ultimam fieri debere. Si in sextam feriam VIII. Kalendas Aprilis tot insignia facta concurrerent, erit tamen illa in fine mundi

Concludit VIII. Cal. Apr.

dies dominica. Unde videtur mihi dies illa in qua Deus vivos & mortuos judicabit, singulis merita sua statuet, firmamentum clarifica-

ficabit, signum sanctae crucis ostendet, salvandos ad dextram sub cruce in âera congregabit, damnandos ad sinistram in terra evocabit, se & nos de inimicis vendicabit, & finalem sententiam proferens omnia consumabit jure venerando.

jure a cunctis venerari.

Hujus primae Dominicae diei dignitas in hoc attenditur, quod prima dierum omnium fuit, & ut CHRYSOSTOMUS dicit ultima erit, quod nox eam non praecessit; item quod nox ei non succedet: quod coelum elementa tempus & Angeli in ea creati sint, quod beati Angeli in hac ad Deum conversi & glorificati sint, quod secundum ORIGENEM, in ea primo incepit Deus Manna filiis Israel de coelo pluere; quia eadem die secundum eundem Lex & Decalogus in monte Synai datus, quia Christus in ea natus est, Infernum confregit, patres eduxit, Resurrexit a mortuis, quingentis discipulis apparuit, & per omnes sensus se vere resurrexisse probavit. In hac Thomas Domini latus palpavit, Spiritus Sanctus in ignearum linguarum specie datus est. Quia hac etiam die beatissimus Johannes Evangelista in coelum per annum integrum raptus vidit secreta coelestia, quod Paulus & Barnabas in Apostolatus dignitatem eadem die Spiritu Sancto docente, & voce coelitus demissa ab Apostolis assumti sunt; quia secundum CHRYSOSTOMUM omnes in ea consurgemus, in ea omnes praemiabimur. Quia illa die, quam nulla nox sequetur, electi in laude Dei sine fastidio cum inaestimabili gaudio perpetuo, continuabunt, sed reprobi eam in sempiterno supplicio cum ejulatione & tristicia. Item quod istac die omnia elementa innovabuntur secundum qualitates suas, Coelum ipsum & Sydera a motu cessabunt, & requiem percipient.

Dignitas primae diei ex multis probatur.
Coelum & Angeli in ea creati.
Angeli glorificati.
Manna pluit.
Lex data.
Christus natus.
Christus resurrexit.
Discipulis quinquies apparuit.
Spiritus Sanctus demissus.
Joannes in coelum raptus.
Paulus & Barnabas assumti.
Resurrectio nostra.
Elementorum clarificatio.
Omnium rerum quies.

Dicit METHODIUS, quod anno XV. natus fuit Chain & Salmona soror ejus, & uxor deinde; post alios XV. annos Abel & Soror ejus Delbora, sed ante Chain nati multi fuerunt, quemadmodum inter ipsum & Abel. Erat Abel C. annorum quum occiditur juxta Damascum, in die qua nos annunciationem Domini celebramus: centum annis eum Adam lugebat & Eva cum illo, nec iterum carnaliter se commiscebant, donec a Deo per Angelum admoniti fuissent, ne deficeret humanum genus.

15.
Chain, Salmona Abel, Delbora.
Quo die occisus est Abel.

Tunc genuit Seth qui vixit annis DCCCCXII. nam JOSEPHUS & METHODIUS eum natum dicunt anno Adae CCXXX. quia, Protoplasti centum annis lapsum suum poenitendo planxerant, caeterique propter mortem Abel a concubitu C annis abstinuissent. Enoch filius Seth vixit annis CMX. ejus filius Malalcël CM. praeter X; illus filius Jared CM. praeter XXXVIII., filius hujus literas quasdam invenit, & libros praecedentium gesta continentes conscripsit, sub quo Adam annorum MXXX. natus decessisse creditur, quamvis Moises non computet C. annos, quibus filium Abel luxit. Tunc Enoch annos natus CCCLXV. translatus est in Paradisum, anno ab exordio mundi MCCCCLXXIIII.

Seth.
230.
Planctus Abel. C. annis duravit.
Enoch.
Malalcël.
Jared.
Mors Adami.
Enoch in paradisum transfertur.

Mathusalem. Lamech. Nohae.

Victus primorum hominum. Viri & carnium usus nullus. Matrimonia.

Enoch optimus. Lamech pessimus.

MCCCCLXXIIII., cujus filius Mathusalem vixit annis M. praeter XXXI. Lamech illius filius vixit annis DCC. praeter XXIII. iste fuit nonus per generationem Seth ab Adam, illius filius fuit Nohae. Quilibet istorum filius fuit proxime praecedentis, Quibus omnibus vini & carnium usus non erat sed pomorum tantum atque herbarum; uxores non prius ducebant quam nati essent annos LX., quidam C. vel LXXX. Noe cum D. annorum esset, primum uxorem duxit, de qua tres filios genuit, quibus quum centum annorum essent, uxores dedit. Hic terminatur prima aetas habens II. DCXLIII. annos. Nota etiam quod sicut septimus ab Adam per generationem Seth optimus fuit Enoch, estque in paradisum translatus; ita quoque septimus ab Adam per generationem Chain pessimus fuit scilicet Lamech, qui primus bigamiam induxit, & sagitta Chain interfecit, filiumque suum arcus auctorem.

INCIPIT AETAS SECUNDA ANNOS HABENS M. *PRAETER* LVIII.

942. De diluvio quamdiu duravit annum scil. arca Nohae.

Generationes Nohae ac filiorum numerus. Sem, Cham, Japhet.

Sem. Arphaxat. Sale.

Heber.

Phalech. Regu. Serach.

Nachor. Thara.

Confusio in linguas 72.

Diluvium factum fuit mense Majo, & duravit per annum: nam eadem die qua Nohae, arcam ingressus est, anno revoluto est egressus: Habuit haec arca in longitudine CCC. cubitos, in latitudine L., in altitudine XXX. erant cubiti geometrici, habentes singuli fere decem pedes; A tribus filiis Nohae generationes LXXII. descenderunt, de Sem in Asia XXVII. & isti fuerunt liberi. De Cham in Aphrica XXX, isti fuerunt servi. De Japhet XV. in Europa qui fuerunt militares seu nobiles. Sem Nohae filius post diluvium annis duobus vixit, & Arphaxat genuit, qui CCCXXXVIII. annis vixit, XXXV. anno Sala genuit: hic CCCCXLIII. annos vixit, & Salem, quae Hierusalem est, aedificavit: XXX. aetatis suae anno Heber genuit, qui turris aedificationi interesse noluit, quare confusis ibi linguis apud ipsum solum primaeva lingua incorrupta permansit, & Hebraea ab eo appellatur. CCCCXLIII. annos vixit. XXX. anno Phalech genuit, qui vixit CCXXXII. annis, & Regu genuit, a quo XXXII. anno Seruch procreatus est, CCXXXIX. annorum fuit quando abiit. Seruch CCXXX. annos vixit, tricesimo anno Nachor genuit, qui vixit annis CXXXIX. tricesimo nono aetatis suae anno Thara genuit patrem Abraae, in quo tertia mundi aetas incaepit. Dicit magister historiarum, quod Nohae ante mortem vidit de propagine sua, scilicet 24100. pugnatorum, qui post ejus obitum turrim aedificantes divisi sunt in linguas LXXII. quas cunctas ISIDORUS enumerat. Postea orta sunt principalia regna qua-

quatuor Assyriorum sub Belo filio Assur in Oriente. Sycyaniorum, sub AEgialeo in Occidente. Scythicum sub Vexore in septentrione. In Meridie dynastia AEgiptiorum sub Mineo. Belo in Assyriorum regno Semiramis uxor successit propter Nini filii sui pueritiam, libidinosa mulier, quae Trebetam privignum suum secum concumbere nolentem fugavit. Iste Trebeta Trevirim urbem in Austrasia aedificavit. Semyramis vero Babyloniam, & Indos superavit, usum femoralium invenit, Ninum proprium filium in matronium accepit, qui Assyriam pene totam obtinuit, in eaque civitatem condidit, quam de suo nomine Niniven dixit. Jonas ibi postea praedicavit. Iste Ninus patri suo Belo imaginem formavit, quam si quis cujuscunque poenae reus adoraret, securus erat. Unde adhuc ab illo idola denominantur Beel, Baal, Beelzebub. Usque adhuc vivebat Cham filius Nohae. Jam Zoroaster Bactrianorum rex etiam florebat, qui artes Magicas reperit, & septem artes liberales in XIIII. columnis descripsit, septem aeneis, & septem latericeis, contra utrumque diluvium; tandem a Nino occisus est & libri ejus descerpti.

Quatuor principalia regna. Belus. Semiramis. Trebeta. Treveris a Trebeta aedificata. Ninus Beli filius. Ninive. Jonas. Cultus idolorum initium. Zoroaster magicae repertor.

MIRABILIA DE FONTIBUS, LACUBUS, AQUIS, SALE, ET LAPIDIBUS QUIBUSDAM.

Post diluvium fontes & homines mirabiliter variari coeperunt, dicit enim ISIDORUS *Etymologiarum* XIII., quod in Sicilia duo sunt fontes, quorum unus foecundet sterilem, alter foecundam sterilem faciat. Lechnus Arcadiae fons abortum fieri non patitur. In Italia fons Ciceronis oculorum vulnera curat. Garamantis fons die alget, & nocte ardet, unde in die per frigorem bibi non potest, nec in nocte prae calore, ut dicit AUGUSTINUS: in Epyro fons est, qui ardentes faces extinguit, extinctas accendit. Sardiniae fontes calidi sunt, oculos curant proborum, fures autem coecant & facinerosos detegunt: fons Job in Idumaea quater in anno colorem mutat, tribus enim mensibus est pulverulentus, tribus sanguineus, tribus viridis, & tribus clarus. Est in Phrygia fons, qui saxa generat; in Aphrica alter, qui terram indurat, & favillas in cespitem solidat. Syloa fons sub monte Syon in certis horis diebusque ebullit. Rivus Judaeae quondam omnibus Sabbatis siccabatur. Styx, Achaiae fons, vel fluvius e saxis fluens bibentes statim interficit, & ideo dicitur fluvius infernalis. In Asphaltide lacu Judaeae nihil vivum mergi potest, mortuum mergitur in profundum: Lucerna ardens natat, sed extincta profundum petit. In Sidene stagno Judaeae ni-

Duo Siciliae fontes, quorum unus foecundat, alter sterilem reddit. Lechnus Arcadiae fons. Fons Ciceronis. Garamantis fons. Epyri fons. Sardiniae fontes. Fons Idumaeae. Fons in Phrigia. Fons in Africa. Silöa fons. Rivus Judaeae. Styx Achaiae. Fluvius infernalis. Asphaltis lacus.

nihil natat, sed omia merguntur. E contra in Alce lacu nihil mergitur, sedomnia natant. In Trogloditis lacus ter in die fit amarus & toties dulcis. Celoinum stagnum Siciliae tetro odore suo fugat homines. In Thessalia duo sunt flumina: de uno oves bibentes fiunt albae, de alio nigrae; si agrae ibi commiscentur variae fiunt oves. Clatumnus Umbriae lacus maximos boves nutrit.

Thessaliae flumina.

Reatae paludes indurant ungulas jumentorum. In AEthiopia fons rubeus bibentes lymphiaticos facit. In Boeotia duo sunt fontes, quorum unus homini memoriam dat, alter oblivionem, ibidem alter furialis bibentibus libidinem excitat. Cyrici fons amorem veneris tollit. Clitorius lacus Italiae, bibentibus fastidium vini facit. Albula, aqua Italiae, vulneribus medetur. In AEthiopia lacus est, quo pertusa corpora, velut oleo, nitent. In Campania duae sunt aquae, una virorum insaniam fugat; altera sterilitatem tollit foeminarum. Zamae, Aphricae fons, voces canoras reddit. In collibus puteolanis pulvis colligitur, qui aquis immersus in lapidem induratur, sicut argilla per ignem. In aquis Arcadiae lapis Asbeston invenitur, qui semel succensus nunquam extinguitur. Lapis Enidros semper sudat & paulatim stillat. Emicaratus fluvius merulas albas nutrit. Mare Ciciliae Corallium parit, molle sub aqua, album & ramosum, sed cum siccatur, fit corallus rubeus & durus, qui valere dicitur contra tonitrua. Ibi colligitur sal Agrigentinum, quod per aquam induratur, & per ignem dissolvitur. In Cyrenea sal hamoniacum sub arena invenitur, cum luna crescens & decrescens. Sunt etiam montes nativi salis, in quibus si ferro lapis ceditur, sal iterum non nascitur: alicubi autem tantae quantitatis, ut muros in Arabia & Pannonia ex eo fiant. In Sicilia sal nascitur Memphilicum, sed in Aethna purpureum: in Cappadocia sal gileum seu Croceum, in Pathmo sal splendidum, reddens imaginem ut speculum.

Reatae paludes.
AEthiopiae fons.
Boeatiae fontes.
Cyrici fons.
Clitorius.
Albula.
Campaniae aquae.
Zamae Aphricae fons.
Asbeston.
Enidros.
Emicaratus.
Corallium.
Sal Argigentinum.
Sal hamoniacum.
Sal Memphilicum
Sal rubeum.
Sal Gileum.
Sal splendidum.

DE HOMINIBUS MONSTRUOSIS DIVERSARUM FORMARUM.

De hominibus diversarum formarum scribit PLINIUS lib. septimo cap. tertio, & AUGUSTINUS lib. XVI., de Civitate Dei, capite octavo, & ISIDORUS Etymologiarum XV. omnia quae de his sequuntur. In India Cynocephali homines sunt, canina capita habentes cum latratu loquuntur, Aucapio vivunt, ut dicit PLINIUS, atque omnes animalium pellibus vestiuntur. Cycoples in India unum oculum habent in fronte supra nasum, & ferarum carne vescun-

Cynocephali in India.
Cycoples in India.

vescuntur, quare Agriophagi vocantur. Foeminae in Libya sine capite nascuntur, os & oculos in pectore habentes. In Oriente contra paradisum circa fontem & fluvium Ganges homines sunt nihil comedentes, quia os tam parvum habent, ut potum calamo sumant; pomorum odore atque florum vivunt, malo odore subito necantur. Ibidem homines sine naso sunt plana facie: item homines labium habentes inferius tam magnum, ut totam faciem cum dormiant contegant; item alii sine linguis nutu loquentes, ut Monachi. Panethi in Scythia aures adeo magnas habent, ut totum corpus a capite ad pedes usque tegant: in Ethiopia quidam ut pecora proni ambulant, vivuntque quidam per annos XL. Satyri homines cornuti sunt, naso brevi, pedibus caprinis, quare est legenda integra SANCTI ANTONII Abbatis (***.) In AEthiopia occidentali unipedes sunt, tam veloces ut bestias insequantur. In Scythia Hyppopedes sunt, humanam formam & equinos pedes habentes. Macrobii in India statura sunt pedum XII. ibidem sunt Pygmaei duorum cubitorum, equitantes super hircos, & cum gruibus praeliantes, quorum foeminae quinquannes concipiunt, & tantum octo annos vivunt. Item homines quinque cubitorum geometricorum, nunquam infirmi usque ad mortem. Praeterea legitur in gestis Alexandri Magni, quod in India sunt homines; sex manus habentes, item homines nudi pilosi, in flumine morantes: item homines in manibus & pedibus sex digitos habentes. Hyppochiani in aquis degentes, medii homines sunt superne, & medii equi ab infra. Item mulieres cum barbis usque ad pectus, sed capite plane sine crinibus. In AEthiopia occidentali homines sunt quatuor oculos habentes. In Eripia homines sunt formosi, sed capite & collo grυino cum rostris.

Agriophagi. monstruosae foeminae in Lybia. Homines odore solo viventes. & sine naso homines. Homines inferiori labio totam cum dormiunt faciem tegunt; homines sine linguis. Panethy auritissimi. Satyri cornuti. Monopedes. Hyppopedes. Macrobii in India. Pymaei. Homines nunquam infirmi. Senomani homines pilosi. Hyppochiani. Homines foeminae cum barbis.

Refert OROSIUS circa principium septimi libri historiam sic: Fluxerunt ab Adamo primo homine usque ad Ninum magnum regem, quando & Abraam natus est, MMMCLXXXIIII. anni; A Nino vero, sive ab Abrahamo usque ad Caesarem Augustum, vel ad Nativitatem Christi, quae fuit anno imperii Octaviani Caesaris XLII. cum bella mundi toto orbe jam cessarent, & ubique pax esset, anni MMXV. In eodem libro scribit OROSIUS anno ante urbem conditam VIIIC. AEgyptiis multa mala atque intolerabiles plagas de coelo incubuisse, & hoc TROGUS POMPEJUS & CORNELIUS TACITUS testantur similiter. Tandemque post plagas decem in mari rubro obrutam & submersam cum rege suo esse universam multitudinem AEgypti, extare etiam adhuc usque certissima horum monumenta referuntur. Nam tractus curruum & rotarum orbitae non in littore solum, sed & in profundo, in quantum usque admittitur, adhuc apparent, quae si forte ad tempus turbantur & dissipantur, continuo ventis flantibus divinitus reparantur.

Anni ab Adam usque ad Ninum III. CLXXXIV. Anni a Nino ad Nativitatem Christi 2015. Quo tempore AEgyptii decem plagis percussi. Miraculum.

INCIPIT TERTIA AETAS HOMINIS, ANNOS HABENS M. *PRAETER* LX.

943. Anni ab Abraam ad Christum. Combustio idolorum. Idolum Beli servatum. Chaldaei quomodo seducti. Pentapolis. Pentapolis ubertas. Pentapolis in mare mortuum conversa. Quando Pentapolis submersa est. Causa submersionis. Persuasio auctoris. Abraam Arithmeticam AEgyptios docuit. Melchisedech. Omnes primogeniti sacerdotes. Uxor Loth in statuam salis versa.

Ab initio seculi usque ad Abraam fuerunt anni MMMCLXXXIII. deinde ad Christum MMXV. Abraam idola patris sui confregit, nolens ignem cum Chaldaeis pro Deo adorare, & ideo Chaldaei ipsum cum fratre suo Aram in ignem projecerunt. Aram combusto Abraam illaesus exivit & evasit de Ur Chaldaeorum, id est, de igne, quem Chaldaei adorabant, quod videntes Chaldaei omnia Idola combusserunt, praeter Idolum Beli, quod praevaluit, quia coronam subtilem aqua plenam habuit, cujus foramina erant cera obstructa, quae ab igne liquefacta aqua ex illis exivit, & ignem superans Chaldaeos confudit. Nota regio Pentapolis est in confinio Arabiae ac Palestinae, a quinque civitatibus quae in ipsa sunt ita appellata. Haec cum omnibus quae in ea fuerunt coelesti igne consumta est. Uberrima fuit terra ante consumtionem, & adeo locuples, ut inter arenam ejus Sapphiri & aliae praeciosae gemmae invenirentur, & inter glebam aurum. Haec tangit Jobus Cap. XXVIII. dicens, in locis Sapphiri lapides ejus, & globae ejus aurum. Sed regio ista in mare mortuum postea conversa est, ita vocatum, quod nihil vivum gignat, nec in se aliquid vivi recipiat, in eo lucerna ardens supernatat, extincta profundum petit. MCLX. annis ante urbem conditam Pentapolis, id est, quinque civitates Sodoma, Gomorra, Adama, Zeboim & Zegor arsisse CORNELIUS refert. Causa tanti mali fuit temporalium rerum abusio, & enorme contra naturam peccatum. Illic in hodiernum diem virentia poma, & formatos uvarum botros tanta pulchritudine nasci videmus, ut videntibus edendi cupiditatem generent, si carpas, in cinerem facti sunt, fumumque aestuant, quasi adhuc ardeant. Utinam de hoc ipso exitio omnes peccatores vel discere vel intelligere possent, quam graviter peccatores Deus punierit, quantum punire possit, & quantum post puniturus est. Abraham AEgyptios ad radicem Mambrae Arithmeticam & Astrologiam docuit: dicitur adhuc ibi quercus ut Terebintus stare, ubi ille tres Pueros vidit, Unumque adoravit, & quia, arida est dicitur *ter dür bom*. Melchisedecus dicitur Sem primogenitus filius Nohae: omnes enim primogeniti usque ad Aaron sacerdotas fuerunt. Iste Melchisedecus vixit usque ad Isaaci tempora, & quia non extaret memoria parentum suorum, ideo Apostolus ad Hebraeos cap. VII. de illo dicit, Melchisedech sine Patre & Matre. Uxor Lothi versa fuit in statuam salis, quam lambunt oves & caprae usque ad terram, & Sabbato recrescit secundum BEDAM; illam JOSEPHUS se

se vidisse asserit, & adhuc etiam ibi esse poma pulchra & visu delectabilia, quae in Zodomis crescunt, plena cineribus tamen & favillis. Anno Abraae centesimo Isaac natus est, qui anno xxv. ad victimam ductus est, ab exordio mundi MMMCCCIX., & licet Judaei hoc factum esse dicunt prima die Septembris, Ecclesia tamen in die Annunciationis hoc contigisse dogmatizat: Ismael autem filius Abrahae ex Agar annorum erat XIII. quando Isaac natus est, ab illo Ismaelitae sive Amalechitae seu Sarraceni descenderunt, qui etiam circumciduntur XIII. anno, sicut Ismael pater eorum, a quo descenderunt. Ab initio seculi usque ad Jacob Patriarcham anni fuerunt MMMCCCXLIII. Hunc Deus vocavit Israel, quando luctabatur cum Angelo usque mane. Hic simul habuit quatuor uxores Leam, Rachel, Zilpham & Bilha, quae genuerunt ei XII. Patriarchas, scilicet Ruben, Symeon, & Levi, Judam & Isachar, Zabulon & unam filiam Dinam, quae postea uxor fuit Jobi. Isti sex filii & Dina soror eorum descenderunt de Lea; Joseph vero & Benjamin de Rachel; sed de Bilha, quae fuit ancilla Rachel, Dan & Naphtalim; de ancilla Leae Zilpha geniti sunt Gad & Asser. Ab his duodecim omnes Judaei descenderunt. Eo tempore Minerva, quae & Pallas dicitur, lanificium & multas alias artes adinvenit. At diluvium particulare circa Achajam multas regiones inundavit. Joseph XII. jam annorum venditus fuit, adhuc matre sua Rachel & Isaac avo viventibus, ut dicit JOSEPHUS in primi libri fine. Hebraei dicunt socerum Josephi filium fuisse Dinae, & Jobum generum suum fuisse, quorum filiam accepit in uxorem. Jobus rex fuit in Oriente, & tres amici sui in Occidente, Meridie, Septentrione. Fabulantur etiam habuisse Jobum & tres amicos suos quatuor arbores virides, quo aegrotante continuo pallescerent, & ideo illos tres amicos Jobo dolente in medio terrae consedisse. Vixit Job post infirmitatem suam CXL. annis, & duplo ditior factus quam antea fuit. Decem pueros genuit, quorum nepotes vidit usque ad quartam generationem.

Quo anno Isaac natus.
Ismael natus annos XIII.
Ismaelitae.
Amalechitae.
Sarraceni.
Quo tempore Jacob natus.
Jacob Israel vocatus.
Uxores Jacobi.
Duodecim Patriarchae.
Minerva Pallas.
Diluvium particulare.
Joseph venditus.
Jobus.
Arbor miraculosa.
Quamdiu Job post infirmitatem suam vixit.

ATHLAS gigas Astronomus claruit anno ab exordio mundi MMMDL. hic fabulose dicitur coelum sustentare. Prometheus frater ipsius annulum excogitavit, sed rusticus ferreum, civis cupreum, miles argenteum, Princeps aureum gestare debuit, & quilibet unum in quarto digito sinistrae manus tantum, ut ISIDORUS scribit.

Athlas, caelifer 3550.
Prometheus annuli repertor.

AMPHITRION MMMDLXXXIV. anno studii causa Athenas perrexit: diluvium particulare iterum multas regiones inundavit. Tunc Deucalion in monte Parnaso pluribus hominibus alimenta praebuit, donec terra arida facta fuit. Quare OVIDIUS fabulatus, Deucalionem ex lapidibus homines procreasse.

Amphitrion. 3584.
Diluvium particulare sub Deucalione.
Deucalion.

MOYSES MMMDCLXXXVIII. anno ab initio mundi natus fuit, rubum ardentem & non conburantem vidit, literas Hebraeas invenit, sed idioma Hebraeum ab initio mundi fuit. Sexcenta millia Judaeorum filiorum Israel de AEgypto duxit sicco pede per mare rubrum, par-

3688.
Moses literas Ebraeas invenit.
Filiorum Israel exitus.

parvulis & mulieribus tamen non conputatis. Legem & decem praecepta a Deo accepit ante Christum annis MD. Eo tempore sol AE-
Incendium AEthiopiae. thiopiam incendio vastavit, quod OVIDIUS negligentiae PHAE-
THONTIS adscribit. Josua MMMDCCXXX. Jordanem sicco pede
3730 Josue Israelis dux. transivit, Hiericho destruxit, reaedificanti maledixit, quod post annos D. tempore Achabi impletum est, quarto Regum XVI. Eodem
Erichthonius. tempore Erichthonius Trojae quadrigam primus junxit. Cadmus li-
Cadmus. teras Graecas invenit. Perseus de Graecia in Asiam venit, transiens
Perseus. genti Persarum nomen dedit. Tunc fabulae fictae sunt de Saturno,
Fabulae de diis efictae. Joveque filio, qui patri in regno successit. Josua contra quinque reges pugnans soli & lunae imperavit, ut starent immobiles, fieretque ex duabus diebus dies una. Reges XXXI. bello victos occidit. Hinc
Judas dux. Judas successit dux Israel, qui captum Adonibezechum, ut ille prius LXX. regibus fecerat, amputatis manuum pedumque summitatibus, colligere sub mensa ciborum reliquias coegit.

Delbora. DELBORA Prophetissa MMMDCCCLXXV. imperavit annis XL. Tunc
3878. Jahel. Jahel Sysaram contrivit habentem LM falcatos currus. Apollo Cytha-
Apollo. ram reperit, & medicinae artem, quam postea filius suus AEsculapius
AEsculapius. ampliavit, ictus fulmine interiit. Gedeon MMMDCCCCXV. imperavit
3915. XL. annis, cui Dominus in vellere victoriae signum dedit. Hic con-
Gedeon Israelitarum dux. tra Midian pugnaturus populo suo dixisse fertur; omnes timidi vadant domum, & recesserunt 22000. & remanserunt secum 10000. quorum
Gedeonis stratagema. 300. solum retinuit, qui de fonte potum ut canes lambuerunt cum linguis: cum his CXX. millia superavit, interficiens Oreb Zeeb Zebah &
Abimelechi crudelitas. Salmuna reges Midian. Habuit LXX. filios, quos Abimelech filius suus ex ancilla natus interfecit. Eo tempore Mercurius Lyram repe-
Mercurius Lyram reperit. rit, & Chorus sive Chorea in Graecia est reperta. Jair dux Israel
Jair dux Israel. 4000. praeter 20. anno, imperavit 22.; filios 30. habuit, 30. civi-
Priamus. tatum principes. Tunc Priamus in Troja regnavit, & Nympha Car-
Literae Latinae inventae. mentis literas Latinas invenit. Centauri in Thessalonico bello fuisse
Centauri. leguntur.

4003. Jepte. JEPTE IIII. CCC. filiam suam, sicut stulte voverat, immolavit.
Amazones. Dicit ISIDORUS lib. IX. quod eo tempore inter Asiam & Europam de gente Gothorum, viris omnibus dolo interfectis, uxores arma sumentes, Europam, & partes Asiae superaverunt, per annos quingentos potenter bellantes: Ephesum destruxerunt, mamillas suas quibusdam medicamentis evulserunt, & ideo Amazones vocabantur. Duas reginas semper simul habuerunt, ut una mortua, altera succederet, & una praeliante, altera judicaret: Et sic usque ad Alexandri
Amazones Alexandro tributa postulanti rescripserunt. Magni tempora durantes, eidem tributa postulanti ita scripserunt: si bello nos viceris, honorem modicum inde consequeris: si autem a nobis victus fueris, non modicum confunderis. Rescripsit Alexander; non
Alexander Amazonibus re. gladio & furore eum mulieribus praeliandum esse, sed amore. Super
Hercules. has Hercules ex improviso irruit, sed parum proficiens flammis se prae pudore injecit. Eo quoque tempore Troja propter Helenam raptam de-

destructa est ab exordio mundi IIII. XVI. AEneas in Italiam veniens tribus annis regnavit, & de progenie sua post eum per annos 400. ante Romam conditam Reges duodecim, qui Sylvii vocabantur sicut Reges AEgypti Pharaones, & dehinc Ptolomaei: Et sicut Parthorum Reges propter constitutum regnum Arsaces, Romanorumque Imperatores Augusti vocantur. In obsidione Trojae, quae decem annis duravit, ut dicunt, scachus & alea, diversique ludi sunt inventi. Alii dicunt, quod Scachorum ludus inventus sit in Chaldaea, sub Emirodach, nepote Magni Nabuchodonosoris. Codrus Athenarum Rex sub ignoto habitu hostes provocavit, ut occideretur, & per hoc patriam liberavit.

Destructio Trojae. 4016. Aeneas in Italiam venit. Sylvii. Pharaones. Ptolomaei. Arsaces. Augusti. Scachus & alea reperiuntur. Codrus Rex.

SANSON 4024 judicavit Israel 20. annis, hic ab Angelo nunciatus, ab infantia sanctus, vinum nunquam bibit, tantae fortitudinis fuit, ut Leonem interfecerit, 300. vulpes coeperit, & alligatis in illorum caudis ardentibus facibus in maturas Philistinorum segetes miserit; & eo modo illos depopulaverit; duos novos funes disrupit, asini mandibula mille viros occidit, & ex ea fontem produxit, portas Gazae confregit, septem novos funes rupit, crines cum licio extraxit. Rasus excoecatus est, & molere coireque cum mulieribus coactus, tria millia Philistinorum & se etiam interfecit innixus ad columnam, supra quam domus aedificata fuit. Eo tempore Boas genuit Obeth ex Ruth ante Christi Nativitatem MCC.

4024. Sanson. Sansonis egregia gesta.

Boas. Obeth ex Ruth.

HELI Sacerdos 4044. anno rexit Israel annos 40: tunc Homerus Poeta & Rex fuisse putatur. Samuel, & Saul Rex rexerunt populum Israel annis XLII.

Ex primo libro regum. 4044. Homerus Poëta, & Rex; Samuel, & Saul Rex Israel.

INCIPIT QUARTA AETAS, HABENS ANNOS DCXX.

David 4124. anno ab exordio mundi, ante Christum vero 1068., ante Roman conditam 360. Hic adhuc puer Ursum & Leonem interfecit Goliath Filisteum superavit, filiam Saul sibi 200. hostium praeputiis desponsavit, 40. annis regnavit, Psalterium, composuit. hinc versus;

4124. David Rex. Davidis gesta.

Ter quinquagenos David canit ordine Psalmos,
Versus bis mille & sexcentos personat ille.

Numerus Psalmorum Davidis. Gath. Nathan. Asaph.

Gad, Nathan & Asaph Prophetae floruerunt. Dido Carthaginem condidit, quam Scipio cum Romanis postea destruxit. Salomon 4164. anno ab Adam, ut JOSEPHUS habet, annis LXXV. regnavit & XIV. aetatis suae anno regnare coepit. Sed sacra scriptura tantum XL. annos numerat, quibus bene, operatus est. Habuit Salomon LX millia peditum in armis, currus mille

4164. Salomon Rex.

Uxores & concubinae. Roboam. Hieroboam. Asa. Hoseas seu Johel. Azarias prophetae. Achas. Jesabel pessima mulier. Syri bis victi. AEthiopes victi. Josaphat

& cccc; & duodecim millia equitum. Uxores DCC. quasi reginas, & 300. concubinas, sicut dicitur IV. Regum XI. Roboam regnavit annis XVII. cui Hieroboam filius Naboch abstulit X. tribus. Asa regnavit super Judam annis XLI. Tunc prophetizavit Hoseas, seu Joel, & Azarias. Hujus anno XXVIII. regnare coepit Achas super Israel XXII. annis, cum uxore sua Jesabel, pessima filia Sydoniorum Regis. illa Heliam fugavit, Naboth occidi jussit pro vinea, in qua postea eam canes laceraverunt. Achas Syrus bis vicit, primo cum servis CCXXXII. & Reges XXVIII. cum omnibus eorum exercitibus superavit. Secundo percussit iterum ex Syris una die centum millia. AEthiopes decies centena millia venerunt contra Hierusalem, quos rex Asa cum DLXXX. millibus superavit. Josaphat regnavit super Judam XXV. annis, hic judicibus inhibuit munera accipere, illius socer Achab in Ramoth periit. Joram regnavit super Judam VIII. annis, qui occidit sex fratres suos, cui Helias duras literas misit, male obiit Achasias vel Athasias, unum tantummodo annum regnavit; iste cum descendisset (***.) videre filium Achab aegrotantem. Jehu filius Joram utrumque occidit: matremque Jesabel de alto praecipitavit, & filios etiam LXX. occidi praecepit: omnes cultores Baal delevit. Eo tempore Elias raptus est in paradisum 4300. minus duobus ab initio mundi annis transactis. sed Enoch antè Heliam illuc translatus erat annis 2826. Athalia Ochosiae mater regnavit annis septem, omnem stirpem suam occidit, praeter Joas filium Ochosiae, quem Josebath amita sua, uxor Jojadae Pontificis, VII. annis abscondit. Eo tempore Jonadab filius Rechabaami generationi suae praecepit, dicens; non bibetis vinum vos & posteri vestri, domum non aedificabitis, agros non coletis, vineam non plantabitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus. Ab his descendit populus Cedar vel Tartari, qui dicuntur Rechabitae a Rechab. Joas 4336. anno ab Adam regnavit, in Hierusalem XL. annis. Tunc floruit Heliseus, qui pallio Heliae Jordanem divisit, salsam aquam dulcoravit, XLII. pueris sibi illudentibus maledixit, unde eos statim ursi devoraverunt; trium regum exercitui aquam sufficientem dedit. Oleum viduae augmentavit, filium Sunamitis resuscitavit, scilicet Jonam Prophetam. Coloquinpidas emendavit, panes hordeaceos populo multiplicavit. Naaman mundavit. Gehasi cum progenie sua leprosum fecit, exercitum Syriae coecavit, Samariam a fame & obsidione liberari prophetizavit. Asael regem Syriae & Jehu regem super Israel constituit; Regi Joas de Syris victorias tres promisit: sepultus mortuum suscitavit. Nota, quod Joas filius Achasiae Rex Hierusalem, lapidare fecit Zachariam filium Jojdae summi Pontificis inter templum & altare, quod erat in atrio, anno regni sui penultimo. Amasias regnavit in Hierusalem annis XXIX. hic praevaluit Idumeis, sed Joas Rex Israel captivavit eum, & destruxit murum Hierusalem CCCC. cubitis, Osias aut Azarias regnavit LII. annis, illum Deus lepra percussit, quod se Sacerdotali officio intromisit. Olympias seu ludus quinquenna-

Athasias. Jehu filius Joram crudelis. Idolatra delevit. Elias in coelum raptus. Athalia crudelis mulier. Joas absconditus. Jonadab. Populus Cedar. Tartari Rechabitae. 4306. Joas. Helisaeus. Helisaei miracula. Jonas. Zacharias. Amasias. Ozias. Olympiadis institutio.

nalis eo quoque tempore a Graecis inftituitur. Regnum Affyriorum 4420. anno in Medos transfertur, quia Arbaces vicit Sardanapalum, qui purpuram fruftravit & fe injecit flammis. Joachim 4427. anno ab Adami regnavit XVI annis: tunc Amulius de progenie AEneae Numitorem fratrem fuum Italiae regno deturbat, qui in agro fuo vivens filiam fuam adhuc virginem Deae Veftae confecravit: fed quia votum occulte fregit, geminos Remum & Romulum peperit, eofque juxta Tyberim projecit, unde ipfa viva defoffa eft; pueri autem adulti facti Amulium occiderunt, & Numitorem avum fuum regno reftituerunt, Romamque conftruxerunt. Romulus fratrem fuum interfecit, & urbem de fe Romam appellavit. Imaginem auream in palatio fuo ftatuit, de qua prophetizatum fuit, quod tam diu ftaret, donec Virgo pariens Filium parturiret: haec ftatua in illa nocte cecidit, qua virgo Maria Dei Filium in Bethleem genuit. Achas regnavit XVI. annis: hunc arguit Efaias dicens; PETE tibi fignum a Deo, quod noluit, fed Deos gentium adoravit. Eo tempore Spartani five Lacedaemonii per annos L. bellando vagantes fcripferunt uxoribus fuis, ut alios maritos ducerent, ne genus periret.

4420. Regni Affyrii in Medos translatio. 4427. Joachim. Amulius. Numitor. Remi & Romuli nativitas. Roma aedificatur. Statua Romuli. Virgo pariens. Achas. Spartanorum mulieres.

EZECHIAS 4459. a mundi exordio regnavit XXXIX. annis; hic excelfa idolorum altaria deftruxit, folemne Pafcha celebravit, in quo 2000. tauros & 17000. oves facrificio confumfit, ferpentem aeneum Moyfis fregit, quia ei populus immolaffet: illius regni VI. anno Salmanafar Affyriorum Rex Samariam coepit; & Ofeam Regem Ifrael captivum fecum abduxit, Tabiam quoque, qui annorum LVI. caecus factus fuit, IV. annis poftea illuminatus vixit annis LII, donec filius fuus feptem filios habuit, & ex his nepotes plurimos; obiit cum vidiffet ex fe quintam generationem. Ante urbem Romam conditam anno Domini CCCC XXX. raptus Helenae, conjuratio Graecorum, & mille navium concurfus factus eft, dehinc decennalis obfidio, ac poftremum famofum Trojae excidium praedicatur. Haec OROSIUS. Item ante urbem conditam LX. anno quidam rex Siculus nomine Phalaris, mente crudelis, fed tormentis crudelior omnia nefaria in innocentes exercens, invenit aliquando quo mifere torqueret juftos. Nam Perillus, aeris opifex affectans ejus gratiam atque amicitiam aptum crudelitatis munus excogitavit. Taurum aeneum fecit, cujus januam a latere pofuit, quae ad includendos damnatos receptui apta foret, ut, cum inclufus ibidem fubjectis ignibus torretur, fonum vocis concavum aes augeret, pulfuque ferali imagini competens murmur emitteret, nefarioque fpectaculo mugitus tauri, non hominis gemitus putaretur, fed Phalaris munus hoc amplexus artificem execratus eft. Perillum, qui fupplicium illud coeteris paravit, primum intrudi fecit, ut tormentum probaret, unde bene ait pfalmifta: *incidit in foveam, quam fecit.*

4459. Ezechias. Pafcha celebratum. Salmanafar. Raptus Helenae. Phalaris Siculus. Perillus fua opera periit. Taurus aeneus.

Anno ab urbe condita 402 ut dicit OROSIUS Nox ufque ad plurimam diei partem vifa eft tendi, & horribilis deinde grando de nubibus cadens, terram veris lapidibus verberavit, quibus diebus Magnus Alexan-

Magnus Alexander natus. lexander, vere Magnus ille miseriarum gurges, atque atrocissimus turbo totius Orientis natus est. At vero parvo deinde tempore interjecto, Crudele mulierum Romanarum facinus. horresco referre quod gestum est, Claudio Macello & Valerio consulibus incredibili rabie & amaro veneficii malo in ipsos maritos suos Romanae matronae exarserunt, venena praxantes. Erat itaque foedus & pestilens dudum annus, inflictae undique strages egerebantur, & adhuc cum pene omnes id malum ex corrupto aëre evenire putabant, tandem ancilla una indiae res palam facta, multae matronae comprehensae, & ut biberent quae coxerant venena, compulsae sunt, & statim ut gustaverunt extinctae: Tantus autem numerus fuit mulierum hujusmodi sceleris consciarum, ut 370. damnatae referantur. Pharisaei non nubunt. Quapropter ut ait JOSEPHUS, Pharisaei nubere nolunt, quod raro vix inter mille una inveniatur suo viro fidelis. Dicit OROSIUS quod Roma condita sit post eversionem Trojae anno 414. olympiade VI. hoc 4484. est ab initio mundi 4484, ante Christi Nativitatem annis 1215. &, ut mirabile refertur, quod a condita Babylone ad Romam conditam fuerunt anni 1164. & abhinc totidem ad Romanae civitatis destructionem, quam sub Alarico passa est.

Sennacherib. Anno Ezechiae 14. Sennacherib Rex Assyriorum coepit omnes civitates regni Judae praeter Hierusalem, & misit Rabsacem ad exprobrandum Deo & regi, ideoque nocte sequenti Angelus Domini percussit de Assyriorum exercitu CLXXXV. millia.

Ezechias aegrotavit. Anno XV. Ezechias aegrotavit, quo lachrymante Dominus superaddidit vitae ejus adhuc XV. annos, & in illius signum retrocedere fecit solem decem gradibus; Rex itaque in laudem Dei cecinit Psalmum; *Ego dixi in dimidio dierum meorum.*

Manasses. MANASSES regnavit annis LV. peccator primo fuit maximus, postea in captivitate positus poenitentiam egit, & Rex Sanctissimus factus Sybilla Samia. est. Tunc claruit Hierophila Sybilla, quae etiam Samia est a lacu de-Sybillae decem fuerunt. nominata, sexta in ordine: decem enim ISIDORUS VIII. Etym. enumerat, & singularum dictamina laudat, quarum una Romae sic scripsit in lapide R. R. R. F. F. F. quod venerabilis BEDA sic exponit: Tullus Hostilius. *Roma Ruet Romuli Ferro Flammaque Fameque.* regnavit eo tempore Ro-Amon. mae Tullus Hostilius; in Lydia Gyges.

Josias. AMON vero regnavit annis duobus; census agere primus coepit; 4555. quare domestica conjuratione oppressus periit; Josias huic successit anno ab exordio mundi. 4555. annorum 8. fuit, quando regnare coepit, & XXXI. annis regnavit. Excelsa & idola omnia destruxit, sicut de eo Pascha celebratum. nominatim tempore Hieroboam prophetatum fuit. Anno regni sui XVIII. Pascha celebravit & obtulit 3000. boum, item agnorum reliquo-Hieremias. rumque pecorum 30000.; hunc occidit Rex AEgypti Necho; unde Thales Milesius de eo librum Lamentationum fecit Hieremias, & reliqua addidit post eversionem Hierusalem. Tunc claruit Thales Milesius, qui prius coeli causas, & vim rerum naturalium contemplata ratione suspexit, ut dicit ISIDORUS secundo Etymologiarum; illo tempore Romae regnavit Anius. JE-

JECHONIAS vel Joachim regnavit menses tres: hunc Necho Aegypti Rex ex Medica expeditione reversus, ad se in castra accersitum in vincula conjecit, & pro eo constituit fratrem Heliachim filium Joachim, qui undecim annis regnavit, & post Joachim regnavit filius ejus tribus mensibus, quem vinctum cum x. millibus Nabuchodonosor in Babyloniam transtulit, prius Sedechia, qui Maththias antea vocabatur, in illius locum substituto. Regnavit Sedechias XI. annis, rupitque juramentum, quod Nabuchodonosori regi fecerat: quare is Hierusalem obsedit & destruxit, Sedechiam excoecatum & captivum cum toto populo secum duxit Babylonem. Haec captivitas vocatur transmigratio Babylonis.

Anius Rex Romanorum. Jechonias. Heliachim. Joachim. Nabuchodonosor. Sedechias.

Transmigratio Babylonis.

INCIPIT QUINTA AETAS, HABENS DC. *ANNOS MINUS* XVII. *USQUE AD CHRISTUM DURANS.*

Transmigratio Babylonis facta est anno ab exordio mundi 4609. & duravit per annos LXX. quibus temporibus prophetaverunt Ezechiel & Daniel, historia Judith quoque scripta est, & Sapho puella Lesbia diverso poemate claruit.

4609. Ezechiel. Daniel. Sapho Poetria.

POST haec Cyrus regnare coepit, sed multum timuit Croesum Lydiae Regem, qui supra modum divitiis abundabat, ut tangit BOETIUS in quarto libro consolationis philosophiae. Cyrus Croesum bello superatum flammis injecit, sed pluvia ignem extinxit, & Croesus aufugit. Vidit Croesus iste in somno Jovem se irrigare, & Phaebum siccare, quod filia sua audiens, exposuit dicens: „ Affixus cruci pluviis irrigaberis & sole siccaberis ". Quod & factum est, quia pro sua liberatione priori non egit Deo gratias. Cyro quandoque praeliante, fortissimi sui omnes de praelio fugierunt, quibus mulieres occurrentes regionis illius ostenderunt nuda pudenda, dicentes: Cur miseri fugitis? vultisne ventres matrum vestrarum iterato introire & renasci; unde ipsi ilico prae verecundia resistentes & viriliter pugnantes triumphaverunt de hostibus. Miles quidam Cyro charissimus in flumine Phisor sive Gynde est submersus, in cujus ultionem Rex Cyrus istud corrivavit in 180. partes. Idem Euphratem postea similiter in partes dividens, Babylonem cepit, cujus muri spissitudo fuit 50. cubitorum & altitudo 200., ambitus vero stadiorum 480., portae aereae 100., cum vectibus ferreis, ut dicit OROSIUS & ISAIAS 45. *Christo meo Cyro*; & paulo post; *Portas aereas conteram & vectes ferreos confringam:* & dicit beatus HIERONYMUS, quod turris Babyloniae in altitu-

Cyrus Rex Persarum.

Croesus Lydorum Rex.

Mulierum cavillum.

Gyndes divisus.

Babylonis descriptio.

Turris Babylonis.

Tomyris Cyrum superat. Cavillum.

titudine habuit 3000. passuum i. e. duas leucas. Tandem Massagetharum regina Tomyris Cyrum superavit, & cum eo cc. millia pugnatorum. Caput illius abscissum in dolium sanguine humano plenum projecit, dicens; Sanguinem sitiisti Cyre, sanguinem bibe.

DE REDITU TRANSMIGRATIONIS.

Redeunt Judaei in Judaeam.

Darius. Socrates. Plato.

Anno Cyri primo redierunt de Babylonia a captivitate in Judaeam de licentia Cyri Regis fere quinque millia Judaeorum, exceptis parvulis ac mulieribus, ductantes equos secum DC., mulos CC., camelos CCC., asinos VI., vasa aurea DCC. & argenti talenta 5400. Darius regnavit annis 34. Socrates Philosophus contemnens Deos jugulatur, & Plato discipulus ejusdem Rhetor & Philosophus clarus habetur.

Quamdiu Roma a Regibus administrata. Consules. Exconsules. Romanorum justitia. Brutus a quo Brytannia dicta. Bruti austeritas.

Huc usque Roma per annos 744. a Regibus administrata est, quibus ex urbe propulsis Romani quotannis duos Consules elegerunt, qui anno finito officium absoluti Exconsules vocabantur. Hi Romam per annos 467. gubernantes omnibus nationibus bella intulerunt, & una tantum modo aestate quieverunt. In judiciis contra justitiam nemini pepercerunt. Brutus Consul, a quo Brytanniam cognominatam volunt, duos filios suos, fratresque duos uxoris suae, virgis caesos securi percussit, pro eo quod legum statuta infregissent, licet gloriose triumphassent, de quo Poeta:

Natosque Pater nova bella moventes;
Ad poenam pulchra pro Libertate vocavit.

DE REGNO PERSARUM ET MEDORUM.

4713.

Xerxes quo tempore regnavit. Xerxes per mare mille millia armatorum duxit. Xerxes victus. Leonides.

XERXES anno ab exordio mundi 4713. regnavit annis 20.: tunc equa vulpem peperit, ut dicit ISIDORUS XI. Etymol. Iste Xerxes in Perside & Media regnavit, & post urbem conditam CC. annos & LXXV., Olympiade LXXIV. contra Spartas per mare mille millia armatorum duxit, ut dicit OROSIUS, cum mille CC. rostratis navibus, sed cum omnibus suis superatus est a quatuor millibus Spartiatis, quibus ante pugnam prandentibus Leonides dux inquit; Gaudenter prandete, apud inferos caenaturi.

AR-

ARTAXERXES anno a mundi initio 4733. regnavit XL. annis, Esdras Scriba combustam legem quantum potuit renovavit. Darius Nothus annis XIX., & Artaxerxes, sive Asuerus, anno ab exordio saeculi 4792. regnavit annis XL.: tertio anno fecit convivium Principibus suis, & repudiata Vasthi uxore, quod jussioni suae obedire noluisset, Hester in uxorem & reginam elegit. Aman, qui in Judaeorum mortem machinabatur, suspendit, Mordocheum exaltavit, & Judaeos a morte praeservavit.

4732. Artaxerxes. Esdras. Darius. 4792. Asuerus. Vasthi. Hester. Aman. Mordocheus.

Hic de Romanorum praeliis, victoria ac infortuniis aliqua incidentur annotare, brevius quo possum, libet. Scipio Carthaginenses bello vicit & interfecit 20000, Elephantes quoque 26. cum illis qui super eos pugnabant: quatuor conservavit, quos vivos secum in Italiam ducens spectaculum praebuit universis. Apud Rhodanum Romani de exercitu Gallorum CL. millia occiderunt, sed 4000. Italici de caede profugi, jugum montis cujusdam occupaverunt, ubi frigore & nubibus subito constructi riguerunt, saxis alii, alii armis innixi, quidam sedentes patentibus oculis, & nudatis dentibus, viventium speciem procul intuentibus praebuerunt. Crassus consul Gallos & Germanos vincens LX. millia interfecit.

Scipio Carthaginenses vicit.

Galli multi apud Rhodanum occisi.

Italicorum quatuor millia frigore perierunt.

Crassi victoria de Gallis & Germanis.

Hannibal ex Aphrica in Italiam veniens Romanorum LX. millia occidit, & in hujus victoriae testimonium tres modios annulorum Carthaginem misit, quos omnes digitis occisorum detraxit. Regulus Consul adversus Carthaginenses missus, cum juxta flumen quoddam castra locasset, serpentem mirae magnitudinis reperit, qui multos, qui aquatum iverant, occidisset, converso in eum Regulus toto exercitu interfecit. Corium quod CXX. pedum longitudinis fuit, Romam portatum cunctis terrori & admirationi fuit. Anno ab urbe condita CCCCL. Roma continuis X. annis obsessa est. Diris etiam prodigiis Romani perterriti fuerunt, antequam civitas vastaretur; nam sol cum luna pugnare conspectus est; Scuta sanguinem sudaverunt; in caelo nox ultra spatium protensa; Lapides pro grandine decidere, quibus etiam diebus natus est Alexander Magnus, miseriarum & multorum strages atrocissima. Romae terra aperta est, & hiantia infra patuerunt: interrogati Dii, responderunt; Non claudetur vorago haec, donec voluntarie se aliquis immergat; sed cum hoc nemini persuaderi posset, dixit Curtius; Si per annum in Roma vivere ad voluntatem me sinitis, anno elapso me sponte immittam. Romani concorditer consentientes omnia indulserunt, unde ille rebus & uxoribus pro libitu utens, anno elapso nobili equo insidens, saltu praecipiti se immersit, & statim terra reclusa est. Anno ab urbe condita CCCLV. Brennus Gallorum dux, qui dicitur fuisse Suevus, Veronam aedificavit, & Romam per decem annos potenter obsidens, cum Gothis & Gallis caepit, igne, ferro & fame totam devastavit, aliud oppidum & nomen excogitans, ac Romanos in extremis finibus persequens, sicut prophetizaverat Samia Sybilla.

Hannibalis victoria de Romanis.

Tres modios annulorum de digitis occisorum Hannibal detraxit.

Regulus serpentem interfecit mirae magnitudinis.

Magnitudo serpentis.

Roma X. annis continuis obsessa.

Prodigia stupenda.

Alexander Magnus.

Hiatus terrae ingens Romae.

Curtius.

Curtius se devovet.

Brennus Gallorum Dux

Veronam aedificat.

Roma destructa.

DE REGIBUS PERSARUM.

Artaxerxes quo tempore regnavit. 4332
Demosthenes.
Aristoteles.
Xerxes.
Xenocrates.
Darius.
Darium deflevit Alexander.
Monstrum hominis.
Asia ab Alexandro devicta.

Nunc ad Persarum Reges redeundum. Artaxerxes Nachus 4332. anno a mundi exordio, regnavit annis XXVI.; Tunc Demosthenes claruit, & Aristoteles. Xerxes regnavit quatuor annis; Xenocrates Philosophus floret. Darius regnavit annis sex: istum vicit Alexander Magnus, sed occisum in bello Alexander rediens amare deflevit. Quid autem acciderit à muliere Alexandro ipso, quae nata fuit monstrum, superius formam hominis mortui habens, inferius diversarum viventium bestiarum, quaere mirabilia in metrico Alexandri. Hic anno 4848. ab initio seculi totam Asiam obtinuit.

DE REGIBUS AEGYPTI.

Ptolomaeus. 4878.
Philadelphus. 4913.
Septuaginta duos Interpretes Philadelphus convocat.
Bibliotheca congregata.
4951.
Evergetes.
Jesus Syrach.
Philopater.
Judaei superati.
Epiphanes.
Graeci victi.
Philometer. 5018.
Scipio Aphricam superavit.
Evergetes.
Sother.
Thracia victa.
Syria devicta.
Ptolomaeus.
Insula Vulcania.
Dionysius.
Pompejus Judaeam superat.
Cleopatra.

PTOLOMAEUS in AEgypto anno 4878. ab exordio mundi, regnavit XL. annis. Philadelphus regnavit in AEgypto XXVIII. annis, ab exordio mundi 4913. ante Christi adventum CCC. Tunc claruerunt LXXII. Interpretes, qui tamen allegantur sub numero LXX; Hos de Judaea in Graeciam vocavit Ptolomaeus cognomine Philadelphus, studii literarum avidus supra modum, ut in Graecam linguam ex Hebraeo verterent totum corpus Bibliae, usque ad illud tempus; quod & fecerunt. Congregavit Philadelphus LXX. millia librorum. Evergetes 4951. a creatione mundi, regnavit XXVI. annis, quo tempore Jesus, filius Syrach, librum Ecclesiasticum composuit. Philopater regnavit in AEgypto sex annis, iste vicit Judaeos praelio, & XL. millia Judaeorum interfecit, ut dicit JOSEPHUS. Epiphanes regnavit XXIV. annis. Eo tempore Romani Graecos bello superaverunt. Maccabaeorum liber secundus compositus fuit post primum, anno CXXX. Philometer a mundi exordio 5018., regnavit 35. annis. Eo tempore Scipio Consul Aphricam vicit. Evergetes in AEgypto regnavit annis XXVIII. Brutus Consul Romanis Hispaniam subjugavit. Sother annis XVII.; Thracia Romanis subditur. Alexander minor regnavit annis X. Tunc Syria Romanis subditur. Ptolomaeus regnavit VIII. annis. Romae tunc ars Rhetorica caepit: Insula Vulcania, quae antea non fuit, in mari repente edita, cunctis mirantibus apparens adhuc manet. Dionysius regnavit in AEgypto annis 30. eo tempore Pompejus Judaeam superavit. Cleopatra in AEgypto regnavit duobus annis, meretrix pessima.

DE

DE IMPERATORIBUS ROMANIS.

JULIUS CAESAR, ab Julo Aeneae filio originem trahens, Caesar dictus, non honoris gratia, sed quod caeso matris utero, inde eductus fuit. Primus Monarchiam tenuit, & ideo ab ipso omnes Monarchae sive Imperatores Romani Caesares appellantur. Hic invenit Ciclum decemnovenalem, qui aureus numerus vocatur, eo quod ipse eum aureis literis per XIX. annos intitulasset; considerans enim innovationes lunae, primo anno semper in nova luna scripsit unitatem, anno secundo binarium, & sic quodlibet anno ascendendo usque XIX. Quando pervenit ad vicesimum annum, tunc reperit, quod incensio lunae erat sicut in primo anno. Hic etiam mensem, qui Quintilis vocabatur, quod quintus esset a Martio, qui primus est, à se Julium dici voluit, regnavit annis tantum quinque, & occisus est a Cassio & Bruto Senatoribus in Capitolio: multis virtutibus adornatus fuit.

Julius Caesar. Ciclus decemnovenalis. Aureus numerus quare dicatur: Quomodo Julius reperit aureum numerum. Mensis quintilis Julius dictus. Julii caedes misera.

OCTAVIANUS privignus Julii praedicti, anno a mundi exordio 5154., ab urbe vero condita DCCX., regnavit annis LVII., toto corpore pulcher erat, & maxime in oculis, quorum acies clarissimorum siderum instar vibrabant; erga omnes benignus, in amicos fidus, quorum praecipui erant Maecenas, ob taciturnitatem, ob modestiam & patientiam Agryppam dilexit, etiam Virgilium & Flaccum Poetas: liberalibus studiis adeo incubuit, ut omni die legeret, scriberet, leges novas effingeret, antiquas corrigeret, & ornaret. Romam sic melioravit, ut diceret; Inveni latericiam, relinquam marmoream: Romani eum, propter nimiam sibi arridentem fortunam, non hominem sed Deum nominare volentes, in Capitolio, ubi nunc fratres minores habitant, convenerunt. At ipse, sicut homo prudens mortalem se intelligens, tantum honorem refutavit; vocaverat tamen prius Sybillam, nomine Erythream, consiliumque mulieris habuit. Ipsa in palatio stans Caesari aureum in coelo circulum ostendit, in quo pulcherrima virgo stabat, filium recenter natum in ulnis habens: quod Augustus videns, in stuporem versus, non solum non Deus dici voluit, sed nec Dominus etiam de caetero. Nam ex circulo illo hanc vocem etiam eum audivisse dicunt: *Imperator hic Puer major te est*, ob quod factum palatium illud dedicatum est postea in ecclesiam Virginis gloriosae. Non tamen vir tantus & vitiis caruit: fuit enim occulte invidus; palam factiosus, supra modum cupidus dominandi, aleae lusor, libidini serviens, saepius iracundus. Quintilius Varus cum tribus legionibus à Germanis rebellantibus penitus est deletus: ob hoc imperator ij se frequenter caput parieti allidens furiose clamavit: *Quintili Vare redde legiones!* sed Ti-

Octavianus. 5154. Octaviani laus. Maecenas. Agrippa. Virgilius. Horatius. Augustus pro Deo habitus a Romanis. At ille huncce recusavit honorem. Sybilla Erythraea. Visio Caesari Augusto oblata. Augusti criminatio. Quintilius Varus.

Tiberius Germanos vicit.
Ordinatio Indictionis.
Lustrum.
Ferrum tributum.
Argentum tributum.
Aurum tributum.
Horatii obitus.
Virgilii obitus.
Mensis Augustus.
Unde Augusti nomen invaluit.
Prima dies Augusti sacra.
Vinculationis Petri consecratio.
Annunciatio beati Johannis Baptistae.
Annunciatio Christi.
Edictum Augusti.
Pax in toto mundo.
Templum pacis aeternum.

Tiberius, privignus suus, Germanos postea aggrediens cum xv. millibus, eos vicit, & praeter interfectos LX. millia captivavit. Anno regni sui decimo, Indictione prima, Augustus ita ordinavit, ut per quinquennium, quod Lustrum dicitur, omnes tributariae regiones Romanis pro armis fabricandis ferrum penderent. Per sequens quinquennium pro militibus stipendiandis argentum: per tertium pro coronis, annulis, monilibus faciendis, & ad reponendum in Reipublicae aerarium, propter varios rerum eventus, aurum. Et sic per tria lustra currunt Indictiones, quae adhuc in literis scribi solent. Anno xxv. Horatius Romae obiit, & Virgilius Brundusio, cujus ossa Neapolim sunt translata, quam civitatem in mari super ova dicitur idem aedificasse, & alia multa in diversis locis supra humanum sensum mirabilia, construxisse. Anno xxxviii. Augustus mensem etiam de se Augustum dixit, quod prima die ejusdem ipse Antonium bello vicit; quia sororem suam Octaviam repudiasset, & Cleopatram AEgypti Reginam superduxerat. Tantas quoque divitias secum Romam victor Augustus de AEgypto vexit, ut pro nummo daretur, quod ante pro quatuor, pro qua augmentatione populus Caesarem Augustum vocavit, & ab illo Romanorum Reges usque nunc in literis se scribunt *semper Augustos*. Mensis autem istius, cui ipse nomen dedit, primam diem Romani per annos CCCC. solenniter celebraverunt in memoriam tam praeclarae victoriae: sed hodie commutata est in festum beati Petri ad vincula. Anno Augusti XLI. Gabriel Angelus apparuit Zachariae, annuncians ei Johannis Praecursoris ortum & vitam, qui conceptus fuit in aequinoctio autumnali, octavo videlicet Kalendas Octobris. Anno Caesaris Augusti XLII. apparuit Angelus Gabriel Virgini Mariae, ei annuncians, Dei Filium se parituram, operatione Sancti Spiritus, sine virili semine, in aequinoctio vernali, scilicet octavo Kalendas Aprilis. Sic habetur supra in primo folio, quam diem ut ibidem habes, Deus magnis & multis privilegiis decoravit. Anno eodem exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis.

Voluit enim scire, quot Provintiae essent in toto orbe, & quot civitates in Provinciis, quotque item homines in eis: Pax tunc etiam per universam terram fuit per annos XII., ut nusquam in orbe quisquam bella contra quemque moveret. Et ideo Romani aedificaverunt templum pacis, de quo dictum fuit, quod tam diu staret, donec Virgo Filium pareret, & quia hoc impossibile videbatur, ideo in pariete sculptura talis facta fuit *templum pacis aeternum*. Illud autem templum funditus ruit, quando Virgo gloriosa Christum peperit.

INCIPIT SEXTA AETAS, QUAE DURABIT A NATIVITATE DOMINI USQUE AD FINEM MUNDI.

Jesu Christi Nativitas quo tempore.

Jesus Christus de Virgine Maria in Bethleem Judae natus, annis ab initio mundi transactis 5200. minus uno. Hinc versus;

Unum tolle datis ad millia quinque ducentis,
Nascenti Domino tot Beda dat a protoplasto.

Miracula facta in Nativitate Christi Servatoris.

Ab Abraam 2015. A David mille LXVIII.; ab urbe Roma condita DCCLII. Olympiade Graecorum CLI. anno imperii Augusti XLII. Indictione IV. octavo Kalendas Januarii die, sub noctis silentio, quae hora nascente Domino illuminata fuit sicut meridies. Stella tribus Magis apparuit, pax hominibus cum Angelis de coelo venit, fons olei Romae erupit; Vineae Engaddi balsamum protulerunt; omnes Zodomitae abierunt. Bos & asinus Puero in praesepi jacenti genua flexerunt; Idola AEgypti omnia corruerunt; Romuli statua cecidit: templum pacis corruit. Mane tres soles oriebantur, & in unum paulatim iverunt. In coelo meridiem versus circulus aureus visus, in quo Virginem Puerum in brachiis gestantem Caesar vidit & vox de coelo sonuit: *Hic Puer major te est.* Dicit beatissimus AUGUSTINUS, quod ipsa dies Nativitatis Christi fuit tunc in principio capricorni, vel in solstitio hyemali, & nativitas sancti Johannis Baptistae in principio cancri, vel in solstitio aestivali. Sed vero non est ita: quare anno DCCCMCC. dixerunt Astronomi sic versifice:

Nativitas Christi quo die facta. Nativitas B. Joh. Bapt.

Solstitium decimo Christum praeit atque Johannem.

Solstitium & aequinoctium mutata.

Annus solaris.

Sequitur quod aequinoctia sint mutata: & si mundus ab Incarnatione Domini 1100. annorum duraret, tunc Nativitas Christi staret in aequinoctio vernali, & nativitas sancti Johannis in aequinoctio autumnali, cujus rationem veram & lucidam lucide ponit ELEACHITES Astronomus in hunc modum. Annus solaris hebdomadas LII. habet & diem unum, sex horas praeter unius horae quintam partem: si ergo dies illa residua de Calendario deleretur, tunc omnia festa sanctorum manerent in suis feriis semper fixa, & omnia festa, quae nunc in hyeme sunt, infra annos ducentos fierent in aestate; & e contra: & ideo A litera ponitur in Calendario LIII. vicibus, & aliae LII. tantum, praeterea si residuae sex horae non supplerentur, in anno bisextili, infra DCC. annos de festis sanctorum, ut BEDA dicit, hoc idem contingeret sed quia dictis sex horis deest quinta pars, ex hoc in annis CXX. decrescit dies una, ut dicit ELEACHITES; ergo quotiescun-

cunque ab Incarnatione Domini fluxerunt cxx. anni, toties ab hyeme recedit Nativitas Domini una die, & nativitas Sancti Joannis tantum hyemi accedit, sicut ipse praedixit; Me oportet minui, Illum autem crescere. Johannis III. capite, ut Augustinus tangit exponens tripliciter illud verbum. Ex his colligitur, quod festa praedicta Nativitas Christi & nativitas Sancti Johannis jam decem diebus a solstitiis recesserunt. Sic utrumque solstitium locum alterius obtinebit, quando mundus XXII. mille stabit annis, sed ante mille annos dixerunt Apostoli: Nos sumus, in quos fines seculorum devenerunt. Dicit beatus HIERONYMUS in minori breviario super Matthaeum, quod tres Magi cum magno comitatu & divitiis multis die XIII. in Dromedis, vel ut alii dicunt, sed male, in Dromedariis, venerunt ab Oriente, stella praevia, in Bethlehem adorare Puerum Jesum. De hoc animali, quod Dromedus vel dromedarius dicitur, dicit PLINIUS libro quarto: Dromedus, vel Dromedarius est animal velocissimum, gracile & nervosum, chamelo minus, sed longa habens crura, & longissimum passum faciens, tamque suavem, quod sine magno labore sui & sine fatigatione magna dromedantis, id est insidentis ipsi animali, currat intra diem naturalem c. miliaria: cortices arborum comedit aut foenum modicum vel ossa dactylorum. Octavianus Imperii sui anno XLIII. Tiberium & Agrippam in filios adoptavit: XLIV. imperii anno Herodes Ascalonita infantes occidit, & Christus in AEgypto VII. annis exulavit. Quadragesimo septimo anno Judas Galilaeus hortabatur Judaeos ad rebellandum Romanis. Eodem anno Herodes obiit, cui Archelaus successit; XLVIII. anno fames magna Romae fuit. XLIX. anno Christus de AEgypto rediit. Liber de infantia Salvatoris dicit mirabilia, quae Christus gessit, vel circa ipsum gesta sunt per septennium, quo in AEgypto fuit; sed ego certis intendens, ambigua praetermitto. Anno L. Imperii Augusti Tiberius Dalmatas & Sarmatas devicit; LIII. anno jam portas Jani XII. annis clausas Caesar aparuit. LV. anno Eclipsis solis fuit. LVI. anno Archelaus in exilium relegatus est Lugdunum, quae civitas Galliae est, & regnum Judaeorum in quatuor Tetrarchias divisum committitur quatuor Principibus, Herodi Antipae, Philippo fratri suo, Lysaniae & Pilato. Tunc Tiberius ex edicto Caesaris Romanos cives numerans invenit nonagies CCCLXX. milia LVII. Octavianus annorum LXXV. veneno obiit, ut putatur, quem Senatus adeo deflevit, ut diceret: Utinam aut non nasceretur, aut natus non moreretur talis Princeps.

TIBERIUS successit Octaviano anno Domini XVI., XXIII. annos regnavit. Hic fuit privignus & gener Augusti, Nero cognomento, & cum modestia praefuit Rei-publicae; praesidibus provinciarum ita scripsit; Tributa nullatenus augeatis, quia boni pastoris non est excoriare pecus, sed tondere: paulatim tamen in pejus mutabatur. Nam ante adeptum imperium prudens ingenio, clarus eloquio, & fortunatus in bello fuit. Sed posthabitis militiae curis, nulla per se bella gerens, popu-

Conclusio.

Tres Magi Bethlehem venerunt.

Dromedus vel Dromedarius quid.

Victus Dromedarum.

Tiberius, Agrippa adoptati.

Herodes infantes occidit; Christus in AEgyptum fugit.

Herodes obiit; successit Archelaus. Fames Romae. Christus de AEgypto redit.

Dalmatae & Sarmatae ab Augusto victi.

Archelai exilium.

Divisio regni Judaici.

Principes erant Antipas. Philippus. Lysanias. Pilatus.

Octaviani mors defleta a Senatu.

Tiberius. 16.

Tiberius praesidibus scribens quibus usus sit verbis.

populum Romanum graviter afflixit, filios proprios, plurefque propinquos & Confules interfecit, temperantiam fic omnem abjecit, ut qui antea Nero Tiberius, nunc Mero Biberius vocaretur. Huic quidam artifex vitreum vas ductile feu fabrile obtulit, ut dicit ISIDORUS Etym. XVI., quod Tiberius ad parietem projiciens, non fractum fed curvatum fuftulit, tunc artifex malleum protulit, & vitrum velut cuprum fabricans pulchre correxit, & interrogatus a Tiberio, dixit, Hanc artem neminem fcire praeter fe fuper terram. Mox Tiberius eum decollari juffit, dicens; Si haec ars veniret in cognitionem, pro nihilo aurum reputaretur & argentum. Anno Tiberii primo Galilaeae praeficitur Herodes Antipas, frater Archelai, qui Philippo fratri fuo uxorem abftulit, quae fuit filia Ariftobuli germani utriufque. Anno II. Mathematici ex urbe omnes pelluntur; anno ejus tertio Ovidius Poëta in exilio moritur. Anno IV. Germanicus a Tiberio miffus fubjugavit Germaniam: anno V. corruerunt nimio terrae motu XIII. urbes in Tufcia. Anno VII. Tiberius multos reges & nobiles ad fe vocavit, & nullum remifit. Anno XII. ipfe Pilatum obfidem in Judaeam mifit Praefidem. Anno XV. Joannes Chriftum baptizavit: anno XVI. Herodes Tetrarcha Galilaeae Joannem Baptiftam incarceravit circa Pafcha. Anno XVII. Tiberii Herodes Joannem decollavit, in die annunciationis Virginis gloriofae. Anno ejus XVIII. eadem die paffus eft Chriftus, qua etiam die ante XXXIV. annos fuerat annunciatus. Et refurrexit a mortuis XVI. Kalendas, & afcendit in coelum tertio nonas Maji, & Sanctus Stephanus lapidatus fuit III. nonas Augufti fequentis. Et ex Saulo perfecutore Paulus factus eft a Deo doctor Ecclefiae poft XXV. Hebdomadas. Anno XIX. Tiberii Jacobus minor Hierofolymis eft Epifcopus ordinatus, & fedit annis XXX.: anno ejufdem Tiberii XX. Pilatus imaginem Caefaris in templo ftatuit, & feditionem Judaeis excitavit. Anno XXI. Tiberius lepra infectus mifit Albanum ad Pilatum pro Jefu medico adducendo, Pilatus vero territus fe per literas quantum potuit excufavit, necem Jefu imputans invidiae Judaeorum, de virtutibus Jefu multa fcripfit. Qualiter autem Sancta Veronica curavit Tiberium, require in paffionali. Tiberius igiter magno fervore preces ad Senatum fudit, & qualiter curatus a vitio leprae fuerit, illi referens, ut Jefus pro Deo coleretur, quod tamen proceffum tunc non habuit ex multiplici ratione. Prima, quia hanc licentiam Deus fprevit, & a Romanis coli noluit, donec immunditia Idolorum prius extirparetur, & urbs Roma fanguine martyrum rigaretur. Secunda, quia Chriftus paupertatem laudavit, divitibus maledixit, contumelias honoribus praetulit, gaudio, & quieti triftitiam praepofuit, & labores. Ideo Romani carnales avari & fuperbi dicebant: Cultores paucos habebit; quia omnino ftultus effet, qui in fe vel proximo, paupertatem & contumelias vel triftitiam diligeret aut laborem. Tertia; dicebant Jefum invidum, eo quod honorem divinitatis cum diis aliis nollet habere communem. Quarta, quia fenatus Tiberium odio habuit, eo quod multas terras ex fua negligentia

Tiberius ex bono Principe malus factus.
Nero Tiberius poftea Mero Biberius dictus.
De vitro fabri.
Tiberii crudelitas in ejusmodi artificem.
Herodes Antipas.
Mathematici ex urbe pulfi.
Ovidius in exilio moritur.
Subjugatur Germania.
Pilatus in Judaeam miffus.
Chriftus Baptizatus.
Johannes captus, & decollatus.
Chriftus paffus.
Sanctus Stephanus lapidatus.
Paulus converfus.
Jacobus minor Epifcopus ordinatus Hierufalem.
Pilatus.
Tiberius Lepra infectus mifit ad Pilatum.
Pilatus Tiberio de Jefu.
Preces Tiberii ad fenatum pro Jefu, fed fruftra factae.
Prima ratio.
Secunda ratio.
Tertia ratio.
Quarta ratio.

amisisset. Nam Parthi Mysiam, Sarmatae Pannoniam, finitimi Galliam vastaverant, & ideo Tiberius veneno abiit in Campania annorum LXXVIII.

Tiberii mors.

Cajus. 39. *Caji crimina.* *Deum se appellari praecepit.* *Herodes Agrippa incarceratus absolvitur.* *Pilati mors.* *De corpore Pilati stupenda.*

CAJUS CALIGULA anno Domini XXXIX. regnavit annis fere IV. Vir nequam & sceleratus, tribus sororibus suis, & filiae unius ipsarum, stuprum intulit: ipse primus fuit, qui diadema sibi imposuit & se Deum appellari praecepit. Exclamasse aliquando ferunt: Utinam populus Romanus unam tantum cervicem haberet. Anno primo Imperii sui Herodem Agrippam, filium Aristobuli a Tiberio incarceratum absolvit, eumque Regem Judeae remisit. Anno ipsius secundo Judaei Alexandria profliguntur, pro quibus Philo Orator apud Cajum interpellans, nihil profecit. Pilatus Praeses a Cajo multis calamitatibus vexatus, se ipsum occidit, quo in Tiberim projecto, daemones in aëre & aqua vociferantes fulgura tonitrua & grandines commoverunt. Deinde ad Rodanum apud Viennam corpus ejus projicitur, sed majores molestias a daemonibus terrigenae sustinuerunt, unde & de illo loco usque ad Alpes Suiciae translatum, in cujusdam montis cisternam profundissimam est demersum, ubi nunc etiam lacus terribilis, in quem si homo lapillum projicit, tonitrua crudelia in aëre mox audiri dicunt.

Herodes Antipas. *Herodes in exilium relegatur.* *Herodiadis mors.* *Divina ultio.* *Mattheus Evangelium scripsit.* *Marcus Evangelium scripsit.*

HERODES ANTIPAS, suadente Herodiade, venit Romam, ut sibi Regium nomen a Caesare acceptaret, sed a filio Aristobuli fratris sui, per litteras apud Cajum Caesarem accusatus, in exilium in Hispaniam relegatur. Cajus vero Herodiadi licentiam dedit, ut si vellet in patriam rediret, quae ait; Absit, ut cui adhaesi in prosperis non sim comes in adversis. Ambo igitur in exilio moerore & inedia perierunt; sed filia saltatrix cum plures pueros genuisset, deambulans super glaciem cecidit in profundum. Illius progenies usque nunc in vigilia sancti Joannis Baptistae ad suam ecclesiam omnis convenit, & per totam illam noctem laboriose saltando insanit; alioquin quicunque se absentaverit nocte illa, sive vir sive mulier aut infans fuerit, per totum annum phreniticus est. Tempore Caji Caesaris Sanctus Mattheus Evangelium suum scripsit Graeco & Hebraico sermone anno Domini XL. Marcus Romae Evangelium scripsit Graece, anno Domini XLIV. Beata Dei Genitrix, Virgo Maria assumta est in coelum anno Domini XLV., de cujus aetate diversimode opinantur, quae lubens praetermitto, quia quid certius credendum sit ignorem. Anno IV. Imperii sui Cajus a Senatoribus occiditur, post cujus mortem inventa ingens arca, variorum venenorum plena, quibus mox Claudii in Imperio suffecti jussu projectis in mare, infecta fuisse maria dicuntur, non sine magno piscium exitio, quos mortuos ad proxima littora aestus ejecerunt. Hic Cajus si diutius vixisset, quantam stragem hominum dedisset, ex hoc bene intelligi potest.

Cajus a Senatoribus occiditur. *Caji perversa intentio.*

SE-

SEQUITUR DE PONTIFICIBUS.

PETRUS PAPA Cathedram sacerdotalem quatuor annis tenuit in partibus Orientis. Deinde venit Antiochiam anno Domini XXXVIII., ubi per Paulum de carcere liberatus, suscitavit quemdam mortuum, qui XIV. annis jacuerat in sepulchro, & ibidem in Antiochia episcopatum tenuit VII. annis, in qua metropoli modo sunt XII. archiepiscopatus, & CL. episcopatus, quos de manu sua Patriarcha Antiochenus conferre habet. Post hoc Petrus Romam veniens, in die Sancta Priscae virginis sedit in Episcopatu urbis Romae annis XXV, menses VII., dies octo. Nullus Romanus Pontifex adhuc in Episcopatu vel papatu tam diu sedit nec vivere potuit. Hic fecit ordinationes duas in mense Septembri, Episcopos VI., Presbyteros decem, Diaconos VII. Hic constituit dici in missa Pater noster, & jejunium quadragesimale fieri ab omni populo Christiano ante Pascha, & tres hebdomadas ante Nativitatem Domini, quartam vero hebdomadam imperfectam ab omni populo Christiano observari. Duas Epistolas scripsit, & Evangelium Sancti Marci, qui fuit discipulus ejus, ex ore Sancti Petri scripsit, literis Graecis, & sermone Graeco. Fuit quoque Marcus ratione Baptismi filius Sancti Petri, qui misit eum in Alexandriam, & postea in AEgyptum, ad convertendas gentes idolis deditas. Misit quoque Sanctum Maternum Treverim, qui ibi defunctus est, sed post dies 40. per baculum Sancti Petri super corpus defuncti positum revixit, & ideo nullus Papa baculo utitur, nisi in Ecclesia Treverensi. Misit etiam Sanctum Apollinarem Ravennam, qui ex ea repulsus, in campo Monedulis praedicavit, & in crastino Sanctae Mariae Magdalenae martyrium sustinuit, & ideo ut dicitur ea die singulis annis Monedulae solent illic de omnibus regionibus convenire. Misit quoque Savinianum Syrum, Serotinum Flavium, Titum Potentianum, Altinum & Martialem aliosque plures ad diversas mundi oras, ad fidem Catholicam gentibus praedicandum. Pater Sancti Petri fuit Johannes de Bethsaida, oppidulo Galilaeae, ideo Symon Joannis scilicet filius vocatur; sed Christus eum Papam constituens, nomen ipsi mutavit, vocans eum Petrum, volens, quod omnibus suis successoribus nomina mutarentur. Petrus in Antiochia, sicut scribit Beatus GREGORIUS, missam cum tribus Orationibus celebravit, cum Pater noster, & forma verborum, in quibus vis conficiendi est.

Petrus in Oriente IV. annis.
Petrus in Antiochia VII annis.
Petrus in Roma XXV. annis.
Petri instituta.
Pater noster, in missa unde.
Jejunium quadragesimale & adventus.
Marcus Evangelista.
Sanctus Maternus
Per miraculum resuscitatus.
Apollinaris Monedulis praedicavit.
Miraculum.
Sanctus Syrus.
Pater Sancti Petri.
Nomen Petro mutatum, & cur pontificibus nomen mutatur.

DE IMPERATORIBUS.

43. Claudius. Drusus.

CLAUDIUS anno Domini XLIV. regnavit annis XIII. menses VIII. Illius pater fuit Drusus, Augusti privignus, & patricus Caji: iste Drusus Moguntiae occisus est, & ibi retro Monasterium Sancti Albani in campo sepultus. Eo tempore Phaenix apparuit, quae prope unica in AEgypto; illa ante annos DC. etiam apparuerat in Arabia. Est autem avis in magnitudine aquilae, capite cristato, fulgore aureo, circa collum plumosa, corpore purpureo, cauda rosea & cerulea mixta, pulchrior omni pavone sine comparatione; semper vivens ab initio seculi, ut creditur, usque ad finem, & post annos DCLX. per ignem se renovat, quemadmodum AMBROSIUS in Hexameron scribit: Et HALANUS, qualiter Heliopolim tempore quodam in die sancto Paschae cunctis videntibus venit super altare. Anno Claudii II. divisio Apostolorum facta est secundum BEDAM anno duodecimo a Passione Domini. Anno III. Claudii Petrus Romam venit: anno ejus IV. facta est fames magna in Judaea, & illam Agabus praedixerat. Eodem anno cum corpus Sancti Jacobi Apostoli indomiti boves ducerent, die claro stella apparuit in campo, unde civitas illa, ubi & hodie sacrum corpus requiescit, Campostella denominatur. Anno Claudii V. nova insula stadiorum triginta in mari apparuit. Sexto ejus anno cives Romanos numerari fecit, & invenit cives CXLIV. millia. Anno octavo ipse omnes Judaeos urbe expulit: decimo anno magna fames in Judaea iterum facta est, & in multis aliis provinciis. Anno XII. Felix Judaeae praeficitur. Anno XIII. AEgyptius quidam pseudo-propheta multos seducens a Felice Judaeae Praefecto occiditur. Eodem anno Claudius, tempore famis in foro conviciis a populo infestatus, & fragmentis panum projectus, non longe post veneno interiit, aetatis suae anno LXIV. Sed procurantibus amicis Divus, seu Deificatus est dictus, de quo scribit JUVENALIS, quod fuerit truncus & intemperatissimus, ac nullius memoriae: habuit uxorem turpissimam, impudicissimam, quae libidine fatigari potuit, nunquam satiari. Eam Claudius interfecit, sed post paululum immemor & oblitus facti, sedens in triclinio interrogavit; Cur Domina non veniret.

Phaenix avis apparuit. Phoenicis descriptio. Miraculum. Divisio Apostolorum. Fames in Judaea. Corpus S. Jacobi Ap. ubi repositum. Campostella. Nova insula exorta. Judaei urbe expulsi. Fames in Judaea. Felix Judaeae praeficitur. Pseudo-propheta. Claudius pane projectus. Claudii interitus. Claudius Truncus & hebes. Immemor caedis uxoris.

57. Imperator Nero.

NERO gener Claudii, Caji nepos, anno Domini LVII. imperavit annis XIII. mensibus VII. diebus XXVI. Hic aureis retibus piscando usus est, nullam vestem bis induit, equis & mulis suis argenteas soleas fecit; palatium eburneum construxit, in bello nihil ausus aggredi, Brytanniam fere totam amisit. Cornutum Persii praeceptorem in exilium misit. Primum in Christianos persecutionem exercuit, &

Aureis retibus in piscando usus; nullam vestem bis induit. Neronis sumptuosa opera. Brytannia amissa, & Neronis Prima Christianorum persecutio.

& nequissime vivens, se a matris & sororum congressu non abstinuit. Anno imperii sui secundo Festus Praeses Felici in Judaea successit, per quem Paulus Apostolus Romam vinctus mittitur. Huc usque extenditur liber Actus Apostolorum, continens a passione Domini annos XXVI. Statius Poëta, qui Achillaidos librum conscripsit, claruit. Eo tempore Nero matrem, sororem suam, & sororem matris suae, conjugemque suam, quae Octavia vocabatur, interfecit. Anno ipsius VI. Jacobus minor Hierosolymis lapidatur, primus Episcopus, cui in Episcopatu Symon frater suus successit. Item Apostolus Matthias primo lapidatus, deinde securi percutitur. Anno Imperii ejusdem Festo Praesidi in Judaea successit Albinus, & huic Selopus. Anno ejus IX. Marcus Evangelista in Alexandria passus est, ubi ipse prius patriarcha fuit. Anno X. Nero per integram hebdomadam incendi Romam jussit, ut similitudinem Trojani incendii videret. Anno XI. jussit Magistrum suum Senecam sibi mortem eligere, quam vellet, qui in balneo venas sibi aperiens vel incidens obiit: unde convenit ipsi nomen suum Seneca, quasi se necans. Ipse saepe scripsit Paulo Apostolo dulces Epistolas, & e converso Paulus illi: ad cujus sepulchrum postquam Paulus venit stans & flens amare dixit: „ *O Seneca! si te vivum reperissem, qualem* „ *te Christo reddidissem.*" Anno XII. Nero Vespasianum ducem misit contra Judaeos rebellantes: anno ejus XIII. passi sunt Petrus & Paulus, una eademque die *distin.* XX. quamvis & *distin.* XXI. Sacro-Sancta: Et pestilentia subsecuta; sanctus quoque Vitalis miles, & uxor ejus Valeria, eorumque filii Gervasius & Prothasus: item Nazarius & Celsus, Processus & Martianus, Timotheus Apollinaris, & alii multi ob confessionem nominis Jesu necati sunt. Anno Imperii sui XIV. Nero a Senatu hostis pronunciatus, finaliter condemnatur, ita ut nudus per publicum ductus furca capiti ejus inserta, & virgis caesus, de alto saxo praecipitaretur: audiens igitur se condemnatum, fere per quatuor miliaria fugit, & fustem dentibus acciens se ipsum transfixit sicque obrigescens a lupis devoratus esse dicitur, anno aetatis suae XXXVIII. & sic progenies Augusti cessavit.

Festus. Paulus Romam ducitur. Statius Poëta. Crudelitas Neronis. Jacobus minor lapidatur. Symon frater succedit. Matthias Apostolus patitur. Albinus. Selopus. Marcus Evang. patitur. Roma incensa jussu Neronis. Senecae mors. Seneca quasi se necans. Seneca Paulo scripsit, & Paulus Senecae. Vespasianus contra Judaeos mittitur. Petrus & Paulus passi. Neronis condemnatio. Neronis mors.

DE PONTIFICIBUS.

Linus & Cletus primo beati Petri coadjutores sive Coëpiscopi fuerunt. Utrumque eorum Ecclesia pro Sancto Papa colit. Quamvis multi putent, Cletum & Anacletum unum esse, binomium. Sed uterque eorum suum festum habet in Kalendario. Hos igiter tres Sanctus Petrus Pontifices constituit similiter, & Clementem; quaere in *passionali.*

Linus & Cletus Sancti.

71. Linus ordinavit e mandato Petri, ut mulier velato capite Ecclesiam intraret. Lini miracula. Lini Martyrium.

LINUS Papa anno Domini LXXI. sedit annis XII. Hic ex praecepto beati Petri constituit, ut mulier velato capite Ecclesiam intret: plures Daemones fugavit, mortuos suscitavit & innumera alia miracula fecit: quum autem filiam Saturnini Daemoniacam curasset, ille hoc magicis artibus tribuens Sanctum Linum decollavit.

82. Cletus. Memoria beati Petri. Colossus.

CLETUS Papa anno Domini LXXXII. sedit annis XI. Hic primus in salutationibus literarum, quas misit extra urbem, scripsit, *Salutem & Apostolicam benedictionem.* Instituit memoriam beati Petri haberi, & suadens hominibus peregrinationes ad limina sanctorum, dixit quoque illud esse melius, quam jejunium duorum annorum. Et omnes hoc ipsum dissuadentes excommunicavit. Eodem tempore Colossus Romae erigitur altitudinis centum pedum, cujus caput aereum adhuc jacet in platea, & dicitur Colosseum.

DE IMPERATORIBUS.

71. Galba.

GALBA Imperator anno Domini LXXI. regnavit menses septem. Otho eum in Romano foro decollavit. Hic Galba Quintilianum Romam duxit, ut publicam Scholam erigeret & salarium e fisco acciperet.

Otho.

OTHO regnavit menses IV., victus a Vitellio se ipsum occidit.

Vitellius. Sabinus. Vitellii exitus. Vespasianus.

VITELLIUS regnavit menses VIII.: hic Sabinum fratrem Vespasiani in capitolio incendit, & propter hoc a Vespasiani amicis captus, nudus per urbem trahitur, populis in os ejus fimum projicientibus, tandemque jugulatus in Tiberim projectus est, anno aetatis suae LVII. Vespasianum autem in Judaea praeliantem, prophetavit JOSEPHUS ad imperium esse sublimandum; require mirabilia in legenda Jacobi minoris.

72. Vespasiani mores. Bellica virtus. Hierosolymae obsessae. Titi commiseratio. Hierusalem capitur & destruitur.

VESPASIANUS anno Domino LXXII. regnavit IX. annos: hic militari virtute praecipuus, obscura stirpe natus inimicitias in corde non retinuit, pecuniae avidus fuit, sed nulli injuste abstulit, nulli etiam, nisi valde pauperi, dedit. A Claudio in Germaniam & Britanniam missus, tricesies terties & bis conflixit, & utramque gentem imperio subjecit. Ad imperium electus, filium suum Titum, hominem virtuosissimum, ad expugnandum Hierusalem & Judaeorum regnum reliquit, quod praestitit donec Judaei foenum & corrigia calceamentorum, ac proprios pueros commederent, ac fame & pestilentia interirent: per portas enim ejecta sunt DC. millia cadavera mortuorum, & per muros LII. milia sunt ejecta. Tunc Titus urbem circumiens compatiendo dixit! *O Deus tu vides, quia ista non facio.* Anno igitur a Passione Domini XLII. Hierusalem capitur, templum destruitur, & civitas

tas tota. Et ficut Judaei triginta argenteis Chriſtum vendiderunt, ſic ipſorum triginta pro uno denario vendebantur: dicit JOSEPHUS, quod XCVII. vendita millia ſunt, & undecies centena millia fame & gladio perierunt. Anno IX. Veſpaſiani terrae motus tres civitates Cypri ſubvertit. Eodem tempore Romae peſtilentia magna fuit. Anno X. Veſpaſianus profluvio ventris obiit, annos fere LXX natus, qui cum morte urgeretur, erexit ſe, dicens; Stantem decet Imperatorem de hoc mundo migrare, & ſic erectus abiit.

Nonaginta ſeptem millia Judaeorum venditi. Terrae motus. Peſtilentia Romae. Veſpaſianus ſtans moritur.

TITUS anno Domini LXXXI regnavit annis duobus & menſibus duobus. Hic ante patrem ſuum Veſpaſianum nominari conſuevit: Erat enim omnium virtutum genere adornatus; & admirabilis, ita ut amor & deliciae humani generis diceretur. Vir bellicoſus, & in Graecia & Latina lingua eruditus, tantae largitatis fuit, ut nulli quid unquam negarit: dicunt HIERONYMUS & EUSEBIUS in Chronicis, quod ſemel Titus in caena recordatus, quod nulli quicquam die illa dediſſet, triſtis & gemens dixerit: *O! amici, heu mihi, quia hunc diem perdidi.* Hic deſtruxit Hieruſalem, ſicut Chriſtus in die palmarum prophetaverat, ubi murum denſiſſimum perforans, intus invenit ſenem venerabilem, qui dixit, ſe eſſe Joſeph de Arimathea, a Judaeis ibi inclusum, & per XL. annos coeleſti cibo & lumine confortatum. Item Titus fumtum Manna de templo Romam vexit, item XII. propugnatores ſagittis transfixit; obiit autem annorum XLII.

81. Titus Imperator. Titi laus. Eruditio Titi. Liberalitas Titi. Memorabile. Titus Hieruſalem deſtruxit. Joſeph de Arimathea. Manna coelicum.

DOMITIANUS, frater Titi, regnavit annis XV., menſes VI. anno Domini LXXXIII. Hic decreto Senatus inter Deos relatus fertur, & ſe Deum ac Dominum vocari praecepit. Secundam perſecutionem Chriſtianis intulit, anno XI. imperii ſui. Haereſis Menandri & aliorum multorum eccleſiam Dei turbavit; anno XII. Cornelia Virgo Veſtalis ob ſtuprum viva defoſſa eſt, & tres aliae ante ipſam. Anno imperii ejus XIV., Joannes Evangeliſta in Inſulam Pathmos relegatus: ſcripſit ibi Apocalypſin: anno XV. Flaviam Domicillam & alios plures Chriſtianos Domitianus in exilium relegavit; Anacletus papa, Nereus & Archillius eunuchi, & domina eorum Domicilla, Dionifius Areopagita, & focii ejus multi necati ſunt. Anno imperii ejus XVI. crudeliter interfectus eſt anno aetatis ſuae XXXV., quia Romanis multa mala intulerat. Conſobrinos ſuos interfecit, auream imaginem nomini ſuo Capitolio intulerat, praeceperatque venerari.

Domitianus. 83. Secunda Chriſtianorum perſecutio. Hereſis Menandri. Virgo Veſt defoditur. Johannes in exilium relegatur. Domitiani crudelis exitus.

SEQUITUR DE PONTIFICIBUS.

ANACLETUS Papa ſedit annos XII. menſes X. anno Domini LXXXIX. Hic conſtituit, ut Clericus barbam & coronam radat, ſicut

89. Clericorum raſura unde.

sicut mandatum habuit a Beato Petro, quem Pagani ad modum coronae radentes, irrisorie dixerunt ad eum Papa. Idem constituit in missa dici *Pax vobis*, & *Dominus vobiscum*, ita ut Sacerdotes majores i. e. Pontifices dicerent; Pax vobis, minores vero nunquam, nisi cum Evangelium essent lecturi: item constituit, ut Episcopus a tribus Episcopis, & Abbas a tribus Abbatibus ordinentur, & ut Episcopus clericos ordinet. Hic intra missarum solennia passus est, sub Trajano Imperatore.

Constitutiones Anacleti.

Passio ejusdem.

93. CLEMENS Papa anno Domini XCIII. sedit annis IX. menses II. Hic misit ad Gallias Dionysium Areopagitam, discipulum Sancti Pauli Apostoli, & Lucianum Sancti Petri Apostoli discipulum, ad convertendas gentes, idolorum cultui deditas, qui cum aliis sibi adjunctis passi sunt tempore Trajani. Hic Clemens constituit, Sacerdotes in missa sacris uti vestibus, & episcopos uti baculo pastorali, annulo, chyrotecis & sandaliis, & quod Archiepiscopus pallio utatur super casulam, & patriarchae & primates, nec non & Cardinales Legati a latere non ambulent sine vixillo Sanctae Crucis, similiter summus Pontifex. Item constituit sententiam excommunicationis fieri in contumaces, ut Petrus. Item constituit in Ecclesia haberi doctores & Archidiaconos, qui sunt oculi Episcopi. Item, de Azymo pane confecit, ut Petrus. Hic ad Sanctum Jacobum minorem Hierosolymorum Episcopum scripsit sic: *Cum ego ad pedes Apostoli Petri procidens, declinare vellem Cathedrae honorem, respondit mihi; Tu periculum times, ideo fugis cathedram: certus esto, quod plus peccas, qui populum juvare cum possis, subterfugis, habens tantummodo considerationem tui, & non praevides, quid expediat in communi.* Qualiter beatus Clemens parentes suos amiserit, & rursus invenerit, require in passionali legendam pulcherrimam. Hic vivente Trajano in profundum maris mersus, jacuit ibidem per annos DCCLXII. usque ad Nicolaum Papam primum, in templo marmoreo, ab Angelicis manibus hic sibi mirabiliter praeparato.

Dionysius Areopagita. Lucianus.

Constitutiones Sanctae Papae.

Sententia excommunicationis quando instituta.

Clemens ad Jacobum minorem.

Clementis martyrium.

DE IMPERATORIBUS.

99. NERVA senex anno Domini XCIX. regnavit annum unum, menses IV. hic primo edicto omnes exules revocavit, quos Domitianus in exilium relegavit. Trajanum ad imperium adoptavit. Joannes de exilio reversus Ephesum, scripsit Evangelium suum, & sedit absque tecto in vento, sed ad preces ejus in eodem loco nec pluviae, nec venti, nec turbines usque in diem hodiernum descendunt. Nerva Caesar obiit annorum LXXI. natus.

Nerva Imperator.
Trajanus fit Imperator.
Johannes Euangelista.
Nervae obitus.

TRA-

TRAJANUS, Hispanus natione, anno Domini C. in Colonia Agrippina factus Imperator, regnavit annis XIX. menses VI. dies XV. Hic laborum patiens fuit, justitiae & juris reparator & custos; in utraque lingua disertissimus fuit. Praeceptorem habuit Plutarchum, insignem Philosophum; dicere solebat; talis debet esse Imperator erga subditos, qualem vellet habere & optare erga se Imperatorem, si foret ipse alicujus facti obnoxius. Ob hoc tale de se reliquit Proverbium: *Esto felicior Augusto, & melior Trajano.* Hic adjecit imperio Syriam, Mesopotamiam, & Armeniam; deinde Asia & Babylonia capta, classem in mari rubro composuit, cum qua fines Indiae vastando intravit. Inde quoque cum gloria rediens, Deos suos laudavit, & Christianos occidi jussit, cui Sanctus Ignatius, Patriarcha Antiochenus, occurrens libera voce se Christianum esse clamavit; quare Trajanus ad terrorem Christianorum Sanctum Ignatium ferro vinctum Romam misit, à leonibus devorandum; qui crebro nominans Jesum Christum, interrogatus à paganis, cur hoc faceret, respondit, hoc nomen in conde suo scriptum esse. Igitur ipso necato cor ipsius aperuerunt, & in plures particulas scindentes, invenerunt in unaquaque scriptum aureis literis Jesus Christus. De hoc Sancto require multa in Ecclesiastica Historia, & qualiter gloriosa Virgo & mater Dei ipsi literas misit, & ipse suis literis e regione eam salutavit. Colitur festum Sancti Ignatii in vigilia purificationis beatae Virginis: anno Trajani primo Joannes Evangelista migravit ad coelos, VIII. Kalendas Julii, ubi nativitas beati Joannis Baptistae celebratur, & sic uno eodemque die est amborum solennitas, licet in medio transierunt C. anni. Anno Trajani VI. Symon Cleophae Hierosolymorum Episcopus crucefigitur, senex annorum CXX. Anno Trajani VII. terrae motus multas subruit urbes, item aurea Domus Neronis incendio periit, & templum Pantheon fulmine ictum crematum est. Anno ejus nono Plinius Philosophus clarissimus pro pace Christianorum Caesarem rogans eum mitigavit, quamvis ipse etiam cum Provinciam quandam administraret, plurimos interfecisset. Anno imperii sui XVI. Trajanus Provincias tres bello vicit: anno ejus XVIII. Judaei congregati in Alexandria plurimos occiderunt, tandem ipsi victi ab omnibus ubique trucidabantur. Item terrae motus Antiochiam fere totam subruit: Anno ejus XIX. Trajanus profluvio ventris obiit, annos natus LXIV. cujus ossa in foro, quod ipse construxerat, posita sunt in urna aurea, sub columna CXL. pedum. Nullus Caesar ante ipsum Romae sepultus erat; pro hujus anima post annos fere quingentos Sanctus Gregorius Deum flendo rogavit, & ei meliorem locum impetravit: vel ut alii dicunt, Salvationem a Deo obtinuit. Sed Dominus Sanctum Gregorium Papam ideo usque ad mortem suam infirmitatibus gravibus & continuis flagellavit, alioquin sustinuisset purgatorium biduanum in anima post mortem. Febres continuas & graves languores in corpore sustinuit. Passi sunt sub Trajano Imperatore etiam Alexander Papa Eventius

Trajanus. 100. Trajani laus.

Proverbium Trajani.

Provincia a Trajano capta.

Sanctus Ignatius.

Sancti Ignatii martyrium.

Nomen Jesu in corde Ignatii scriptum.

Festum Sancti Ignatii.

Johannes Evangelista decessit.

Symon Cleophae martyrium.

Terrae motus.

Pantheon.

Plinius.

Terrae motus.

Trajanus moritur.

Sanctus Gregorius pro Trajano oravit.

Infirmitas Gregorio inflicta.

E Pres-

Presbyter, Theodolus Diaconus, Clemens Papa, Phocas, Faustinus, Sabina, Sophia, Eustachius & alii, decem millia.

119. Hadriani laus. HADRIANUS, Helius, de Hadria civitate apud mare Hadriaticum sita, anno Domini CXIX., regnavit annos XXI., homo facundus, & eruditus in Physica, Musica & Astronomia, Bibliothecam mira opera construxit Athenis: pacem semper dilexit, ideo tres Provincias amisit, Syriam, Mesopotamiam & Armeniam, quas Trajanus acquisierat, cujus gloriae invidus fuisse dicitur Hadrianus, licet nepos Trajani fuerit. Hic primo persequebatur Christianos, donec per Quadratum Apostolorum discipulum, & per Aristidem ex libris Apollonii gentilis Prophetae meliora edoctus Hierusalem restauravit XIX. imperii sui anno, non in monte Sion, ubi prius sita fuit, sed in colle Calvariae, in quo Redemtor noster crucifixus fuit, & tantum in ea Christianos collocavit, eamque nomine suo Heliam vocavit. Hic diligens fuit circa aerarium, & militum disciplinam. Anno imperii sui IV. terrae motus factus fuit. Anno XI. ejus Saturnides haeresin seminavit. Duodecimo anno Cornelius, quem Sanctus Petrus convertit, Episcopus sive Patriarcha Antiochenus ordinatus est, de quo require Actuum Cap. X. Eodem tempore missa in Graeco Idiomate celebrari coepit, quae antea Hebraice tantum celebrabatur. Anno ejus XIV. Nicapolis & Caesarea terrae motu corruerunt; XVII. imperii ejusdem anno Judaei armata manu Palestinam depopulabantur: Anno XVIII Judaei ubique trucidantur: anno ejus XIX. Hierusalem per annos fere C. desertam reaedificare conati sunt, sed magnis prodigiis territi fugierunt! Nam aliquoties igne de terra erumpente plurimi perierunt. Anno imperii sui XXI. Hadrianus moritur morbo intercutaneo, annos LX. & amplius natus.

Quadratus. Aristides. Hierusalem reaedificatur.

Terrae motus. Haeresis Saturnidis. Cornelius.

Missa Graece primum lecta. Terrae motus. Judaei Hierusalem reaedificari conabantur sed frustra.

Hadrianus moritur.

140. Antoninus Pius. ANTONINUS, gener Hadriani, anno Domini CXL. cum filiis suis, Marco & Lucio regnavit annos XXII. menses III. Hic cognominatus est *Pius* eo quod fuit valde pius erga cives extraneos & Christianos. Hic dixit; *Mallem Scipionis exemplo unum civem conservare, quam mille hostes occidere*; hic sua liberalitate omnes Thesauros reipublicae distribuit & aerarium omnino evacuaverat. Item in omni regno suo captivis omnibus detentis debita relaxavit: postea necessitate incumbente ornamenta uxoris suae vendidit & vasa sua praetiosa, ut stipendia militibus erogaret, nec tamen in subditos exactiones fecit. Et ideo Deus ipsum tantum ditavit, ut ipse multos ditaret, relinqueretque aerarium opulentissimum. Hujus filia Faustina nomine, cum vidisset gladiatores, id est, schirmeros digladiantes, tam ardenter in unum exarsit, quod gravem ex hoc infirmitatem incurrit: sed non consentiens tentationi, causam languoris sui indicavit viro suo Marco Antonino, qui, ipsa ignorante, misit interfici eundem gladiatorem, & ejus sanguine & adipe totum corpus uxoris suae Faustinae liniri, quo facto infirmitas cum tentatione recessit. Galenus medicus de Pergamo, Asiae urbe, oriundus Romae eo tempore claruit,

Memorandum Antonini verbum. Liberalitas Antonini. Antonini paupertas. Divitiae ejusdem. Faustinae amor. Marcus Antoninus. Galenus medicus.

ruit. Item Pompejus Trogus, natione Hispanus, qui totius orbis historias XLIV. libris complexus est. Item Aquila, genere Ponticus, legis interpres secundus. Item Ptolomaeus vir mirabilis in artibus Mathematicis, qui plus addidit in Astronomia, quam fuerat ante totum corpus. Astra in instrumentis observavit. Almagesti etiam perspectivam, quae in opere de oculo saepe allegatur composuit: judiciarium etiam quadripartitum, centilogium & multa alia invenit; vixit autem LXXVIII. annos, natione Alexandrinus, natura immodestus, (id est *ungestium*) colore albus, fortis viribus, pauci cibi, redolentem habuit anhelitum, & nitida indumenta. Proverbio consueverat dicere; *Inter omnes altior extitit, qui non curat, in cujus manu sit terra. Item; qui per alios non corrigitur, per illum alii corriguntur.* Item; *ultimae promissiones hominis cariores sunt.* Eodem tempore floruit Justinus Philosophus, qui librum de religione Christiana a se compositum obtulit Imperatori, eumque benevolum Christianis fecit. Item alius Philosophus nomine Secundus claruit, qui de inconstantia mulierum audiens disputare Philosophos, ad Patriam rediit specie peregrini, venitque in domum matris suae, ut animum illius attentaret, quae illum peregrinum putans, exaudivit, & in carnalem copulam consensit. Tunc filius exprobrans dixit: Vera est Philosophorum sententia, quia omnis mulier naturaliter est meretrix, ob hoc mater nimium perturbata & verecundata, irremediabili dolore vitam finivit: filius vero de hoc semper dolens, silentium perpetuum sibi ipsi pro poenitentia injunxit, & tamen libros multos compilavit.

Trogus Pompejus. Aquila Ponticus. Ptolomaeus. Dicta Ptolomaei memoranda. Justinus Philosophus. Secundus Philosophus. Factum impium filii.

MARCUS ANTONINUS VERUS anno Domini CLXII. cum fratre suo Lucio Antonino regnavit annis XIX. Hic gener & filius Antonini Pii nobilissimus fuit virtutibus multis, praeter Christianam pietatem, adornatus, omnes virtutes & ingenium caeleste possedit, qui, si tunc non fuisset, gloria Romana periisset, ad nullum enim eventum fuit elatus: ab hoc incaepit Roma duos Imperatores habere, ut uno mortuo alius succederet, uno praeliante alter judicio praesideret, unus in Oriente & alter praeesset in Occidente, Rempublicam taliter gubernando. Hujus anno VI. lues & mortalitas maxima provincias multas hominibus evacuavit: passi sunt sub his Imperatoribus Sanctus Policarpus, Marcellus, Valerianus, Fotinus, Victor, Praxedis corona Plandina, Flocellus puer, & alii multi; eo tempore Tacianus Haereticus agnoscitur, a quo Catafrigorum haeresis. Caesar in Pannonia obiit.

162. Virtus Marci Antonini. Duos Imperatores simul haberi caeptum. Mortalitas maxima. Christianorum persecutio.

DE PONTIFICIBUS.

Conjugia publica fieri jussit.

EVARITIUS Papa quartus ex Patre Judaeo de Bethleem, sedit annos IX. Hic constituit conjugia publice sponsari, & ante fores Ecclesiae benedici: propter transgressionem hujus salubris mandati, heu! multi homines sunt damnati, & quotidie damnantur, qui clandestina matrimonia saepissime rescindunt, propter defectum probationis, & saepe perjuria proveniunt. Unde prohibitum est sub gravi poena religiosis omnibus & Sacerdotibus, quod talibus conjunctionibus non velint interesse propter multa pericula, quae inde exurgere solent, sicut quotidie videmus.

Salis & aquae benedictio.
Alexander patitur.

ALEXANDER PRIMUS Papa quintus post beatum Petrum sedit annos decem, menses II. Hic addidit in Canone: *Qui pridie quam pateretur*, item constituit, quod de pane azymo conficiatur eucharistia, & in modica quantitate, dicens: Haec oblatio quanto potentior tanto rarior. Item sal & aquam jussit diebus Dominicis benedici. Hic passus est sub Trajano: cum vero laniaretur ungulis ferreis, & sudibus acutis per totum corpus pungeretur, & igne ureretur, tacuit, postea interrogatus, cur tacuisset? respondit; Quia tempore orationis loquitur homo cum Deo, ideo tunc cum hominibus loqui non debet.

129.
Sanctus in missa instituitur.
Corporale sit lineum.

SEXTUS PRIMUS, Papa Sextus, post beatum Petrum, sedit annos XI. menses IV. anno Domini CXXIX. Hic constituit inter actionem missae, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus Deus Zebaoth* &c. cantari: item ne mulier tangat calicem, vel corporale. Praecepit, quoque, ut corporale non sit de serico, sed de lino, quod etiam Silvester statuit: item Episcopus vocatus ad Curiam, & rediens non recipiatur in sua Ecclesia, absque literis Papae.

140.
Gloria in excelsis instituitur.
Carnis privium Clericorum.
Carnis privium Laicorum.
Tres missae in Natali Domini.

THELESOPHORUS, SEPTIMUS Papa, sedit annis XI. menses quinque anno Domini CXL. Hic constituit in Missa cantari: *Gloria in Excelsis Deo*, usque huc, *bonae voluntatis*, quia quod sequitur, *laudamus te* &c. postea addidit Sanctus HILARIUS Episcopus; item ut omnes Clerici Jejunare incipiant, feria secunda post Dominicam quinquagesimae, & Laici feria quarta postea sequenti. Item constituit tres missas in Nativitate Domini celebrari, & quod alio tempore nullus celebret ante tertiam.

150.
Unus Patrinus vel Patrina.

EUGENIUS OCTAVUS Papa anno Domini CL. sedit annos IV. menses tres. Hic constituit, ut unus Patrinus vel Patrina tantum in baptismo habeatur. Similiter in confirmatione & catechisatione.

154.
Excommunicatio in sacrilegos.

PIUS PAPA nonus, sedit annos XVIII. menses IV. anno Domini CLIV.: hic constituit sententiam excommunicationis in sacrilegos, &

& ut Clericus qui initiatus fuerit Episcopo deponatur, & tradatur curiae seculari. Huic in specie Sancti Pastoris Angelus apparens nunciavit Pascha die Dominica celebrandum, quod VI. Kalendas Aprilis antea celebrabatur. Festum Paschatis cur die dominica celebrandum.

ANICETUS X. Papa sedit annos tres, menses IV. Hic constituit, ut corona Clerici Sphaerica sit, & crines breves, sicut Sancti Apostoli praeceperunt. Corona Clerici Sphaerica.

SOTHER Papa XI., sedit annos IX. anno Domini CLXXV. Hic constituit, ut uxor pro legitima non habeatur, nisi per sacerdotem benedicatur, nec tamen separari possit. Item ut Monacha velum nigrum portet. Item, ne foemina ad altare ministret. Item ne mulier vel virgo, de qua possit oriri suspicio, maneat in domo Clerici, alioquin ambo excommunicentur. Haeresis Catafrigorum eo tempore incepit, qui dicunt Spiritum Sanctum nec Apostolis, nec aliis quibuscunque datum nisi ipsis tantum. 175. Benedictio matrimonii. Haeresis Catafrigorum.

ELEUTHERIUS, DUODECIMUS Papa, sedit annos XV. menses VI. Anno Domini CLXXXIV. Hic constituit, ut nulla esca usualis repudietur. Item ut nullus a gradu sui ordinis vel dignitatis dejiciatur, nisi fuerit accusatus & convictus, quia Christus Judam non dejecit ab Apostolatu, licet noverit suam malitiam. Item ut sententia feratur praesente reo & actore in die, non in nocte. 184. Nullus dejiciatur a dignitate aut officio nisi convictus & accusatus.

VICTOR Papa XIII., sedit annos X. anno Domini CIC. Hic commisit auctoritatem Theophilo Episcopo Caesariensi in Palestina, ut in Concilio de Paschali circulo deliberaret; ubi determinatum fuit, quod Deus mundum AEquinoctio vernali creavit sole existente in principio arietis, & luna plena in principio librae, ideo adhuc eo tempore Pascha Domini celebratur die dominica, post lunam quartam decimam in Aprili. 190. Theophilus. Pascha quando celebratur.

SEPHERINUS Papa XIV., sedit annos VIII. dies X. Anno Domini CCIX. Hic constituit, ut omnis Christianus annorum XII. semper in Pascha ad minus Sacramentum Dominici corporis & sanguinis recipiat. Item ut calix & omnia vasa sacra vitrea sint, quod per annos C. in universa Ecclesia servatum est, usque ad Urbanum Papam. Eo tempore floruit SYMMACHUS, qui fuit veteris & novae legis interpres quartus. 209. Sacramentum corporis Christi annuatim recipiendum. Vasa altaris vitrea sint. Symmachus.

SEQUITUR DE IMPERATORIBUS.

LUCIUS ANTONINUS COMMODUS, post obitum fratris sui Marci Antonini Veri, regnavit annos XIII., anno Incarnationis CLXXXI. Hic Philippum illustrem Principem Romanum misit in Alexan- 181. Philippus Princeps.

Eugenia Abbas eligitur. Prothus Hyacinthus. Sergius Bacchus.

xandriam, ut esset praefectus in AEgypto, cujus filia EUGENIA in habitu virili monasterium ingrediens, eligitur in Abbatem, comitantibus secum Protho & Hyacintho Eunuchis, quae per Melantium falle infamata de fornicatione, sexum suum indicavit, Sergium & Bacchum fratres suos, ac totam parentelam, ad Christum convertit, require de hac in passionali omnium legendarum pulcherrimum. Eo tempore

Sanctus Lucius Britanniae Rex.

Lucius Britanniae Rex Paganus, totus tamen virtuosus, XXVIII. Episcopos gentiles habuit, qui dicebantur flamines, quorum tres archiflamines erant. Hic per nuncium Eleutherii Papae, ut petierat, baptizatus in regno suo ex flaminibus XXVIII. tot Christianos Episcopos constituit, sed regno postea dimisso, fugiens solus in Bavariam venit, quam totam, & Rhetiam quoque, inter Alpes sitam, magnis ac multis miraculis ac praedicationibus ad fidem convertit, deinde Episcopus ordinatus est, & tandem martyrio coronatus; sepultus in diocaesi Estensi, creberrimis signis illustratur Anno VII Imperii Lucii Antonini Commodi natus est ORIGENES in Alexandria: Anno ejus VIII. Capitolium, & bibliotheca Romae fulmine tacta cremantur: Anno regni sui decimo, Colossi capite sublato Caesar Antoninus Commodus imaginis suae caput statuae Colossi superposuit; & Julium Senatorem pro fide Christi fustibus interfecit: multos quoque sanctos & sanctas Martyrio consumavit. Tredecimo regni sui anno Imperator ipse Commodus in domo vestali strangulatur, prius ab uxore sua Martia veneno infectus, sicut in quibusdam codicibus invenitur.

Bavaria & Rhetia ad fidem Christi conversae. Origenes natus. Capitolium exustum & Bibliotheca. Julius fit martyr. Commodi interitus.

194\. Helii laus. Helii pertinacitas.

HELIUS PERTINAX, vir grandaevus & omnibus aequus, nunquam munera accepit, nunquam se vindicavit. Rogatus a Senatu, ut filium suum Caesarem faceret, & uxorem suam Augustam vocaret, respondit; Sufficere eis debet, quod ego regnem invitus. Hic ab anno Domini CXCIV. cum Severo regnasse legitur annis XVIII.; dicit tamen ISIDORUS quod tantum sex mensibus regnaverit, & quod Julianus eo occiso regnavit pro ipso VII. menses. Eo tempore Tertullianus, genere Aphricus in Ecclesia insigniter claret. Origenes puer magistros ingenio praecellebat, cujus pectus pater (Leonides) frequenter deosculans, dixit; In corde filii mei Spiritum Sanctum veneror & adoro, sicut legitur in sexto libro *Ecclesiasticae Historiae*, qui fere totus est de virtutibus Origenis: semper nudis pedibus incessit, carnes & vinum nunquam gustavit, in tecto non dormivit, sed super nudam humum; se ipsum castravit, & semper martyrium optavit.

Julianus Imperator. Tertullianus. Origenis indoles. Origenis vita. Se ipsum castravit.

Juliani interitus. Severi mores; quinta Christianorum persecutio. Hyrenaeus martyr.

SEVERUS PERTINAX primus & ultimus ex Aphrica Imperator anno Domini CXCVI Julianum Imperii invasorem bello vicit, & regnavit annis XVII. Hic studiis civilibus & Philosophiae clarus, literis Graecis & Latinis eruditus, in bellis fortunatus; fuit aliquantulum parcus. In Christianos quintam persecutionem exercuit apud Lugdunum, in uno colle crucem, & in alio Idolum collocavit, & Episcopum Hyrenaeum cum omni populo in medio statuens dixit; qui Deos adoraverit vivet, qui cruci se inclinaverit occidetur. De hoc Sanctus Epi-

Episcopus laetus effectus cum vexillo praecedens ivit ad crucem, & populus fere totus gaudenter subsequens sustinuit passionem. Anno Severi xi. passus est Sanctus Leonides pater Origenis, quare ipse Origenes annorum xvii. post patris sui passionem, matrem suam cum fratribus aluit, & grammaticam docens suis necessaria conquisivit, libros novos quotidie scribens, usque ad septuagesimum aetatis suae annum plusquam quinque millia voluminum compilavit, in quibus tamen ipse, vel alius in odium, errores pessimos seminavit. Hic enim ubi bene scripsit, nullus eo melius, ubi vero male, nullus eo pejus erravit. AEstimatur tamen, quod aemuli sui, in odium fidei Catholicae, hos pestiferos interseruerint errores. Require in Epistolis Sancti HIERONYMI, quid de Origine & scriptis ejus sentiant ipse & beatus Augustinus. Anno Severi xii. Perpetua & Felicitas Carthagine bestiis deputantur, cum multis aliis sanctis, qui Dominum deprecabantur, ut sancta Felicitas viii. mense pareret, ne foetus cum ipsa periret. Anno Imperii sui xvii. Severus obiit in Britannia, ubi vallum fecerat a mari ad mare per miliaria cxxxii.

Leonides pater Origenis patitur.

Origenis scripta 5000. & bona & mala.

Quid sentiant Hieronymus & Augustinus de Origene.

Perpetua & Felicitas bestiis deputantur.

Severi obitus.

ANTONINUS CARACALLA, a genere vestis nomen accepit. Iste fuit Severi filius, homo pessimus, anno Domini ccxiii. regnavit vi. annis. Novercam suam duxit in uxorem, & fratrem suum, Getham nomine, interfecit, & innumeros alios. Tandem & ipse occisus est anno aetatis suae xliv. Eo tempore quinta editio inventa est, sed author penitus ignoratur.

213.

Caracallae scelera.

Caracalla occiditur.

Quinta editio.

PHILIPPUS MACRINUS sive Ophilus anno Domini ccxx. regnavit unum annum, & cum filio suo Diodorio caesus est.

220.

MARCUS AURELIUS ANTONINUS anno Domini ccxxi. regnavit annos iv. quo tempore Nicopolis in Palestina est condita, quae prius Emaus vocabatur, ubi tunc sexta editio inventa est. Item eodem tempore haeresis Sabellii oritur. Item historiographus Julianus eo tempore claruit, genere Aphricanus, inter scriptores temporum nobilissimus. Item Marcus Aurelius Romae occiditur cum matre sua.

221.

Nicopolis, Emaus.

Sexta editio.

Haeresis Sabelliana.

Julianus Historiographus.

ALEXANDER AURELIUS anno Domini ccxxv. regnavit annis xiii., Caesar ab exercitu, Augustus a Romanis vocatur. Hujus matrem Mammeam nomine Origenes ad fidem convertit, quae ob hoc a filio est occisa. Eo tempore Sanctus Narcissus, Episcopus Gerundinensis beatam Aphram in Augusta traditur convertisse, & matrem ipsius ac totam parentelam sive familiam: licet aliqui putent, hoc factum esse sub Diocletiano Augusto. Item corpus Sancti Thomae Apostoli de India in civitatem Edessam translatum est anno Domini ccxxxiii. cui tamen contrarium videtur, quod dicitur in passionali, scilicet quod hoc gestum sit circa annum Domini mcxx. anno xiii. Imperii sui Alexander Moguntiae decollatur.

225.

Mammea mater Alexandri ad fidem convertitur.

Narcissus Sanctam Aphram convertit.

Corpus Thomae Apostoli in Edessam transfertur.

Obitus Alexandri.

MAXIMINUS anno Domini ccxxxviii regnavit tribus annis, & cum filio suo adhuc puero occisus est apud Aquileiam. Hic septimam persecutionem Christianis intulit, & puto quod vitio scriptorum in

238.

Septima Christianorum persecutio.

Notabile. in legendis sanctorum saepe scribatur, & legatur, pro Maximino Maximianus, qui fuit collega Diocletiani, require infra anno CCXC.

241. GORDIANUS anno Domini CCXLI. regnavit annis VI. & apud Romam est sepultus. Claruerunt his temporibus Ulpianus Jurisconsultus, Origenes Aphricanus, Porphirius Theopompus, Hyppolitus Beryllus.

247. Primus Christianorum Imperator. Annus millesimus urbis conditae celebratus. Decius Philippum occidit. Junior Philippus. Beatus Sixtus.

PHILIPPUS, primus Imperator Christianus anno Domini CCXLVII. filium suum Philippum similiter Christianum regni consortem fecit & septem annis simul regnaverunt. Anno ejus III. Romani tribus diebus solenniter celebrabant annum millesimum Romae conditae, & huic solennitati Deus forsitan voluit Christianum Imperatorem interesse, quia ei adhuc XV. Imperatores gentiles successerunt. Hic Decium militem suum cum copioso exercitu adversus Gallos rebellantes misit, sed Decius, parta victoria, rediens Caesarem Veronae dormientem obtruncat, & pro eo regnavit; quod audiens junior Philippus Sancto Sixto Papae Thesauros patris sui commisit dispensandos Ecclesiis, & in usus pauperum; & ipse cum multis aliis pro fide Catholica sustinuit passionem.

SEQUITUR DE PONTIFICIBUS.

218. Symoniaci irregulares. Jejunia quatuor temporum. Coemiterium Calisti.

CALISTUS PAPA XV., sedit annos VII. menses duos, anno Domini CCXVII. Hic constituit, quod emens & vendens spiritualia sint irregulares. Item jejunia quatuor temporum instituit, item prohibuit, ne quis cum consanguinea uxoris suae contrahat; item coemiterium subterraneum construxit, latius milliario, habens testudines & diverticula infinita, in quo sancti innumerabiles sunt sepulti.

Caecilia. Tiburtius, Valerianus.

URBANUS Papa XVI., anno Domini CCXXIV. sedit annis VII. menses XI. Hic Sanctum Cecilium, Tiburtum & Valerianum fratrem ipsius, qui fuit sponsus Sanctae Ceciliae virginis, aliosque multos ad fidem convertit & ad martyrii palmam usque confortavit. Hic constituit omnia vasa altaris esse aurea, argentea, vel stannea: item constituit, confirmationem fieri in fronte cum chrismate, quae prius fiebat manuum impositione tantum absque chrismatione.

231. Cyriacus Papa. Undecim millia virgines. Julius sive Athila Hunnorum Rex.

PONTIANUS Papa XVII. anno Domini CCXXXI. sedit annos VI. menses duos, cui dicitur successisse Sanctus Cyriacus, sed non est in catalogo Pontificum, quia resignavit papatum, & cum $\overline{XI}$. virginibus virgo a sede surrexit, & recessit: passus martyrium cum eis Coloniae Agrippinae a Julio Hunnorum Rege, qui alio nomine Athila vocabatur, anno Domini CCXLVI. sedit autem Cyriacus annum unum, hebdomadas XI.

AN-

ANTHERUS Papa XVIII. anno Domini CCXXXVII. sedit annos XII. hic constituit ne Episcopi transferantur de sede ad sedem, absque sedis Apostolicae licentia speciali. 237.

FABIANUS Papa XIX. anno Domini CCXLIX. sedit annos VI. Hic constituit Chrisma in Coena Domini consecrari; item, ut pro causa licita homo jurare possit ad tollendas controversias. Columba Alba de coelo demissa super caput ejus sedit, in signum, quod in Papam digne & merito esset ab omnibus eligendus. 249. Sacrum chrisma; juramentum; miraculum.

CORNELIUS Papa XX. anno Domini CCLV. sedit annos tres. Hunc in Canone nominamus, quem dicimus, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni. Eo tempore Graeci reliquias Petri & Pauli Apostolorum furati fuerant, sed Daemones in aëre clamabant: Viri Romani, succurrite, dii vestri aufferuntur vobis, quare eos statim insequimini manu forti; Graeci territi Apostolorum ossa in puteum projecerunt, fugam petentes, quae Papa Cornelius de puteo levavit, & cum dubitaret in ossibus, cujus quaeque essent, vox de coelo dixit: Ossa majora sunt praedicantis, minora vero pastoris. 251. Reliquiae Petri & Pauli a Graecis furatae.

SIXTUS SECUNDUS Papa XXI., anno Domini CCLV. sedit annum unum, menses IX. Hic & duo Papae praecedentes leguntur passi fuisse sub Imperatore Decio. 255.

SEQUITUR DE IMPERATORIBUS.

DECIUS anno Domini CCLIV. regnavit annos duos, menses sex, crudeliter persequens Christianos, quem fugientes septem fratres germani absconderunt se in monte Zelion prope Ephesum in spelunca, quam praecepit Decius obstrui ut intra speluncam fame morerentur; sed ipsi per annos CXL. usque ad tempus Theodosii Imperatoris Christianissimi uno somno suavissimo dormierunt. Ultimo cum Decius jam beatum Sixtum, & Sanctum Laurentium, beatum Agathum, Verianum, Marianum, Abdonem, Sennensem, Dionysium Alexandrinum, Alexandrum Hierosolymitanum, aliosque innumeros Christianos utriusque sexus occidisset, ipse a Gothis in Thracia est occisus. 254. Septem fratres dormientes in spelunca mirabiliter conservantur. Decius interficitur.

GALLUS VIBIUS vel Hostilius anno Domini CCLVII. cum filio suo Volusiano regnavit annis duobus, & mensibus quatuor, & in certamine Pater & filius sunt occisi. Eo tempore Origenes obiit anno aetatis suae LXX. 257. Volusianus. Origenes obiit.

VALERIANUS anno Domini CCLIX. cum filio suo Gallieno regnavit annis VI., qui putatur fuisse praefectus Decii, Caesaris praedicti, & saepe nominatur in legendis Sanctorum, quos Decius martyrizavit. Hic igitur Valerianus Christianos crudeliter persequens, sicut ante- 259. Gallienus Imperator.

antecessor suus Decius fecerat, morti dedit Stephanum Papam, Cyprianum Carthaginensem, Fructuosum quoque & Eugeniam cum duobus Eunuchis Protho & Hyacintho, Poncium quoque, qui Philippos Imperatores ad fidem converterat: sed Valerianus septimo anno captus, & excoecatur a Sapore Persarum Rege, coactusque fuit usque ad mortem Regem Saporem curvato dorso attollere, quandocunque is vellet equum ascendere, sicque miserabili servitute consenescens vitam finivit. Cujus filius Gallienus per haec territus, pacem dedit Christianis, sed in omnem lasciviam dissolutus, tandem Mediolani occiditur.

Valerianus capitur & excoecatur.

Pax Christianis datur.

Gallienus occiditur.

266. GALLIENUS filius Valeriani praedicto anno Domini CCLXVI. regnavit IX. annis. Eo tempore bella innumerabilia sunt exorta. Germani Italiam, Alemanni Gallias & Burgundium depopulabantur; Graecia, Macedonia, Ponthus & Asia a Gothis molestabantur, atque alias quam plures provincias quassavit haec malorum irruptio. Gallienus vero in urbe Mediolanensi occiditur; post cujus obitum, ut liber quidam scriptum habet, alius Decius surrexit tempore Sixti Papae tertii; quod tamen autenticum non est.

Bella multa exorta.

Gallienus occiditur.

Alius Decius.

274. CLAUDIUS SECUNDUS anno Domini CCLXXI. regnavit annos duos & menses duos. Hic Gothos jam per annos XV. terram undique vastantes bello vicit, ideo in curia sibi clypeus aureus, & in capitolio statua imaginis suae est posita, item XV. M. Alemannorum vicit, & occidit in bello: sub isto passi sunt Caesarius Diaconus, & Julianus Presbyter, Marius, Martha cum duobus filiis, Valentinus Presbyter in Smyrna infirmatus obiit in Coena Domini IV. nonas Aprilis, de quo Zozimus author verificus loquitur.

Gothi victi.

Alemanni victi.

Claudii obitus.

Zozimus.

QUINTILIUS frater Claudii regnavit tantum XVII. dies, & occisus est.

276. AURELIANUS anno Domini CCLXXVI. Primo Christianis fuit clemens, sed postea persecutor acerrimus, regnavit annis V. menses VI. hujus meminit GLOSSA super Exodum Capitulo X. Primus fuit qui diadema capiti suo imposuit, & vestes aureas gemmis contextas in usu habuit, quod antea Romanis moribus incognitum fuit. Sancta Domicilla, quae Christiana facta, ipsum contemsit accipere maritum, & martyrium toleravit. Passus etiam est sub Aureliano Imperatore Sanctus Benignus, Andochius cum sociis, Priscus & Felix cum sociis, Speusippus cum fratribus, Sancta item Columba, Patroclus Symphorianus, Sabinianus, & Sanctus Maniërtes, Presbyter gloriosus, de quo mira & inaudita leguntur prodigia in octava Sancti Laurentii martyris. Aurelianus fulmine territus, juxta Byzantium a militibus suis occiditur.

Aurelianus primus omnium diadema portavit.

Domicilla.

Sanctus Maniërtes.

281. TACITUS imperavit menses VI., & occisus est juxta Pontum.

FLORIANUS, frater Taciti regnavit menses IV., & occisus est juxta Tharsum Ciliciae.

281. PROBUS regnavit annis VI., & mensibus IV. Hic strenuus, justus &

& fortunatus fuit, quasi ex re nomen habens; quia re & nomine Probus fuit. Hoc tempore Manicheorum Haeresis oritur. Haeresis Manicheorum.

CHARUS imperavit annos duos cum filiis. Hic Persas bello vincens, supra fluvium Tigridem fulmine percussus interiit. 283.

NUMERARIUS & CHARINUS, filii Chari Imperatoris praedicti, anno Domini CCLXXXVIII. facti sunt Augusti: sed regnaverunt duos annos, & occisi sunt. Tempore illo martyrio dati sunt Pelagius, Chrysanthus & Daria; Item Paulus, primus Eremita, claruit, quem Sanctus Antonius, sicut in Vitis Patrum & Historia Ecclesiastica legitur, requisitum, monstris indicantibus, invenit. 288. Pelagius, Chrysantus, Daria, Paulus. Antonius.

DIOCLETIANUS anno Domini CCXC. regnavit annis XX. natione Hungarus, scilicet de Pannonia, de stirpe modica progenitus. Illius tempore dii requisiti, quis in Imperatorem eligendus esset? responderunt eum, quem invenirent prandere super ferream mensam, praetereuntes itaque invenerunt ipsum super vomerem in agro comedere, & sic in Caesarem electus est. Cibo grosso educatus fuerat, & ideo cum ad Imperium venisset, & jam delicatioribus cibis vesceretur, imbecillis factus fuit, sed Medicorum consilio prioribus cibis rursus se dedit, & sic revaluit. Incoepit autem imperare ab urbe condita anno millesimo & quadragesimo. Hic fuit homo pessimus & maledictus; uxorem sanctissimam habuit, Senecam nomine, quae pro fide Christi martyrium constanter passa est, in crastino assumptionis beatae & gloriosae Virginis Mariae. Hic bello vincens Narseum Regem Persarum occidit, thesauris maximis locupletem, quos ipse secum detulit, & suis militibus large distribuit. Hic Maximianum, cognomine Herculeum, etiam Pannonem, genere rusticanum, regni consortem fecit, eumque in filium adoptavit anno Imperii sui primo. Hic etiam Caesares plures fecit, scilicet Galerium, Maximinum, & Constantinum, patrem Constantini Magni; quadraginta millia Alemannorum in bello occidit. Eo tempore Eusebius Episcopus Caesariensis Historiam Ecclesiasticam scripsit: tunc fuit persecutio gravissima Christianorum, & per X. annos duravit, eodem durissimo Diocletiano, & collega suo Maximiano conantibus totaliter subvertere fidem Christianam: ita ut intra unum mensem occisi sint XVII. millia Christianorum. Marcellinus quoque ab eo captus, timore passionis primo perterritus, Christum abnegans idolis sacrificavit: sed post dies paulos poenitentia ductus, ab eodem martyrio coronatur: unde eum successor suus Sanctus Marcellus divino edoctus oraculo inter antistites sepelivit, quamvis ad passionem vadens omnes adjurasset, ne corpus suum Ecclesiasticae traderetur sepulturae, indignum se aestimans inter sanctos praedecessores suos tumulari: tunc cessavit Papatus annis VII. menses VI. Passi sunt sub iisdem Imperatoribus Sanctus Mauritius cum legione sua, Sanctus Sebastianus, Fabianus, Lucia, Agnes, Marcellinus praedictus Papa, & successor suus Sanctus Marcellus: Sanctus Cyriacus, Georgius, Gorgonius, Chrisogonus, Anastasia, Cosmus & Damianus, cum aliis tribus

290. Dii de elegendo Imperatore requisiti. Deorum responsio.

Diocletianus homo pessimus. Seneca uxor Diocletiani martyr facta. Narseus Rex Persarum victus. Maximianus Herculeus. Galerius Maximinus, Constantinus Caesares. Eusebius Chronographus. Persecutio decennalis. Nota Diocletiani sevitiam. Marcellinus Christum abnegat, sed postea resipiscit. Marcellini poenitentia & passio. Sanctus Mauritius, Sebastianus, Fabianus, Lucia, Agnes, Marcellinus. Lyrianus, Georgius, Gorgonius, Chri[illegible]onus, Anastasia, Cosmus, Damianus.

F 2

Lucia, Geminianus, Euphemia. bus suis Germanis, Sancta Lucia vidua, & Geminianus, Euphemia; Sanctus Blasius, Vincentius, Agricola, & Vitalis, Quintinus, Crispus & Crispinianus; Eulalia virgo, Sergius & Bacchus, Sanctus Vitus cum nutrice, Panthaleon, Dorothea, Barbara, Christina, Justina, Primus & Felicianus, Cyprianus, Juliana & Maria virgines, & alii infiniti in diversis provinciis; quia Diocletianus primus in Oriente, Maximinus in Occidente Ecclesias subverterunt, libros Catholicae fidei combusserunt, & nomen Christianitatis omnino delere conati sunt. Anno XI. Imperii sui Diocletianus praecepit se adorari pro Deo. Habuit Diocletianus jaculatorem curialissimum, Genesium nomine, omnium histrionum magistrum, qui in loco quodam mirabiliter ad fidem conversus est, qui fustibus, equleo, ungulis, igne & gladio sustulit passionem in crastino Sancti Bartholomaei Apostoli. Anno Imperii sui XX. Diocletianus in Nicomedia, & Maximianus in Mediolano purpureas vestes & diademata Regia propter senectutem sponte deposuerunt, Maximianus post annos IV. in Massilia strangulatus est, & turpiter interfectus: Diocletianus quoque regno turpissime depositus, factus furiosus, sibi ipsi manum intulit.

Genesius.

Diocletianus & Maximianus Imperio se abdicarunt.

Maximiani & Diocletiani interitus.

309. Helena. CONSTANTINUS vir mansuetus, a Diocletiano missus in Britanniam filiam Regis Britanniae, Helenam nomine, duxit in uxorem. Hic anno Domini CCCIX. cum Galerio regnans duobus annis & in Britanniam rediens, obiit ibidem; cui in Imperio successit filius suus, Constantinus Magnus.

SEQUITUR DE PONTIFICIBUS.

255. Vestes consecratae non in quotidiano usu habeantur. Episcopus annorum sit XXX. LUCIUS Papa XXII. anno Domini CCLV. sedit annos tres, menses tres: hic constituit, ut vestes consecratae non habeantur in usu quotidiano. Item ut Episcopus ad minus sit annorum XXX., & cum Episcopo semper sint sacerdotes, & tres Diaconi: item ut Papa eligatur a clero in publico.

258. Cyprianus martyr. STEPHANUS Papa XXIII. anno Domini CCLVIII. sedit annos quatuor, menses duos: hic passus est IV. nonas Augusti. Et Sanctus Cyprianus, Episcopus & Doctor egregius, XVIII. Kalendas Octobris, scilicet in festo sanctae crucis.

262. Ecclesiae versus Orientem vertantur. Cantatur Sanctus. SIXTUS III. Papa XXIV. anno Domini CCLXII. sedit annos III. Hic constituit, ut Ecclesiae & altaria versus Orientem verterentur contra Paradisum, ubi sol oritur in medio Martii & Septembris. Item ut intra actionem dum Sacerdos sub silentio legit canonem, populus decantet; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Dominus Sabaoth.

265. DIONYSIUS Papa XXV. sedit annos VII. anno Domini CCLXV. Hic

Hic divisit limites Episcopatuum, mandans ut quisque suis limitibus contentus sit. Primus Papa Monarchus fuit.

FELIX Papa XXVI. anno Domini CCLXXII. sedit annos IV. menses 271.
tres. Hic constituit missas celebrari in memoriam martyrum. Hic passus est sub Claudio Imperatore. Eo tempore Haeresis Manichaeorum oritur, ut jam supra sub Probo dictum. *Martyr. Missae in memoriam martyrum. Haeresis Manicheorum.*

LUCIANUS Papa XXVII. sedit annum unum, & passus est sub Aurelio Imperatore. *Martyr.*

EUCHARIUS Papa XXVIII. sedit X. menses passusque est sub Imperatore Probo. Hic constituit benedici uvas, fabas & omnes novas fruges. *Martyr. Novae fruges. Benedictae.*

GAJUS Papa XXIX., sedit annos XI. menses IV. anno Domini *Martyr.*
CCLXXVIII. Hic constituit sic gradatim celebrari ordines, ut qui mereretur Presbyter ordinari, prius sit Hostiarius, Lector, Exorcista, Acolithus, sub-Diaconus, Diaconus, Presbyter, & ultimo Episcopus. Hic passus est sub Diocletiano suo cognato, cum nollet Susannam filiam fratris sui dare in uxorem Maximiano, adoptivo filio ipsius Diocletiani. 278. *Septem gradus ad Presbyteratum.*

MARCELLINUS Papa XXX. anno Domini CCCXC. sedit annos IX. 290.
menses II. Hic timore passionis Christum negans, idolis sacrificavit. Sed postea poenitentia ductus CCXL. Episcopos vocavit: petens eorum sententia deponi; qui omnes una voce responderunt; Absit a nobis ut quisquam nostrum Papam judicet; sed magis tu judica temet ipsum; quia Petrum negantem Christum caeteri Apostoli nec judicare nec deponere praesumpserunt. Unde Papa Marcellinus se ipsum deposuit, & ad passionem vadens, intrepidus excommunicavit omnes, qui eum sepelirent: sed Sanctus Petrus apparens suo successori Sancto Marcello, praecepit ipsum pro Sancto coli, & honorifice sepeliri. Illius festum celebratur in crastino Sancti Marci Euangelistae: Cessavit Papatus annis VII. menses VI. *Christum abnegat. Marcellinus se ipsum dignitate privat. (Si credere fas est) Petrus Sancto Marcello apparuit sc.*

MARCELLUS XXXI. Papa anno Domini CCCVI. sedit annos V., 306.
menses V. hic constituit XV. Cardinales Romae propter Baptismum & sepulturam. Item, ut nullus clericus trahatur ad judicium saeculare, nisi permissione sui Episcopi. Item, quod pueri in claustris nutriti cum pervenerunt ad XV. annum, si nolint manere in claustro, licite possunt redire ad haereditatem paternam, aut ad monasterium aliud, quod eis placuerit. *Nullus Clericus trahatur ad judicium seculare. De novitiis pueris in Claustris educatis.*

EUSEBIUS XXXII. Papa anno Domini CCCX. sedit annos II. Hic 310.
constituit festum Sanctae Crucis V. nonas Maji celebrari: unde multi libri dicunt, tempore Eusebii Papae lignum Sanctae Crucis inventum esse, licet in historia Sancti Sylvestri aliter contineatur. *Festum inventionis Sanctae Crucis.*

MELCHIADES Papa XXXIII. anno Domini CCCXII. sedit annos IV. 312.
Hic constituit ut nullus Christianus jejunet in die Dominica, nec in quinta feria, ne gentilizare videamur, quia hos dies Pagani quasi sacrum jejunium celebrabant. Similiter etiam in XL. inhibuit quintam *Die Dominica non jejunetur. feria quinta non jejunetur.*

F 3 se-

Feria quinta in quadragesima. feriam jejunari, quod duravit ccccxx. annis usque ad tempus Gregorii Secundi, qui feriam quintam diebus ceteris fecit aequalem.

316. SYLVESTER Papa XXXIV. anno Domini CCCXVI. sedit annis XXII. menses decem. Hic constituit Ecclesiarum, altarium & coemiteriorum dedicationes: item, ut calix unctione chrismatis consecretur: Item, ut corporale sit lineum album & mundum, non de serico aut canopo, in signum quod Joseph Christum involvit in Syndone munda, alba & linea. Item, Kurie eleison, Christe eleison, sumtum de Graeco, instituit decantari in missa. Hic Constantinum Augustum & tres filios suos baptizavit, item, ex precibus Helenae, cum Judaeis solennem disputationem habuit, & eos superavit. Taurum mortuum resuscitavit: culturam idolorum destruxit, fidem Christianam plurimum exaltavit. Hic primus Papa absque martyrio in pace quievit. Anno Domini CCCXX. in monte Gargano Sanctus Michael templum suum vili Scemate factum, sed coelesti virtute praeditum hominibus manifestavit, & ab ipso dedicatum asseruit. Anno Domini CCCXXVI. Nicaenum Concilium contra Arium Presbyterum, & impiae haeresis inventorem congregatum est, cui Concilio interfuit Sanctus Nicolaus cum CCCXVIII. aliis Episcopis, condemnantes errorem Arii, qui asseruit *Christum esse creaturam puram, & non Creatorem.* Anno Domini CCCXXXII. Helena, mater Constantini, Crucem Domini quaesivit, & miraculose invenit; item Ecclesiam mire ornatam in Bethleem construxit, cum XL. columnis marmoreis, & chorum de marmore speciosum, in locum diversorii, ubi Dominus noster & Salvator natus est. Eo tempore gens Hyberorum conversa est ad fidem, per mulierem captivam. Item India per duos pueros Christianos.

Dedicationes Ecclesiarum. Calix. Corporale cur lineum sit & non sericum. Kurie eleison instituitur. Constantinus Baptizatus. Miraculum insigne fcil. 320. Sanctus Michaël. 326. Concilium Nicenum contra Arium. Nicolaus. Haeresis Arii. 332. Helena Crucem Domini invenit. Hyberi & Indi ad fidem conversi per mulierem & pueros.

SEQUITUR DE IMPERATORIBUS.

311. Maxentius. CONSTANTINUS MAGNUS anno Domini CCCXI. regnavit annis XXX., menses X. Huic se opposuit Maxentius Caesar, filius Maximiani Herculei de Pannonia, per sex annos in partibus Orientis, sub quo Maxentio in Alexandria passa est gloriosa virgo Catarina, filia Costi, quondam Nobilissimi Regis Graecorum; Maxentius igitur contra Constantinum usque ad Pontem Milinum perduxit exercitum, sed cum pugnare cum eo haesitaret, Constantinus vidit in nocte apertis oculis igneam crucem ad Orientem, & audivit Angelum Dei dicentem sibi: *Constantine! in hoc signo vinces.* Et quamvis adhuc esset maximus persecutor Christianorum; tamen, divino edoctus miraculo, signum crucis vexillis, clypeis, & armis suis, & suorum imposuit. Sicque in bello gloriose triumphans Maxentium in fluvium submersit.

Sancta Catarina Costi Regis filia. Victoria Constantino promittitur.

merfit. Eo tempore passus est Sanctus Quirinus, qui fistulam curare habet, & Sanctus Petrus Episcopus Alexandrinus, & Lucianus Antiochenus, Philaeus Episcopus Romanus, & Baralus, Pamphilus Presbyter cum aliis multis Episcopis & Orthodoxis viris passus est, qui Arium Haereticum maledictum excommunicaverunt. Hi omnes passi sunt sub Maximiano & Maxentio Caesare Orientis, qui instauravit decimam persecutionem incoeptam a Diocletiano. Galerius divina ultione coactus pepercit Christianis: sed Constantinus desistere nolens, lepra pessima est infectus, cui Apostoli Petrus & Paulus in somno apparentes, baptismum persuaserunt. Tunc a beato Sylvestro Papa baptizatus, & curatus a lepra, multas libertates Ecclesiae dedit. Helenam quoque matrem suam convertit ad fidem. Hic Bizantium oppidum, destructum olim, reparavit, & de suo nomine Constantinopolim & novam Romam appellavit, sedemque imperialem ibi posuit, Romam urbem relinquens beato Sylvestro, & successoribus suis quibuslibet, ut liberius divinis obsequiis cum Clero suo vacare possint; tumultibus Imperialis curiae translatis. Ornamenta quoque sua regalia ex devotione Papae dedit, omnes etiam regiones circumjacentes dedit, & perpetuo assignavit ad usum Papae & Cardinalium. Permotus propter hoc invidia Licinius, qui a Diocletiano Caesar factus, adhuc in Oriente imperabat, in Christianos saevire cepit, multos necavit, denique cum & Constantino insidias pararet, detectus a filia sua Fausta Massiliae, fugiens captus capite truncatur. Constantinus deinde Basilicam in palatio suo construxit, in qua solus Papa missam celebrare potest, quae dicitur *Sancta Sanctorum*, & est dedicata in honorem mundi Salvatoris, propter soleas Christi, in quibus crucifixus fuit, illic collocatas. Illas soleas Martinus Papa, cum literulis reliquiis appensis renovare disponeret, ne vetustate consumerentur, ostendit omni Clero & populo, cum literis eisdem appensis, quae continebant hunc tenorem: Istae sunt soleae Salvatoris, cum quibus fuit crucifixus. Item ibidem in eodem scrinio recondito in altari reservatur Caro Christi, praecisa de umbilico ejus, & velum beatae Virginis cum lacte ejus. Item Crux Christi longitudine palmi vel spannae unius, & aliae reliquiae multae. Fecit etiam Basilicam Sancti Petri Apostoli in Vaticano, in palatio Neroniano, in templo Apollinis, & in monte aureo, quam constituit dominam omnium Ecclesiarum, posuitque corpus beati Petri in capsam ex aere & cupro quinque pedum spissam, & supra hanc locavit cyborium cum columnis porphyreticis, & crucem de puro auro, de super pensantem CL. libras auri: & circa tumbam Apostoli undique per Gyrum XII. columnas Onichinas de Graecia allatas. Corpus autem beatissimi Pauli Apostoli posuit in catacumbas in capsa simili priori; capita autem amborum Apostolorum poni fecit in Sancto Sanctorum in Ecclesia Salvatoris. AEdificavitque quoque appendiciam Ecclesiam Lateranensem in honorem Sancti Joannis Baptistae, ibique locavit Arcam Veteris Testamenti, quam Titus asportaverat de Hierusalem,

Sanctus Quirinus.
Petrus.
Decima persecutione continuata.
Constantinus lepra infectus.
Visio.
Bizantium Constantinopolis & nova Roma appellata.
Roma Papae data, ut melius Sacris officiis in clero vacaret.
Sancta Sanctorum.
Soleae Christi.
Caro Christi.
Velum beatae Virginis.
Crux Christi.
Domina omnium Ecclesiarum Vaticanum.
Corpus beati Petri.
Opera Constantini.
Corpus beati Pauli.
Capita Apostolorum.
Arca Veteris Testamenti.

Duae tabulae Teftamenti. Manna Virgo Aaronis. Tunica inconfutilis. Veftes Joannis Baptiftae. Menfa fuper quam Chriftus coenavit.

falem, in qua claufae funt duae tabulae, quas digito fuo Deus fcripfit in monte Sinai, continentes x. praecepta: item Manna, quod Deus pluit de coelo & Virgam Aaronis, quae fronduit floruit, & fructum protulit: item aliqua fragmenta de quinque Panibus hordeaceis, quos Chriftus multiplicavit: item Tunica inconfutilis, & pars Arundinis, quo ipfe Chriftus eft lanceatus, ibidem fervantur etiam Veftes Sancti Johannis Baptiftae, & multa alia: fupra Arcam vero illam Veteris Teftamenti in fummo altari pofuit menfam, fupra quam Chriftus cum fuis Difcipulis coenavit, ibi nullus miffam celebrat nifi Papa, Epifcopus, aut Cardinalis a Papa fpecialiter miffus vel juffus. Singulis autem annis in Caena Domini removetur menfa, & in concavo Arcae Papa confecrat corpus Chrifti, oleum & chrifma; fed Sabbatho Sancto iterum reconfecrat menfam, quia Sanctus Petrus dicitur in ea celebraffe.

Bafilica Sancti Laurentii. Decimae. Conftantinus obiit. Omnes Imperatores fecuti Chriftiani fuerunt.

Fecit etiam Bafilicam Sancti Laurentii, quam fupra modum ornavit: praecepit deinde, ut omnibus Ecclefiis folverentur decimae de univerfis rebus: tunc vox in aëre audita eft, fic dicens: *Hodie venenum infufum eft Ecclefiae*. Dum autem Conftantinus Imperator bellum contra Perfas pararet, cometa apparuit, & ipfe annorum LXVI. obiit. In Nicomedia XI. Kalendis Junii fepultus Bizantio, id eft, Conftantinopoli. Poft hunc omnes Imperatores Chriftiani fuerunt, licet aliqui eorum a fide deviaverunt, ficut illius filius Conftantinus, & fucceffor ejus peffimus Julianus.

341\. Eufebius. Conftantinus occiditur. Paulus primus Eremita. Conftans occiditur. Antonius Monachus obiit. Alemanni innumeri occifi. Offa Sancti Andreae, Lucae, Timothei, Pauli tranflata. Athanafius claret Pannutius, Eufebius, Nicolaus, Hilarius, Victorinus Donatus. Ifidorus.

CONSTANTINUS cum fratribus fuis CONSTANTINO, & CONSTANTE, anno Domini CCCXLI. regnavit annis XXIII. menfes V. Hic Ariana haerefi maculatus, ab Eufebio Nicomedienfi Epifcopo rebaptizatus eft. Huic anno III. Imperii fui Conftantinus bellum inferens apud Aquileiam ab eo occifus eft. Anno IV. terrae motus multas urbes obruit. Paulus primus Eremita obiit annorum CXVI. Anno eodem Eclipfis folis, & iterum terrae motus factus eft. Anno ejus XIII. Conftans frater in Hifpania occiditur: anno XVIII. Conftantius Julianum fecit Caefarem. Eodem anno ANTONIUS MONACHUS fanctiffimus obiit annos natus CV. Item magnae Alemannorum copiae bello deletae funt apud Argentinum, quia, quafi innumeris occifis, barbari etiam divitias eorum rapuerunt. Anno XX. offa beati Andreae Apoftoli, Lucae Euangeliftae, & Timothaei Difcipuli Sancti Pauli Apoftoli, tranflata funt Conftantinopolim. Vicefimo tertio anno Conftantius contra Julianum arma fumens Parthico bello dimiffo, obiit annorum XLVI. Eo tempore floruit Athanafius, Pannutius, Eufebius Caefarienfis, Sanctus Nicolaus, Hilarius Pictavienfis, Victorinus Rhetor, Donatus Grammaticus, Ifidorus Paftor & Eremita, fanctiffimi, de quibus loquitur liber, qui dicitur VITAE PATRUM, quem beatus HIERONYMUS compilavit.

364\. Julianus Monachus.

JULIANUS Apoftata anno Domini CCCLXIV. regnavit annis duobus & dimidium. Hic timore mortis primo Monachus factus, a quodam divite foemina duas ollas auro plenas, cinere fuper afperfas, adfer-

servandum accepit, sed evacuavit, & diabolo imperium sibi promittente, cum auro apostatavit: Itaque ad imperium sublimatus Christianos graviter afflixit. Illius Ducem Gallicanum Joannes & Paulus ad fidem converterunt, quos Therentianus Campi-ductor occidit ex praecepto Juliani: Ipse (scil. Campi-Ductor) tamen post modo poenitentia ductus Sanctissimus Christianus est effectus, passionem & vitam describens martyrum praedictorum. Pessimus autem Julianus Priscianum Grammaticum à fide Christi pervertens, sed sanctum Donatum Grammaticum seducere non valens, patrem & matrem ipsius occidit. Iste Sanctus Donatus libellum composuit, qui in scholis pueris legitur, ac ipsi legunt: vivus & mortuus multis miraculis claruit: pro fide Jesu Christi VII. Idus Augusti martyrio coronatus. Julianus post necem plurimorum ad Parthicum bellum proficiscens, Sancto Basilio Caesariensi Episcopo, suaeque civitati literas minatorias destinavit. Sanctus igitur Episcopus perterritus, oratione fusa ad Deum & ad Benedictam virginem Mariam, vidit, quod beata Dei Genitrix Mercurium militem nuper pro fide Christi passum & in Ecclesia Sancti Basilii tumulatum a morte suscitaret, qui lanceam suam, quae ibi pro reliquiis servabatur, arripiens, & Julianum, cunctis videntibus, aggrediens perforaret. Hic annorum XXX. sic moriens blasphemavit, & sanguinem suum in aëra spargens clamavit; *Vicisti Galilaee, vicisti*. Rex autem Persarum cadaver illius excoriari praecepit, atque de pelle equo suo substratorium fieri fecit.

Julianus sur & Apostata. Joannes & Paulus Martyres. Therentianus. Priscianus. Donatus Grammaticus & Martyr. Sanctus Basilius. Visio. Mercurius Martyr. Juliani miraculosus interitus.

JOVINIANUS vel Jobianus anno Domini CCCLXVI. regnavit menses VIII. corpore decorus, ingenio clarus, in literatura & libris studiosus, qui dum violenter ad imperium sublimaretur, exclamavit, Se nolle paganis hominibus imperare, cum ipse esset Christianus: sicque totum exercitum, quem Julianus perverterat, ipse rursus convertit ad fidem. Quum autem tempore hiemali in novo cubiculo dormiret, nitore parietum noviter calce illitorum, & calore prunarum, mane mortuus est inventus. Eodem anno, liber approbatus dicit, obiisse Sanctum Nicolaum: Alii tamen sub Papa Sylvestro tempore Constantini dicunt.

366. Christianus. Joviniani laus. Joviniani mors. Sancti Nicolai obitus.

VALENTINIANUS PRIMUS anno Domini CCCLXVII. regnavit XI. annis. Hic sub Juliano tribunus militum fuit, quem dum Pontifex Idolorum sanguine aspergeret, dedignatus nimium, quia Christianus erat, Pontificem pugno percussit, quare à Juliano a Tribunatus dignitate remotus fuit, a Christo tamen pro hoc meruit ad imperium sublimari: hic igitur anno primo commisit fratri suo Valenti imperium Occidentis, quem Eudoxius Arianorum Episcopus seduxit & pervertit. Anno secundo terrae motus per totum mundum factus est magnus: anno tertio vera lana, pluvia mixta, pluit de coelo. Anno IV. Sanctus Hylarius Pictaviensis Episcopus, qui Sanctum Martinum baptizavit, & in fide plenus instruxit; obiit octavo Epiphaniae. Hic non vocatus ad Concilium Leonis Papae, qui tamen a multis Li-

367. Valentinianus Christianus Imp. Valens frater. Valentiniani. Terrae motus. Sanctus Hylarius obiit. Sanctus Martinus.

berius fuisse dicitur, venit. Omnibus Episcopis Papa inhibuit, ne quisquam Hylario assurgeret: qui sedens super terram dixit: *Domini est terra & plenitudo ejus*, & continuo colliculus de terra est elevatus, in quo Christi sectator omnibus altior sedit: cui Papa iratus dixit; Numquid ignoras, quia sum Leo Papa in sede Sancti Petri? Sanctus Hylarius respondit: Es quidem Leo, sed *non de tribu Juda*, sedem Petri male occupans, cujus fidem negas: statimque Papam dysenteria invasit, & ad secessum vadens, Hylario ait: Quum rediero Leo tibi ero. Hylarius vero respondit ei: Si non redieris, quis mihi respondebit pro te? sed Papa intestinis omnibus ejectis super latrina obiit, & Sanctus Hylarius Episcopos ibi congregatos in fide confortavit. Anno VI. Valentinianus Apoplexiam passus obiit: Sanctus Germanus, primo dux Burgundiae, juvenis lascivus, uxore sua velata factus est Episcopus Antisidiorensis, ubi per annos XXX. angelicam vitam duxit, omni die usque ad vesperam jejunans in pane hordeaceo, & frigida aqua, nunquam album panem gustavit, nec legumina: bis in anno vinum bibit: in cinere & cilitio sine pluma dormivit; calceos raro deposuit, vestes nunquam exuens. Expulsus a Rege Britanniae, cum ad praedicandum fidem Christi illuc venisset, ad quendam pastorem divertit, cui vitulum, collectis ossibus in pellem suam, resuscitavit, & Regem regno suo privans, pastorem qui eum hospitio acceperat, Regem illius loco constituit. Asinum suum mortuum resuscitavit per Alleluja: hostes fugavit, diem obitus sui praedixit, & obiit in die Sancti Remigii anno Domini CCCLXV. haec omnia require in *passionali*: sed adhuc plura invenies in *Dacbario* veteri, qualiter scilicet ventis imperavit, & mare placavit; mulierem coecam illuminavit, incendium compescuit, sanitatem sibi recuperavit, Saxones fugavit, haeresin extinxit, honoratus ab Imperatore Valentiniano & matre ejus Placidia, contempsit honores. Obiit Kalendis Octobris Ravennae, ut praedixerat in Antisiodorum reductus, multis miraculis coruscavit.

Miraculum veritatis Ev. testis. Contentio Leonis Papae & Sancti Hylarii. Papae Leonis crudelis exitus. Valentinianus obiit. Sanctus Germanus. Dura Germani vita. Miraculum cui credibile. Miracula plus quam mira scil. Sanctus Germanus obiit.

VALENS cum filiis fratris sui Gratiano & Valentiniano regnavit annis v. anno Domini CCCLXXVII. Hic consentiens Arianis, & Christianos persequens, occidit Theodosium, qui postea ad imperium est sublimatus, aliosque Nobiles multos, deditque legem, ut Monachi etiam militarent, & obedire nolentes fustibus interficerentur. Tunc floruerunt viri sanctissimi, de quibus multa leguntur in historia Ecclesiastica; videlicet Sanctus Basilius Caesariensis, Gregorius Nazianzenus, hi dico fuerunt simul Athenis eruditi. Bonosius, Rufinus, Ambrosius Mediolanensis, Theophilus & Eunomus Haeresiarcha, Theodolus miserabilis Presbyter, Maximinus Episcopus, Ephrem, Arsenius, Pacuinus, Apollinaris Antiochenus, & Hieronymus suus discipulus, Martinus Thuronensis Episcopus, Athanasius Alexandrinus, qui composuit: *Quicunque vult Salvus esse*. Jacuit Treveri absconditus in profundo puteo Barlaam, & Josaphat, de quibus Damascenus egregium librum

Valens Christianos persequitur. Monachos militare vult. Basilius, Gregorius Nazanzenus. Hieronymus, Martinus, Athanasius. Barlaam, Josaphat.

brum scripsit: Didimus Alexandrinus Philosophus coecus. Eo etiam tempore Hunni, id est, Hungari Gothos expulerunt, qui in Tracia diffusi, & fame affecti omnia vallaverant, exercitum Valentis suppresserunt, & ipse Imperator sauciatus in domo quadam vivus crematur.

Didimus.

Valens crematur.

GRATIANUS cum fratre suo Valentiniano anni Domini CCCLXXXII. post mortem patrui sui Valentis regnavit VI. annis. Hic Theodosio Regnum Orientis commisit, & filium ejus Arcadium etiam Caesarem nominavit. Italiam ab haeresi Ariana, quantum potuit purgavit, & ideo inaestimabilem multitudinem Arianorum apud Argentinum bello vicit, & Christo favente xxx. Alemannorum Ariana perfidia maculatorum peremit. Anno Domini CCCLXXXIV. Synodus Constantinopoli CL. Episcoporum sub Damaso Papa congregata est contra Macedonium, qui dixit, Sanctum Spiritum non esse Deum dist. xv. unde Sancta Synodus Nicena in Symbolo opposuit; *Qui ex Patre Filioque procedit, Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur.*

381.

Gratiani virtus.
Alemanni multi caesi.
Concilium Constantinopolitanum.
Haeresis Macedoniana.

MAXIMUS SECUNDUS sibi regnum usurpans Gratianum insidiose occidit Lugduno, & Valentinianum, fratrem Gratiani, de Italia expulit, & ipse nequam paucis diebus supervixit.

Gratianus occiditur.
Valentinianus fit exul.

THEODOSIUS PRIMUS anno Domini CCCLXXXVIII. regnavit annis XI. Hic plenus virtutibus, plus orationibus quam multitudine armatorum confidens, hostes multos, Gentiles, Judaeos, & Haereticos ad fidem convertit. Exulem Valentinianum, quem Maximus expulerat, revocans Regni consortem fecit omnibus beneficiis. Omnibus quasi servus fuit, unde ab omnibus amabatur. Distare se a caeteris solummodo & nomine & habitu regali dixit. Duobus fratribus, viris sanctis, scilicet Juliano & Julio, auctoritatem dedit Ecclesias aedificandi, praecipiens omnibus sub poena capitis, ut eos juvarent. Sed quidam rustici, ut laborem subterfugerent, virum vivum in curru quasi funus duxerunt, & sic pertranseuntes eundem mortuum in curru invenerunt. Apud Thessalonicam populus lapidavit Judices Caesaris Theodosii, ob quod Theodosius nimis iratus fere septem millia hominum necari praecepit, non discernens à nocentibus innocentes. Propter quod scelus a Sancto Ambrosio excommunicatus per VIII. menses humillime excommunicationem sustinuit, & publicam poenitentiam egit. Legem quoque statuit, ut Judex XXX. diebus deliberaret, antequam sententiam sanguinis fulminet XI. quaest. III. cùm autem Thessalonicam VII. anno Valentinianus venisset, dolo Arbogasti suspendio periit. Anno Theodosii X. HIERONYMUS libro *Virorum illustrium* finem dedit. Undecimo anno Theodosius Eugenium Tyrannum superavit, & ipse apud Mediolanum in pace quievit. Ambrosius Augustinum Scholasticum de haeresi convertit, & dixit *Te Deum laudamus:* respondit Augustinus: *Te Deum confitemur*, & sic ipsi duo canticum hoc per totum usque ad finem alternatim complentes, composuerunt. Eo tempore in castello Emaus natus est puer, duo capita habens, divisus usque ad um-

388.

Theodosii speciosa laus.

Ejus humilitas.

Julianus & Julius.

Sanctus Ambrosius excommunicavit Theodosium.

Valentinianus strangulatus.
Liber Hieronymi.
Augustinus ab Ambrosio convertitur.

Monstrum hominis.

umbilicum, sed inferius perfectus, & quando unus dormivit alter vigilavit, quando unus comedit, alter non comedit, quandoque invicem se percutiebant, uno mortuo adhuc alter quatuor diebus supervixit. Invenies infra aliquando similia procreata. Claruerunt tunc Claudianus, Prudentius & Joannes Anachoreta, Orosius, Sanctus Servatius, Severus, Brutius, Donatus Epyri Episcopus.

DE PONTIFICIBUS SEQUITUR.

Credo cantari in missa.

MARCUS Papa xxxv. anno Domini cccxxxviii. sedit annos duos menses viii. Hic constituit *Credo in unum Deum*, alta voce cantari in missa.

340. Concilium Nicaenum. Jus Clericis promissum.

JULIUS PRIMUS Papa xxxvi. anno Domini cccxl. sedit annis xv. mensibus ii. Hic Nicaenam Synodum adhuc vivente Constantino celebravit; Item conjugium benedici a sacerdote constituit; Item ut cautiones, instrumenta, donationes, commutationes, traditiones, testamenta, legationes, manumissiones & similia a Clericis in Ecclesia celebrarentur.

364.

LIBERIUS Papa xxxvii. anno Domini ccclxiv. sedit annos xvi. menses vii. Hic in principio nolens Arianis consentire, ejectus est a sede, & cum Episcopis Clericis & aliis viris Catholicis est expulsus in exilium.

370. PersecutioChristianorum.

FELIX SECUNDUS Papa xxxviii. anno Domini ccclxx. sedit annum unum menses tres, adhuc vivente Liberio: hic capite truncatus est, quia Constantinum, filium Constantini Magni arguisset de haeresi Ariana: Unde Liberius, Arianis subscribens, & consentiens, quasi victor intravit, & facta est persecutio magna in Christianos ab Arianis. Beatus autem Eusebius in Sancta calliditate Liberium Papam & xxx Episcopos ab haeresi revocavit, ideoque plurimas sustinuit passiones; require in passionali & in *Dacbario* 4. Kalendis Augusti.

372. Officium Ecclesiae ordinatum. Gloria in fine Psalmorum.

DAMASUS Papa xxxix. anno Domini ccclxxii. sedit annos xviii. menses ii. dies xi. genere Hispanus fuit: Illo praecipiente Sanctus Hieronymus, Presbyter Cardinalis, Epistolas & Euangelia per circulum anni, & de Sanctis, sicut est hodie, ordinavit, & officio ad horas Canonicas alternatim adjungens preces, & gloria patris in fine Psalmorum, quae ante non cantabatur. Hic Papa falso de fornicatione inculpatus, expurgavit se coram xliv. Episcopis: hic plenus virtutibus in pace obiit lxxx annorum sub Theodosio Augusto.

390. Sacerdos publicam poenitentiam non agat.

SYRICIUS, aliqui dicunt Orficius, Papa xl., anno Domini cccxc. sedit annos xv. Ab illo Theophilus Paschales ciclos inchoavit. Hic constituit ne Presbyter solennem poenitentiam agat, sicut Laicus.

ANA-

ANASTASIUS Papa XLI. anno Domini CCCCIV. sedit annos tres. Hic constituit Clericos absque licentia sui Episcopi non debere promoveri ad ordines: item, ut mutilatus repellatur a susceptione ordinum; Item quod non sedeatur, dum Euangelium legitur. 404. Mutilatus non ordinetur.

INNOCENTIUS Papa XLII. sedit annos XV. menses II. Hic obiit in festo Sancti Gregorii, vel secundum quosdam V. Kalendis Augusti, quia tunc ejus solennitas celebratur: hic constituit *pacis osculum* dari loco communionis, & ante agnus Dei dici; *Pax Domini sit semper vobiscum.* Item, Sabbato jejunari exemplo Apostolorum. Item, excommunicavit Arcadium Imperatorem, quia uxor ejus Eudoxia, ipso consentiente, Joannem Chrisostomum depulerat in exilium: require infra; Damnavit item Pelagium haereticum de Britannia, quia dixit, hominem salvari propriis meritis, absque gratia Dei, & pueros nasci absque peccato originali. Item, Ecclesiam Sanctae Agnetis commisit gubernandam cuidam Presbytero devoto & simplici, sed de annulo qui adhuc ibi videtur, nolo scribere, quia diversa leguntur. Hic Papa statuit, oleo ad usus infirmorum ab Episcopo consecrato uti, non tantum Presbyteris, sed etiam omnibus aliis Christianis, etiam tempore interdicti: sed Innocentius Tertius hoc fieri tempore interdicti prohibuit. Eo tempore floruit Sanctus Alexius. 408. Pacis osculum loco communionis. Jejunium Sabbati. Johannes Chrysostomus. Pelagius haereticus. Extrema unctio. Sanctus Alexius.

ZOZIMUS Papa XLIII. anno Domini CCCCXXII. sedit annos tres. Hic constituit cereum Paschalem benedici. Quidam putant diabolum composuisse canticum cum prosa illa. *Exultet vox* &c. propter verba quaedam in ea posita: sed non est verum, quia Sanctus GREGORIUS traditur composuisse; moventur autem illi, quia dicitur ibi: O verum necessarium peccatum. Item constituit ut subdiaconus manipulum habeat in sinistra: item ut quilibet Christianus in missa sacrificet: item, ut nullus ad Euangelium sedeat. Item ut nullus Clericus tabernam frequentet, aut publice potum vendat ut caupo. Cereus Paschalis. Canticum: *Exultet vox.* Sacrificare in missa.

BONIFACIUS PRIMUS Papa XLIV. sedit annos duos, menses VII. Hic constituit ne qua mulier, neque Sanctae Moniales sacram attrectarent pallam, (seu parvum corporale) thurave conjungerent: ne servus nexus obaeratusve in Clerum reciperetur. Oratorium condidit ac Felicitatis aedem, ubi sepultus est. Ne servus ordinetur.

COELESTINUS PRIMUS Papa XLV. anno Domini CCCCXXVIII. sedit annis VIII. menses X. Hic constituit Psalmum cantari ad introitum Missae, & missas incipi ab introitu, quia prius omnes a Kurie Eleison incipiebantur, sicut adhuc fit in vigilia Paschae & Pentecostes. Item Psalmum: *Judica me Deus, & discerne causam meam*, constituit dici ante confessionem, & ante introitum in memoriam Mortis Christi, & lachrymarum Sancti Petri ac poenitentiae Latronis. Iste Coelestinus misit in Hyberniam PATRICIUM, filium Sororis Sancti Martini, qui totam Hyberniam ad fidem convertit & purgatorium quoddam sub terra invenit, de quo require in passionali. 428. Missas incipi ab introitu. Psalmus *Judica me Deus.* Dominica *Judica.* Hybernia conversa. Purgatorium S. Patricii.

DE IMPERATORIBUS.

399. ARCADIUS Imperator, & HONORIUS frater suus, filii Theodosii boni & devoti, anno Domini CCCLXXXXIX. regnaverunt simul annis XII. Anno primo imperii eorum obiit Joannes Eremita, anno secundo obiit Sanctus Martinus annorum LXXXI.; Item Eudoxia uxor Arcadii statuam suae formae erexit, & ibi puellas ludere compulit, quam Sanctus Joannes Chrysostomus ob hoc dure reprehendit, asserens illud idolatriae speciem esse. Eudoxia vero vehementer irata Joannem propter hoc in exilium detrusit, ubi, quandocunque plures libros Christianae fidei utiles manu propria scriberet, Diabolus sibi incaustum omne subvertit, & Vir Dei Johannes pennam ori suo intingens, aureas literas scripsit cum saliva oris sui, unde ex hoc cognomen de caetero habuit scilicet, *Os aureum*. Multa quoque prorsus miranda ab ipso & de ipso narrantur acta, quorum plura invenies in passionali; tandem Joannes in exilio obiit, sepultus Romae. Item Sancta Paula, nobilis Romana, quae ab amorem Dei domum patriam divitiasque multas relinquens ad praecepe Domini in Bethleem proficiscens, se sub disciplina magna Sancti Hieronymi, in paupertate magna subjiciens obiit, cujus vitam sanctissimam Sanctus HIERONYMUS diligenti stylo conscripsit, ut patet in Vitis Patrum. Anno quinto Albericus & Radoegais, Gothorum Reges, cum Gothis ex Aphrica venientes Italiam sunt ingressi. Anno septimo corpora Prophetarum Micheae & Abacuc a Deo revelata sunt, & honorifice sublevata, quae per annos mille & CCC. fuerant occulta. Sanctus Alexius annis XVII. coram sponsa sua incognitus jacens, in paterna domo obiit Kalendis Augusti I. quem Papa Innocentius Primus, & Imperatores Arcadius & Honorius, cum populo universo, coelesti voce admoniti, a domo patris sui usque ad Ecclesiam Sancti Bonifacii pecuniam spargentes, cum laudibus divinis portaverunt. Anno XII. obiit Arcadius Imperator Orientis, sepultus Constantinopoli.

Joannes Eremita. Martinus. Eudoxia. Joannes Chrysostomus. Sancta Paula. Italia a Gothis invasa. Arcadius moritur.

411. HONORIUS frater Arcadii, cum Theodosio Arcadii filio, anno Domini CCCCII. regnavit annos XV.: hujus imperii anno primo Vandali Hispaniam occupant. Anno secundo Arcadius Romae Imperator factus, moxque privatus Imperio, Gothis adhaesit contra Romanos. Anno IV. Alaricus, Rex Gothorum Christianus, Romam coepit, & igne & ferro totam vastavit anno ab ejus conditione MCLXIV.: praecepit autem, ut omnes ad Ecclesias Petri & Pauli Apostolorum fugientes pacem haberent. Inde per Apuliam & Calabriam properans ad Aphricam obiit apud Crescentium. Gothi Basconem fluvium maximum dividentes, Regem suum in medio alvei cum multis opibus sepelierunt, &

Vandali in Hispaniam veniunt. Roma devastata a Gothis. Mira Regis sepultura.

& aquam in meatum suum reduxerunt, Agrialsum autem Regem, illius affinem, pro Rege constituentes, Romam redierunt, & quicquid remanserat, & ante reaedificatum fuerat vastaverunt. Clarissima etiam urbis loca quae comburi non poterant, fulminibus protrita corruerunt. Romani igitur fidem & Christum blasphemantes haec ideo se pati clamabant, quia cultum deorum suorum & templa seducti reliquissent; contra quos OROSIUS Sancti Augustini Discipulus, librum suum scripsit, probans eos tempore gentilitatis talia & similia, & etiam graviora, aliquoties pertulisse. Anno imperii Honorii VII. corpora Sanctorum Stephani Prothomartyris, Nicodemi, Gamalielis, & Abibon invenit revelatione divina Sanctus Presbyter Lucianus, intra festum Nativitatis Domini, licet festum inventionis eorundem celebretur III. nonas Augusti. Anno X. Honorius apud Ravennam consortem regni fecit Constantium, qui contrivit naves MDCC., cum quibus Carthaginenses Romam invasissent. Eodem anno facta est Ecclipsis Solis: anno XI. obiit Sanctus Hieronymus, virgo purus, in Bethleem, annos natus XCIX. qualiter Leo multis annis ipsi servierit, & asinum custodierit, require in *passionali.* anno XIII. Constantius obiit Ravennae.

Roma secundo & totum devastatur.

Christianorum murmuratio.

Orosius.

Corpora Sanctorum Stephani, Nicodemi, Gamalielis & Abibon inventa.

Constantius.

Ecclipsis solis. Sanctus Hieronymus obiit.

THEODOSIUS MINOR, filius Arcadii, anno Domini CCCCXXVI. regnavit annis XXVI., vir multae sapientiae, patientiae & clementiae, in his universos praecellens: interrogatus quandoque, quare se non vindicaret & rebelles non occideret, respondit: Utinam esset possibile ut etiam mortuos ad vitam revocarem. Hoc etiam de Honorio, patruo suo, legitur. Anno primo Imperii Theodosius Valentinianum, filium Placidiae amitae suae, Caesarem fecit, & ei matrique suae Imperium Occidentis destinavit. Anno ejus VIII. Sanctus Augustinus obiit, annorum LXXVI., Episcopatus sui anno XL. Anno IX. Imperii Theodosii Synodus III. universalis in Epheso est congregata contra Nestorium Episcopum Constantinopolitanum, qui duas Personas dixit in Christo, & Mariam tantum esse hominis matrem. Anno XIV. Valentinianus Eudoxiam, filiam Theodosii consobrini sui, duxit in uxorem, de qua legitur in passionali: quod ad Papam Pelagium tulerit catenam beati Petri Apostoli de Hierusalem. Sed in Chronicis hoc legitur de Eudoxia, relicta Arcadii Senioris, quod potius credo, quare hoc tempore nullum Pelagium Papam invenio. Anno XVI. Hunni cum Romanis contra Gothos pugnaverunt. Anno XVIII. inefficax bellum Theodosius movit contra Gothos. Anno XIX. Sanctus Brictius, virgo, licet turpiter de fornicatione infamatus, Thuronensis Archiepiscopus obiit. Anno XXVI. Theodosius Imperator Orientis obiit. Floruerunt his temporibus Sancti Episcopi in Gallia Germanus Antisiodorensis, Lupus Trecassinensis, Eucherius Lugdunensis, Hylarius Arelatensis; Albanus Moguntiae martyrizatur, & septem fratres sub Decio sub monte occultati, divinitus a somno resurgunt.

426. Theodosii virtutes.

Valentinianus fit Caesar.

Sanctus Augustinus obiit.

Concilium Ephesinum.

Eudoxia Theodosii filia.

Eudoxia Arcadii uxor.

Hunni & Romani contra Gothos.

Brictius Episcopus obiit.

MARTIANUS cum supra dicto Valentiano Anno Domini CCCCLII. regnavit annis VII. Eo tempore in urbe Lasacensi Episcopus intra

452. Miraculum fcil.

Missam

Missam, dum celebraret, vidit tres guttas clarissimas, aequalis magnitudinis super altare cadere, quae in unam gemmam nobilem convertebantur; hac inter multas alias gemmas in sanctam crucem locata omnes aliae gemmae protinus ceciderunt. Videbatur autem gemma illa vitiosis hominibus obscura, probis clarissima: multis etiam infirmis optatam contulit sanitatem. Tothila Rex Hunnorum, sive Athila Rex Vandalorum, Belam Germanum suum, regnique consortem peremit, & ad delendum Romanum Imperium se convertit. Igitur Etius Patritius, Romanorum Capitanius, congregavit Burgundiones, Saxones, Francos & pene omnes fortissimos Occidentis, cum quibus Athilam in Alemania superavit, & caesa sunt utrobique CLXXX. millia, tantusque sanguis est effusus, ut torrens sanguinis cadavera traheret. Athila vero victus majorem exercitum congregavit; Aquilejam destruxit, Veronam, Vicentiam, Brixiam, Bergomum, Mediolanum, Ticinum, Parisios, & postea in Germaniam veniens, Coloniam, & pene omnes civitates super Rhenum sitas delevit ex toto, & Galliam pene totam vastavit. Huic Leo Papa intra Padum occurrens, pacem totius impetravit Italiae. Viderat enim Rex Athila virum quendam in somnis valde terribilem, qui minaretur sibi, nisi Papam in omnibus exaudiret, statimque in Pannoniam reversus, obiit Anno III. Imperii Martiani, qui dormiens Constantinopoli vidit, arcum Athilae esse fractum. Eo tempore Sanctus Paulinus Episcopus Nolanus se pro filio viduae tradidit. de quo, si vis, require in principio tertii libri *Dialogorum*. Tunc sub Athila putantur passae XI. millia virginum in Colonia; Anno V. Valentinianus Etium Patritium occidit, unde & ipse ab Etii amicis postea occisus est. Anno VII. Martianus Imperator Orientis obiit, & Gensericus Gothorum Rex Romam cunctis opibus spoliavit.

Tothila sive Athila. *Etius Patritius.* *Maxima hominum caedes.* *Multae urbes destructae.* *Leo Papa Attilae occurrit.* *Athila obiit.* *Sanctus Paulinus.* *Undecim millia virginum.* *Roma cunctis opibus spoliata.*

459. LEO primus, dictus Bestia cum filio Leone, anno Domini CCCCLIX. regnavit annis XVII. in partibus Orientis. Hic omnes imagines de Roma Constantinopolim transtulit & cremavit. Anno Imperii sui primo Marcomannus, vel Numerianus, Imperator Occidentis, adversus Aphricam exercitum movit. Anno II. Antonius mittitur a Leone adversus Aphricam. Anno XVI. Olibrius Imperator VII. mensibus in Occidente imperavit, & obiit. Eo tempore Aroturus Rex Brytanniae, sua probitate Flandriam, Franciam, Norwegiam, Daciam, Suetiam caeterasque Maritimas Nationes sibi servire coegit; Deinde sua vulnera curaturus quandam Insulam adiit, nec unquam postea compertum fuit, quo devenit. Attamen post annos plurimos adhuc vivere putabatur. Anno XVII. Leo Bestia obiit, & ei filius suus Leo in Imperio successit.

Imagines Sanctorum combustae. *Numerianus.* *Antonius.* *Olibrius Imperator.* *Aroturus Rex Brytanniae.*

457. LEO JUNIOR anno Domini CCCCLXXV. Imperium adeptus, timore Zenonis Clericatum assumsit, & usque ad Justini Caesaris tempora vixit. Sanctus Mamertus Episcopus Viennensis, propter cladem & insaniam bestiarum, triduo ante Ascensionem Domini, instituit Litanias, quas Simplicius Papa approbavit, & per totam Ecclesiam obser-

Mamertus Episcopus ante Ascensionem Domini instituit Litanias.

servari praecepit. Merlinus Vates egregius, ex filia Regis Brytanniae, virgine sanctimoniali, operatione Daemonis in cubili procreatus, vaticinari coepit in Brabantia, & usque ad finem mundi contexuit Prophetiam, daemonibus sibi & vitae suae frustra insidiantibus: de quo venerabilis BEDA multa miranda scripsit. De quatuor principalibus Conciliis, Niceno contra Arium, Constantinopolitano contra Macedonium, Ephesino contra Nestorium, & Chalcedonensi contra Eutichem, require plenius in *decreto distinctione* XV. *Sunt Sancti.* Item tunc pullulare incoepit Haeresis nova, videlicet Acephalorum, quam Chalcedonense Concilium impugnavit; & Dioscorus AEgyptum & Alexandriam Graeciae suo errore maculavit: de his & multis haeresibus aliis require in ISIDORI Etymologiis.

Merlinus vates.

Quatuor principalia Concilia.

Haeresis nova.

Dioscorus Haereticus.

ZENON Imperator anno Domini CCCCLXXVI. in Oriente XVII. annis regnavit. Odoacer autem Rex Rugorum & Thurcilineorum cum barbaris Romam veniens violenter eam obtinuit. Augustulum Imperatorem exilio damnavit, cujus patrem Orastem & patruum ejus Paulum occidit, sicque per annos XIV. in Occidente quiete regnavit. Theodoricus de Verona annorum XVIII. a patre suo Dietmaro Rege Ostrogothorum pro obside missus est Zenoni Imperatori Orientis, quem Zenon strenuum in armis considerans, Magistrum militum constituit, atque statim cum maximo Gothorum exercitu contra Odoacerem in Italiam misit, qui per Bulgariam & Pannoniam cum labore multo veniens, apud Aquilejam se locavit, ubi Odoacerem cum totius Italiae viribus sibi occurrentem potenter contrivit. Sed Odoacer fugiens, dum Romam intrare prohiberetur, Ravennam se recepit, quem Theodoricus post triennem obsidionem peremit, & deinde Romam veniens cum gaudio & magna solennitate est receptus. Sicque per annos XX. Regnum Occidentis tenens, filiam regis Francorum duxit in uxorem baptizatusque est: sed ab Arianis seductus, eorum perfidiam potenter defendit, Christianos crudeliter persequens usque ad quintum Justini Imperatoris annum, perdurans. Multa miranda aedificia Romae construxit, aquam ad Ravennam perduxit. Victis Francis Gallias acquisivit, filiam suam Almasiundam Evicario potentissimo Principi in uxorem dedit: Johannem Papam Sanctissimum, quem cum misisset in Legatione ad Justinum Imperatorem Orthodoxorum, dolose capiens, carceris afflictione peremit. Symachum patritium & Boetium, Philosophos, viros Christianissimos occidit, & post Hebdomades XIII. anno Domini CCCCLXXVIII. apud Ravennam subito mortuus, nusquam magis comparuit. Eum Papa Joannes & Symmachus in ollam Vulcani projecerunt, sicut fuit cuidam Sancto viro oranti a Domino revelatum. Multa de illo Theodorico narratur, quae a jaculatoribus conficta sunt. Eo tempore Albuvinus Longobardorum Rex juxta quendam lacum cum grandi exercitu transiens VII. pueros invenit, quos uno partu meretrix peperisset, abjecissetque. Admirans igitur Rex quod esset, cum lancea sua revolvit pueros in lacu fluctuantes, quam per unum

476.

Odoacer Romam capit.

Theodoricus Veronensis obser.

Odoaces victus.

Theodoricus baptizatus.

Theodorici opera.

Almasiunda filia Theodorici.

Joannes Papa.

Symachus. Boetius.

478.

Theodoricus de Verona amissus.

Albuvinus Rex.

Septem pueri uno partu editi.

ex illis apprehendens fortiter tenuit. Hunc ergo puerum diligenter educari praecepit, qui processu temporis dux factus probitatis suae indicia multa dedit. Eo etiam tempore ossa Haelisaei translata sunt Alexandriam, & Sanctus Marcus Venetias. Quamvis eum Monachi in Reichnaw, quae dicitur Augea major Constantiensis diocaesis, habere in Ecclesia sua asseverant. Claruit etiam tunc temporis Sanctus Prosper Aquitanicus, Leonis Papae Notarius, & postea Episcopus: Item Sanctus Remigius, Remensis Archiepiscopus, Clodovejum Regem Franciae, filium Faramundi baptizavit, anno Domini CCCCLXXXIII., cumque ipsum Chrismate inungere deberet, & oleum deesset, veniens de alto candida columba ampullam cum Sancto oleo attulit, de qua ampulla adhuc Francorum Reges inunguntur. Tunc quoque claruit Sanctus Leodigarius, Sanctus Arnolphus, Sancta Genoveva virgo LXXX. annorum, Sanctus Sygismundus Burgundiae Rex, qui in Auguno monastèrium Sancti Mauricii construxit, & dotavit multis divitiis pro poenitentia, quia proprium filium suum, noverca suadente, interemisset, qui vocabatur Liberius.

Ossa Haelisaei. Sanctus Marcus Venetias translatus. Prosper. Remigius. Clodovejus. 483. Miraculum. Leodigarius. Arnolphus. Genoveva. Sygismundus.

DE PONTIFICIBUS.

SIXTUS III. Papa XLVI. qui alio nomine Liberius vocabatur, anno Domini CCCCXXXVI. sedit annis VIII. diebus IX. Hic constituit ut Clericus in alterius Parochia non audeat judicare. Bassum criminatorem suum subito & divina ultione mortuum, cum fletu & oratione resuscitavit, & ad poenitentiam veram perduxit. Item fecit in urbe Basilicam beatae Virginis ad praesepe, ad visionem ipsius beatissimae Virginis, quae sibi & Joanni patritio apparens Ecclesiam eandem sibi in monte Exquilino praecepit aedificari. Quinto die Augusti in loco Ecclesiae construendae contra naturam signum magnae nivis ostendens, quae nix tantum locum illum, ubi Ecclesia constituenda erat, quantum ad longitudinem & latitudinem implevit. Hoc festum Nivis adhuc Romae solenniter in honorem beatae Virginis quinta die mensis Augusti colitur & veneratur. In Basilicam illam multas & venerandas reliquias Papa recondit.

436. Bassus. Miraculum. Festum beatae Virginis ad Nives. Miraculum.

LEO PRIMUS Papa XLVII. anno Domini CCCCXLIV. sedit annis XXI. Hic Synodum quintam congregavit in Chalcedonia in Ecclesia Sanctae Euphemiae virginis & martyris, ubi DCCC. Episcopi solvere non poterant argumenta Haereticorum negantium in Christo humanae naturae veritatem: miserunt ergo pro Sancto Achalio, qui tamdiu in lapide arce conclusus jacuerat, quod nec stare poterat nec sedere: qui de consensu partium talem sententiam tulit, ut fides utrorumque cum suis

444. Concilium. Chalcedonense. Sanctus Achalius.

suis argumentis in duobus paginis scriberentur, & utraque scripta super corpus Sanctae Ephemiae ponerentur: quo facto illa paginam Haereticorum longe a se projecit; sed alteram Christianorum paginam pectori suo reverenter astrinxit. Leo igitur Decretum edidit, ut virgo Maria benedicta Mater Dei & Hominis Theotocos & Christotocos appellaretur, & quicunque imagines sanctorum inhoneste tractaret, aut irreverentiam exhiberet, ille a communione fidelium separaretur. Constituit item in Missa dici: Orate pro me fratres & sorores; & in fine Missae dici: Deo gratias, & illud in Canone; Sanctum sacrificium immaculatam hostiam. Mandavit etiam Alleluja & Gloria in excelsis in Septuagesima, & Adventu & Quadragesima intermitti. Item jejunia quatuor temporum, quae Calistus instituerat, ipse in cibo quadragesimali praecepit observari. Huic beata Virgo legitur manum reddidisse, quam ipse sibimet amputaverat in die Sancto Paschae, eo quod vehementer tentatus fuit illa die concupiscentia carnali, propter mulierem quae in Missa oblationem faciens, ex devotione manum ejus deosculata fuerat. Require de hoc in passionali; hujus festum colitur III. Idus Aprilis.

Ephemia miraculum. Maria virgo Theotocos & Christotocos. Imagines Sanctorum. Jejunia quatuor temporum. Miraculum grande.

HILARIUS XLVIII. Papa anno Domini CCCCLXV. sedit annos VI. menses III. Hic constituit ne Clericus a Laico investituras recipiat; sub illo Dionysius Abbas Romanus ciclum Paschalem adinvenit, qui vocatur tabula Dionisii, continens annos DXXXII.

Investitura non a Laico.

SIMPLICIUS Papa anno Domini CCCCLXXI. sedit annos XV. Hic constituit ne quis Episcopus sibi successorem constituat, quod & Clemens fecit. Idem dedicavit Basilicam Bivianae martyris, ubi corpora sanctorum 4272. conquiescunt, exceptis pueris & mulieribus. Nota quae ad istum Papam leguntur, omnes fecisse ordinationes per mensem Decembrem.

471. Biviana Basilica. Ordinationes in mense Decembris.

FELIX TERTIUS Papa L. anno Domini CCCCLXXXVI. sedit annos VIII. menses XI. Hic constituit Ecclesias ab Episcopis dedicari. Item ut Judices & Accusatores omni careant suspicione; item ut accusato induciae concedantur ad se defendendum. Idem damnavit Petrum Achacium, Vitalem & Misenium haereticos.

486. Judices & Accusatores. Haeretici damnati.

GELASIUS PRIMUS Papa LI. anno Domini CCCCXCIV. sedit annos IV. menses VIII. Hic composuit Canonem & novem Praefationes, quosdam tractatus, hymnos & collectas. Item ut quatuor temporibus & Sabbato ante passionem Domini, & Sabbato Sanctae Paschae Clerici ordinentur, & diligenter per aliquos dies praecedentes examinentur de vita, scientia, aetate, conditione & statu. Itemque Presbyter post Missam populum benedicat, & dicat hymnum trium puerorum. Itemque Diaconus, absente Presbytero, infirmis Dei corpus Christi, & non alio tempore *distinct.* XCIII. *Diaconus.* Sub eodem Papa corpus Sancti Barnabae Apostoli cum Euangelio, quod Sanctus Matthaeus Hebraice manu sua conscripserat, Deus revelavit, & Ecclesiam Sancti Michaëlis in monte Gargano sub eodem Papa revelavit, quod tamen aliqui scribunt sub beato Sylvestro factum.

494. Canones; Praefationes componuntur. Quando Clerici ordinandi. Clerici examinentur. Benedictio post Missam. Corpus Barnabae. Euangelium Matthaei. Ecclesia in Gargano.

498. Anastasium excommunicavit. Crudelis interitus Papae.

ANASTASIUS SECUNDUS Papa in ordine LII. anno Domini CCCCXCVIII. sedit annos II. menses XI. Hic excommunicavit Anastasium Imperatorem pro haeresi Euthicetis, sed quia ipse Papa familiaris fuit Folino Thessalonico, fautori Achatii, quem etiam restituere conabatur, divino judicio percussus, intestina retro egessit.

501. Gloria in excelsis in Dominica. Hilarius. Papa ordinetur. Eligendus in Episcopum.

SYMACHUS Papa LIII. anno Domini DI. sedit annos XVI. Hic constituit, Gloria in excelsis omni die Dominico, praeterquam in Adventu & a LXX. usque ad Pascha cantari. Et in Missa de Sanctis semper cum prosa, quae sequitur post canticum Angelorum, scilicet Laudamus te &c. usque ad finem, quae addidit Hilarius Pictaviensis Episcopus. Item constituit, ut Papa ordinetur a duabus partibus Cardinalium, qui aliter ascenderit, excommunicatus sit ipso facto. Item quod eligendus vel promovendus in Episcopum ad minus sit XXX. annorum. Item quod rei non appellent, & si appellaverunt, appellatio non admittatur.

517.

HORMISDA Papa LIV. anno Domini DXVII. sedit annos IX. Hic constituit, ut si quis Missam scilicet simulet celebrasse, perpetuo sit irregularis. Hic multas Eleemosynas pauperibus erogavit & Basilicae ornamenta fecit; sepultus est ad Sanctum Petrum, cui dedit argenteam trabem pensantem libras mille XL.

526. Miraculum. Francia conversa.

JOANNES PRIMUS Papa LV. anno Domini DXXVI. sedit annos II. menses IX. Hic veniens Constantinopolim honorifice susceptus est a Justino Imperatore Orthodoxo, ubi secum multis cernentibus illuminavit. Hunc Rex Theodoricus de Verona, haereticus, in carcere necavit: Hujus temporibus Francia conversa est ad Christum.

528. Anniversarius dedicationis Ecclesiarum dies. Priscianus Grammaticus.

FELIX QUARTUS Papa LVI. sedit annis IV. menses II. Hic constituit, ut anniversarius dies dedicationis Ecclesiarum, & Altarium singulis annis solenniter celebretur; constituit quoque infirmos oleo Sancto inungi; sub illo dicunt quidam Priscianum Grammaticum floruisse.

532. Schisma. In Missa populus & Clerus adsit.

BONIFACIUS ejus nominis SECUNDUS, natione Romanus post Felicem sedit annos duos, dies XXVI. in cujus electione mota discordia: quidam Dioscorum quendam elegerunt; duravit Schisma diebus viginti octo. Bonifacius tamen obtinuit, & statim ad Ecclesiam confirmandam se convertens, instituit, ut tempore Missae populus ac Clerus interesset, mortuus tandem in Basilica Sancti Petri sepultus est: sedes menses duos vacavit.

534. JOANNES SECUNDUS Papa LVIII. sedit annos duos, menses IV.

536. Ecclesiam Episcopus solus consecret. Anthemius haereticus.

AGAPETUS Papa LIX. anno Domini DXXXVI. sedit menses XI. Hic constituit, ut nullus Ecclesiam vel Altare consecret nisi Episcopus; item ut Presbyter dedicationem fingens, degradetur. Hic ad Justinianum pergens, Authemium Patriarcham Constantinopolitanum deposuit, qui duas Naturas in Christo negavit.

Theodora.

SYLVERIUS Papa LX. anno Domini DXXXVIII. sedit annum, menses V. Hunc Theodora Imperatrix, uxor Justiniani, deposuit, &

& in exilium misit, pro eo, quod Authemium haereticum praedictum, quem Sanctus Agapetus praedecessor suus damnaverat, restituere noluit. Hic pro martyre colitur, quia pro fidei defensione in exilium relegatus obiit, sicut Sanctus Pontianus. Sylverius martyr.

VIGILIUS Papa LXI. anno Domini DXXXIX. sedit annis XVII. 539.
Sub isto constitutum videtur, quod Canon nunquam legatur nisi super sacrificia in altari consecrato, in vestibus sacratis, & voce submissa: olim enim quasi ab omnibus per usum quotidianum discebatur, quia alta voce pronunciabatur. Unde contigit, quod semel cum pastores in campo verba Canonis, quibus fit transsubstantia proferret, repente ante se viderunt carnem humanam cruentantem, statimque ipsi divinitus percussi interierunt. Canon non nisi in altari consecrato legatur. Miraculum.

DE IMPERATORIBUS.

ANASTASIUS Imperator anno Domini CCCCXCIII. regnavit XXIV. annis. 493. Eo tempore fuit magna discordia inter Cardinales in electione Papae, quibusdam aliis eligentibus Laurentium, quibus consensit Paschasius Diaconus Cardinalis, de quo scripsit beatus GREGORIUS in libro Dialogorum, quod propter hoc, post mortem pro purgatorio in calore lavacri sui, id est, aesticarii crematus fuit. Schisma in Ecclesia. Paschasius Cardinalis. Item in Ravenna Theodoricus Rex de Verona, judicio praesedit & Symmachum confirmavit. Eo tempore dum quidam Arianus Olympus in balneo lavaretur & de fide Sanctae Trinitatis blasphemica verba loqueretur: Ecce, statim gladius igneus de coelo descendens, tribus ictibus eum interfecit. Olympus Arianus. Ultio Dei. Illo etiam tempore Honoricus Rex Vandalorum CCCXXXIII. Episcopos exilio damnavit, & quibusdam eorum linguas abscidit, qui tamen non minus postea praedicaverunt, sicut beatus GREGORIUS testatur in libro Dialogorum, quorum unus in fornicationem cadens, mox a Deo illo dono privatus est. Rex Vandalorum crudelis in Episcopos. Miraculum. Trasamundus quoque successor Honorici praedicti, Ecclesias omnes in sua ditione clausit, & CCXXII. Episcopos in Sardiniam exilio relegavit, quos omnes Symachus sanctissimus Papa aluit. Trasamundus. Christianorum persecutio. Respublica Romana illis temporibus ubique diversis bellis fatigari coepit. Vitalianus servilis conditionis contra Anastasium Imperatorem se valide erexit, ipsumque irridens, milites suos manu potenti saepe vicit, captivavit, vulneravit, interfecit & turpiter fugavit. Vitalianus Imperii persecutor. Tunc floruit Sanctus Fulgentius Episcopus & Doctor egregius. Fulgentius Episcopus. Item in Scotia floruit eodem tempore Sancta Byrgitta miraculis innumeris. Sancta Byrgitta. Anastasius Euthichetis errori favens, & Catholicos persequens, Legatos Hormisdae Papae ad se destinatos nec videre voluit nec audire, divina igitur vindicta fulmine percussus, interiit.

Justinianus fit Regni consors. Hildericus. Trasamundus. Sanctus Benedictus.

519. JUSTINUS Major anno Domini DXIX. regnavit annis VIII. Hic filium sororis suae Justinianum Regni consortem fecit. Theodoricus Rex de Verona obiit, nec quo devenerit unquam compertum est, pro quo Athalaricus nepos ejus VIII. annis regnavit. Hildericus Rex Vandalorum Episcopos ab exilio revocavit, quos Trasamundus Rex praedecessor suus in Sardiniam exilio damnaverat. Sanctus Benedictus, omnium virtutum decor & gloria, isto tempore claruit miraculis, de quo beatissimus GREGORIUS secundum Dialogorum librum totaliter scripsit diligenti stylo, in quo multa per ipsum facta miracula narrat. Justinus Imperator requievit in pace.

Pagani, Judaei & Haeretici non militent. Belisarius. Neapolis capta. Fames durissima. Christiani in Caesarea omnes occisi. Almasunda. Theophilus Diabolo homagium fecit. Corpus SCti Antonii repertum. Arator Poëta. Mira de duobus Sanctis Gemellis. Sanctus Remigius obiit. Sanctus Patricius. Ossa Sancti Stephani. Filia Justiniani Daemoniaca.

527. JUSTINIANUS Imperator anno Domini DXXVII. regnavit annis XXXVIII. Hunc Agapetus Papa ab Euthichetis errore vocavit. Is leges antiquas breviavit, & multas novas edidit: libros civilis juris consumavit, scilicet, Codicem, Instituta, & Digesta; item Paganis, Judaeis & Haereticis ne militarent prohibuit. Bella plurima per Belisarium patruum feliciter gessit: Romam per annum a Gothis obsessam liberavit, dein in Aphrica Vandalos gloriose vicit. Item in Campania Neapolim fecit, & omnia, praeter Ecclesias, & Monasteria, deripuit, nemini pepercit: Regem Gothorum ibi captivatum Constantinopolim duxit. Eo tempore fames tanta fuit, quod Matres filios suos comederent. Judaei Sarracenis adunati omnes Christianos Caesareae Palestinae occiderunt, quod Imperator Justinianus graviter & crudeliter vindicavit. Anno Imperii sui 4. Parthi Romanum vicerunt exercitum Sabbato Sancto Paschae. Anno V. Almasunda filia Theodorici Regis de Verona est occisa. Anno VIII. Dionysius Abbas tabulam suam de Paschali circulo reincepit, annorum DXXXII. Anno IX. Theophilus Diaconus in Cilicia Diabolo homagium juramento fecit, & super hoc Chirographum manu sua scriptum dedit, in quo fatebatur se abnegare fidem Catholicam, Christum Dei filium, beatam Virginem & omnes sanctos: sed beata Virgo Regina misericordiae, eum Filio suo reconciliavit tempore Papae Agapeti, restituens eidem Chirographum, in quo se Diabolo obligaverat. Anno XIV. Corpus beati Antonii Monachi Alexandriae est inventum. Arator Subdiaconus Cardinalis Poëta Actus Apostolorum metrice scripsit. Anno XXI. Synodus quinta Universalis Constantinopoli celebrata est. Sanctus Medardus & Sanctus Gildardus, gemelli fratres, una die leguntur geniti, una die ad Scholas missi, uno die Presbyteri ordinati, uno die Episcopi consecrati, & ambo una die vita defuncti. Item Sanctus Remigius eo tempore obiit, anno Episcopatus sui LXXII. Item Sanctus Patricius, Nepos Sancti Martini ex sorore, in Scotia multis & stupendis miraculis claruit. Ossa Sancti Stephani prothomartyris olim quaedam nobilis Domina ignoranter de Hierusalem Constantinopolim transtulit, putans se ducere ossa mariti sui: sed daemones in aëre ululantes factum prodiderunt: Sancti Angeli dulciter jubilantes eos fugaverunt. Filia vero Justiniani Imperatoris Daemoniaca erat, Daemon de ore ejus clamabat: nisi Stephanus

phanus ad Laurentium Romam veniat, ego non exibo. Translatum est ergo corpus Beati Stephani Romam tempore Pelagii Papae Primi. Tunc etiam incoepit celebrari festum Hypopanthi, i. e. Purificationis Beatae virginis Mariae. Eodem tempore fuit in Italia canis quidam rufus & caecus, qui in foro multorum divitum annulos in unum cumulum congregatos retulit unicuique suum; aliqui dixerunt, hoc fieri a Spiritu Phytonico, alii vero a natura.

Reliquiae Sancti Stephani Romam portantur. Festum Purificationis Sanctae Mariae instituitur.

JUSTINUS minor anno Domino DLXVI. regnavit annis XI. cujus Imperii anno III. Narses Patricius, dux exercitus in Italia, Eunuchus, bellator strenuus, pius, pater pauperum, constructor monasteriorum plurium, jejuniis & orationibus potius pugnans quam gladio, Thotilam Regem Gothorum, flagellum, occidit, & Gothos de Italia expulit: Thesaurum magnum pro pauperibus congregavit & abscondidit. Sophia vero Imperatrix Romam veniens cum ipsum ab officio submovere vellet, & ipsi inter caetera contumeliosa exprobraret; Lanam fusare debet & pensa dividere, (quod Teutonice dicitur ein wollen Wicklein kemmen) quare vir esse non possit. Narses respondit: Et ego tibi talem telam ordiri procurabo, quam donec vivas nunquam depones. Secessit ergo Neapolim & scripsit Longobardis, qui Hungari vel Hunni vocabantur, ut cum armis & omni familia sua in Italiam properarent. Hi ergo tempore Benedicti Primi Papae venientes, totam Italiam per annos CC. occupabant; Roma & Romaniola tantummodo exceptis. Illorum Rex Albericus vel Alboinus juravit velle omnes Christianos interficere, sed apud Mediolanum equus suus genuflectens moveri non potuit, quo usque juramentum penitus relaxaret. Anno Justini Octavo Hispani & Galli de Pascha dissentiebant, Hispanis XII. Kalendis Aprilis, Gallis XIV. Kalendis Maji celebrantibus; sed Gallos recte celebrasse per hoc patuit, quod XIV. Kalendis Maji fons baptismate in Hispania divinitus replebatur. Eo tempore fames & pestilentia magna fere per totum orbem saevierunt. Item eodem tempore Armenii fidem Catholicam acceperunt.

566. Narses patruus. Totila occiditur. Sophia Imperatrix. Longobardi in Italiam vocantur. Alboinus. Miraculum. Fames & pestilentia.

TYBERIUS CONSTANTINUS anno Domini DLXXVI. regnavit VII. annis. Hic fuit homo summae Bonitatis, Justitiae, & Largitatis, neminem despexit, omnes diligens ab omnibus est dilectus, cui Deus sub pavimento cruce signato magnum Thesaurum jacere revelavit, quem ipse occulte tollere nolens coram omni populo dixit: Tollite crucem; quia non debet conculcari sub pedibus servorum, sed fulgere in frontibus Imperatorum: tribus igitur cruce signatis lapidibus de terra difficulter evulsis, Thesaurus copiosus inventus est, quem ipse totum distribui fecit viduis, advenis, Orphanis, Ecclesiarum procuratoribus, pauperibus & infirmis, & ideo Thesaurum hunc Deus sibi ostenderat per senem quendam. Illum supra dictus Narses ibi sub terra absconderat. Anno III. Imperii Tyberii Gregorius, tunc Pelagii Papae Apocrisarius, Constantinopolim missus, libros Moralium scripsit, & Euthichium ejusdem Urbis Episcopum, in fide Resurrectionis Domini-

576. Tyberii summa laus. Thesaurus invenitur. Gregorius. Euthichius Haereticus.

Haeresis. nicae, praesente Tyberio Augusto convicit. Hic Euthichius corpus nostrum post resurrectionem completum aëre subtilius fieri dicebat, contra id quod scriptum est Lucae ultimo: *Palpate & videte, quia Spiritus ossa & carnem non habent, sicut me videtis habere.* Anno VII. Tyberius infirmatus Mauritium, generum suum, habito consilio, ad Imperium elegit; dicens: In mente habe, quod semper rectitudinem ames: & sic obiit plenus virtutibus, ab omni populo lamentatus & planctus ut Pater omnium.

Tyberii beatus obitus.

583. MAURITIUS Caesar anno Domini DLXXXIII. regnavit annis XXI. Eo tempore Brunhildis Regina haeretica Sanctum Columbanum, Gallum, & eorundem socios a finibus Francorum expulit: Item Desyderium Episcopum Viennensem per quatuor annos exilio afflictum Martyrio dedit. Anno IX. Imperii Mauritii Ricardus Gothorum Rex cum tota gente ad fidem Christianam conversus est, per Leandrum Episcopum Hyspoletanum. Anno XIX. Sanctus Gregorius Papa misit in Angliam Augustinum Mellitum, & alios plures Deum timentes, qui Evangelium Christi ibi praedicantes totam gentem ad fidem converterunt. Anno XXI. inconsutilis tunica Christi in Masphat, non procul ab Hierusalem in arca marmorea inventa est, quam Gregorius Antiochenus, Thomas Hierosolymitanus, & Johannes Constantinopolitanus, & multi alii Episcopi triduano jejunio peracto, pedestri ordine a Masphat Hierusalem perducentes in eadem arca cum multa devotione & reverentia posuerunt in Ecclesiam, ubi & crux Christi adoratur. De morte vero Mauritii, qualiter ad Judicium Dei captus, optionem a Deo receperit, utrum temporaliter hic puniri, aut aeternaliter damnari velit, pro eo quod Sanctum Gregorium injuste oppresserat, & qualiter Phocas miles, Deo jubente, ipsum cum uxore filiaque sua & Philippo genero suo occidit, & pro eo regnavit, require in *legenda* integra *Sancti Gregorii.* Item de Petia Sancti Joannis Euangelistae, quam idem Mauritius a Beato Gregorio a Roma Constantinopolim pro reliquiis transmissam contemsit, & quomodo sanguis de illa usque ad laquearia prorupit, dum decies Sanctus Gregorius transfixit, require ibidem. Tunc originem habuit a praedicta visione, quae Mauritio revelata, Proverbium illud, per omnia linguarum genera divulgatum, quo dicitur a pueris in cavillatione jocali: herfurd hernfock & illud seindt ihr beraidt hernfock. Vox enim divina Mauritio optionem dedit, utrum hic in praesenti vita vel in futura puniri velit, quod Sanctum Gregorium & Ecclesiam tam saepius injuste molestasset, & quod contemsisset Sancti Johannis Petiam sibi a Sancto Gregorio de Roma usque Constantinopolim pro reliquiis missam, Imperator in visione sibi facta respondit: Melius esse sibi in praesenti sustinere vindictam, quam in futuro gehennae poenam. Quare datus est cum pueris suis omnibus & Philippo genero suo Phocae militi occidendus, quod est factum, sicut in visione a Deo sibi fuerat revelatum. Eo tempore Claruit Sanctus Johannes Eleëmosinarius, Patriarcha Alexandrinus, qui obiit x. Ka-

Columbanus Gallus. Desyderius. Ricardus cum Gothis convertitur. Angli ad fidem convertuntur. Inconsutilis Christi tunica inventa. Visio Mauritio oblata. Phocas miles. Petia Sancti Joannis Euangelistae. Miraculum. Proverbia exorta. Mauritius Imperator Phocae occidendus traditur. Joannes Eleëmosinarius.

Kalendas Februarias, de illo quaere in *passionali* pulchram legendam.

DE PONTIFICIBUS.

FABIANUS SECUNDUS, Papa LXII. sedit annum unum, menses v. iste Papa non est in Chronicis EUSEBII. 557.

PELAGIUS PRIMUS Papa LXIII. anno Domini DLVIII. sedit annos quatuor menses x. Hic de nece Vigilii Papae incusatus, coram populo jurans se purgavit. Hic constituit novem tantummodo Praefationes in Missa decantari, quas Papa Gelasius compilavit, resecatis pluribus aliis, quas Sanctus Ambrosius & alii Sancti Patres compilaverant, quas omnes cassavit; illarum adhuc multae in antiquis libris Missarum reperiuntur. Hae vero sunt quas voluit & statuit cantari: Prima de Nativitate Domini; Secunda de Epiphania; Tertia de Quadragesima; Quarta de Sancta Cruce; Quinta de Resurrectione; Sexta de Ascensione Domini; Septima de Spiritu Sancto; Octava de Sancta Trinitate; Nona de Apostolis; Decimam superaddidit Sanctus Urbanus de beata Virgine. 558.

Novem tantum Praefationes cantari.

JOANNES TERTIUS Papa LXIV. anno Domini DLXII. sedit annos XII. menses x. Eo tempore ante adventum Longobardorum in Italiam, acies igneae in aëre visae sunt, sicut beatus GREGORIUS in homilia testatur super Euangelium; Erunt signa in Sole & Luna & Stellis. Tunc Sanctus Germanus, Parisiensis Episcopus, aegrotans jussit sculpi in muro: Quinto Kalendas Maji morior, & eadem die obiit: Fortunatus Poëta gesta Sancti Martini metrice conscripsit, & postea ordinatus est Episcopus Viennensis. Item Sanctus Maurus, discipulus Sancti Benedicti, eo etiam tempore obiit, Parisiis sepultus. 562.

Acies igneae in aere visae. *Sanctus Germanus obiit.* *Fortunatus Episcopus & Poëta.* *Sanctus Maurus.*

BENEDICTUS PRIMUS Papa LXV. anno Domini DLXXIV. sedit annos IV. menses II. Qui tempore Tyberii Augusti misit Sanctum Gregorium, adhuc Diaconum Cardinalem, cum multis aliis Deum timentibus in Angliam ad convertendam gentem illam, adhuc idolorum culturis deditam, sed cum juxta Tiberim flumen pausaret Gregorius, & librum apertum manu teneret, videt, quod locusta super librum saltaret, & deinde in sinum ejus, qui dixit: Puto quod ulterius non proficiscar, statimque hoc dicto venerunt nuncii Papae, qui ex mandato ipsius Sanctum Gregorium Romam reduxerunt. 574.

Gregorius ad Angliam missus. *Visio Gregorio offertur.*

PELAGIUS SECUNDUS, Papa LXVI. anno Domini DLXXVIII. sedit annos VI. menses III. dies v. Hic constituit, ut memoria defunctorum fiat in omni Missa post elevationem Hostiae salutaris; Eo tem- 578.

Memoriam mortuorum in Missa praecipit.

pore

pore draco ingens, & multi serpentes mortui in Tyberi Romam praeterfluentes, ex corruptione aëris in urbe & tota Tuscia ac Apulia maximam pestilentiam fecerunt, quae primo Papam, postea populum usque quaque absumsit.

Pestilentia.

584. GREGORIUS PRIMUS, Papa LXVII. anno Domini DLXXXIV. sedit annos XIII. menses VI. Hic extulit dulcissimum Spiritus Sancti organum, & plures mellifluos libros, tractatus, & homilias scripsit: Officium quoque Missae, Collectas & Cantum: Item Horas beatae Virginis ordinavit. Legitur de beato Gegrorio, quod semel in die omnium Sanctorum custos Ecclesiae Sancti Petri venit ad eum dicens: Pater Sancte, cras erit anniversarius dies cujusdam civis, qui dotavit altare unum in Ecclesia Sancti Petri pro Missa perpetua, ordinavit etiam ad idem altare lampades VII. perpetuo ardentes, ubi & ipse sepultus est: celebrabis ergo ibi cras Missam vel alius pro te? Quaesivit felicissimus Pater quando mortuus esset? quod cum custos in registro quaereret invenit, quod a die obitus illius ad tempus hoc praeteriissent anni CLXXX. Respondit ergo Gregorius, uti erat vir piissimus, ego ipse Missam pro ejus anima cras celebrabo: & cum die sequenti Missam inchoasset, *requiem aeternam dona ei Domine*, audivit vocem de coelo alte clamantem, haec verba; Non faciam, non faciam: sed Vir Dei, plenus gratia, putans vocem illam Diabolicam esse, jussit reincipere introitum requiem aeternam — — — Tunc iterum audivit vocem similem priori: Non faciam pro anima illius, cujus anniversarium est. Igitur perficiens officium pro reliquis defunctis, & cum esset in Canone, ubi fit memoria defunctorum omnium, devotione omni a Dei petiit, ut sibi causam damnationis istius animae ostendat. Cui revelatum fuit, quod ideo damnatus sit, quod corpus Christi singulis annis semel duntaxat propter inimicitias quas remittere noluisset, minime recepisset, & de hoc confessus non fuisset. Quum autem introitus primus in Missa semel cantaretur, statuit beatus Gregorius, ut postea semper bis cantaretur propter jam dictum factum. Constituit quoque celebrari laetaniam majorem in die Sancti Marci Euangelistae, & in ipsa processione audivit Angelos dulciter cantantes Antiphoniam; *Regina coeli, laetare, Alleluja*. Tunc Sanctus Gregorius, quod sequitur adjunxit: *Ora pro nobis Deum, Alleluja*; Et instituit in die Purificationis, & in die Palmarum fieri solennes processiones cum accensis cereis in una, & cum ramis arborum in alia (scil. manu.) Item in quarta feria post Quinquagesimam instituit, cineres benedici & aspergi, & ut Christiani ab illa die jejunare incipiant: nam antea jejunium Quadragesimale incipiebatur post Dominicam; Invocavit. Item instituit in Coena Domini pedum lotionem; Item in Parasceve nudis pedibus Crucis adorationem; item in die Sancto Paschae agni, caseorum, ovorum, lardi ac aliorum vescibilium Benedictionem. Augmentavit etiam Canonem, addens: *Dies quoque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari.* Item, con-

Gregorius doctor Ecclesiae.
Scripta.
Factum stupendum.
Causa damnationis animae.
Repetitio introitus Missae.
Laetania major in die Marci.
Regina coeli.
Solennes processiones duae.
Dies cinerum.
Mandatum.
AdoratioCrucis in Parasceve.
Vescibilium Benedictio in Pascha.

constituit, ut Calix super corporale locetur ad dexteram, & Hostia ad finistram: item commemorationem Sancti Pauli instituit celebrari in crastino Sancti Petri Apostoli. Item, quod casti sint subdiaconi: item, quod ad horas canonicas dicendas sint adstricti: Item, quod audiens confessionem nec nutu nec verbo nec scripto, nec signo prodat confessionem. Item, quod mulier post partum, quando velit, introducatur in Ecclesiam. Item, quod mulier non convinceatur pro excessibus sui viri. Hic Gregorius composuit collectas secretas, complendas, introitus, offertoria & communiones Missarum. Ambrosius vero Gradualia & Alleluja. Hic Gregorius constituit etiam, quod lumen semper ardeat in Ecclesia, dum Missa celebretur; Item, quod Papa indutus sit alba praecincta longa, & ampla. Sed Celestinus mutavit hoc in strictam, non praecinctam, ut est modo. Dicitur quoque de Sancto Gregorio, quod aliquando botros manducare plurimum affectarit, cui Angelus Domini in specie servi botros acerbos attulit & nondum maturos, quos cum nollet, attulit ei putridos minus valentes; qui etiam cum nollet & similiter abhorreret, attulit ei optimos & tempestivos, dicens: sic tu Christo aliquando persolvis horas Canonicas, nimis mature & quandoque nimis tarde; si debito tempore horas dices, Deum & Sanctos delectabiliter honorares: & hoc dicto Angelus Domini disparuit. Adhuc servatur Romae Antiphonarius, quem sua manu beatus Gregorius notavit, in quo apparet, quod per usum cantantes plurima mutaverunt.

Locatio Calicis & Hostiae in celebratione.
Occultatio confessionis.
Gregorius.
Ambrosius.
Lumen in Missa.
Caelestinus Papa.

SAVINIANUS Papa, qui etiam alio nomine vocatur FABIANUS, anno Domini DLXXXXVII. sedit annum unum, menses v. Constituit, 597.
ut horae pulsentur in singulis Ecclesiis. Hic avarus fuit, & dixit Sanctum Gregorium prodigum fuisse & Hypocritam: ab eo in somnis ter monitus est, ut a detractione desisteret, quarto percussus in capite subito obiit.

Pulsus ad horas.

BONIFACIUS TERTIUS Papa LXIX. anno Domini DLXXXXVIII. 598.
sedit annos v. menses x. Hic sub poena excommunicationis prohibuit fornicari in Ecclesiis. Instituit item, ut celebrans corporali utatur.

Non fornicari in Ecclesiis.

BONIFACIUS QUARTUS Papa LXX. anno Domini DCIII. sedit annos sex menses IX. Quo tempore Mahometus pseudo-propheta multos decepit. Hic Bonifacius dedicavit Pantheon tertio Idus Maji, in honorem omnium martyrum, quia Sanctorum Confessorum festa adhuc in Ecclesia non celebrabantur, sed festum illud tempore Gregorii Papae Quinti post annos CCXX. translatum est ad Kalendas Novembris, & templum dedicatum in honorem omnium Sanctorum. In hoc igitur templo coram Papa praedicto congregatis sexcentis Judaeis, quidam Scholaris coecus responsorium incoepit: Gaude Maria Virgo; quod ipse composuerat, & voce canora intonuit, in die Purificationis, & continuo lumen oculorum recepit; tunc omnes illi Judaei baptizati sunt.

Mahometus pseudo-propheta.
Pantheon.
Festum omnium martyrum.
Festum omnium Sanctorum.
Miraculum per responsorium, Gaude Maria.

DEUS DEDIT Papa LXXI. anno Domini DCXIV. sedit annos III. 614.

I 2 Hic

Hic Papa etiam Theodulus dicitur. Miraculum. Hic constituit, ut contra Symoniacum testes esse possint meretrices; & criminosi osculo leprosum curavit. Et sciendum quod & alter ejusdem nominis Papa post Savinianum sedisse scribitur; sed multa exemplaria eum non habent.

617. Libertas Ecclesiae. BONIFACIUS QUINTUS Papa LXXII. anno Domini DCXVII. sedit annos IV. Hic statuit ne quis ob grave delictum ad Ecclesiam confugiens, ab ullo extraheretur.

621. HONORIUS PRIMUS Papa LXXIII. anno Domini DCXXI. sedit annos XII. menses XI. Hic construxit Ecclesiam Sancti Hadriani, in qua Sancti XI. requiescunt: multasque & alias Ecclesias restituit & renovavit; obiit non sine sanctitatis opinione.

DE IMPERATORIBUS.

604. PHOCAS Imperator anno Domini DCIV. regnavit annis VIII. postquam occiderat praedecessorem suum Mauritium Caesarem. Romana Ecclesia caput Ecclesiarum omnium. Sanctus Gregorius obiit. Templum Pantheon. Hic Romanam Ecclesiam caput omnium Ecclesiarum esse constituit. Nam Constantinopolitana Ecclesia se prius primam scripsit. Illius Imperii anno III. Indictione VIII. Sanctus Gregorius obiit. Anno VII. dedit Ecclesiae templum Pantheon, hoc est omnium Deorum, quod Agrippa pro Victoria de Suevis habita in honorem omnium Deorum mirabili materia & opere construxerat, tempore Domitiani Imperatoris; ut expresse notatur in Historia Ecclesiastica. Eo tempore Rex Persarum cum ingenti exercitu multas provincias debellando, etiam Cosdroas. Sanctam Crucem abducit. Detestanda Trinitatis imago. Sanctam Crucem de Hierusalem secum abduxit, eamque Persae per annos XVI. venerati sunt, argentea turri constructa. Cosdroas Rex se tanquam Patrem, & Crucem Sanctam tanquam Filium, juxta se locavit, & Gallum loco Spiritus Sancti.

612. HERACLIUS Imperator anno Domini DCXII. regnavit annis XXIX. bonus quidem & devotus primo, sed postea Euthichetis errori favens, cultum Dei maculavit, accipiens amiam & filiam sororis suae, Cosdroas Rex victus. in uxores. Anno Imperii sui XVI. Heraclius occidit Cosdroam Regem Persarum, & Majorem filium Gigantem, credere nolentem submersit: Minorem vero baptizavit; paganos convertit, Crucem Sanctam Hierusalem solenniter & devote adduxit, & cum civitati appropinquaret, porta se clausit. Antiphonia: *O crux splendidior &c.* Sancta Crux divisa. Christi Jesu Coronam Spineam Lodovicus redemit. Angelus Domini super eam stans narravit, quare id fieret? tunc Imperator se humilians cecinit Antiophoniam: *O crux splendidior cunctis astris*, & sic porta reserata, mira devotione Sanctam Crucem per medium sectam reposuit in Hierusalem, reliquam vero partem ipse secum Constantinopolim portavit, & coronam Christi spineam, quam coronam obligatam civibus Genuensibus, pro

LXXX.

LXXX. millibus Marcarum puri & examinati argenti redemit postea Sanctus Lodovicus, Rex Francorum, consentiente & favente sibi Imperatore Constantinopolitano, anno Domini MCCXLIV. Heraclii Caesaris anno XXIII. Sarraceni Hierusalem destruxerunt, & Romanum Imperium ubique deficere caepit ac minui. *Huc usque Isidorus Hispalensis* Episcopus, *in libro Etymologiarum* Chronica sua perduxit, cujus numerum ab initio seculi ad quemlibet Imperatorem posui in spatio per Algorithmum, ut a studiosis videatur ubi discrepet a modernis. Anno XXVI. Heraclius in astris peritus vidit Imperium suum a circumcisis gentibus fore devastandum: misit ad Dagobertum Francorum Regem, ut omnes Judaeos in Regno suo faceret baptizari, sicut etiam ipse per omnes Imperii sui Provincias fieri praecepit. Veniunt Agareni etiam circumcisi, & de exercitu Heraclii CL. millia pugnatorum occiderunt, sed spolia Heraclio remiserunt. Ille se ulcisci volens, portas Caspias, quas Alexander Magnus ante mille annos clauserat, aperuit, & inde CL. millia Judaeorum auro conductos eduxit, quos omnes cum Provintiarum suarum militibus contra Agarenos misit: cumque in crastino praeliaturi essent, in ipsa nocte LII. millia de exercitu suo Domini gladius percussit. Unde Heraclius videns inimicorum suorum violentiae se amplius resistere non posse, febribus vexari cepit, & prae nimia tristitia vitam finivit. Florebant tempore Heraclii Sanctus Columbanus, Sanctus Amandus, Sanctus Gallus, S. Lupus, S. Eustasius abbas Aidani Episcopus, Cunibertus Coloniensis, Isidorus Hispalensis, Sanctus Osualdus, & tres fratres, Ado, Rado, Tado: Sancta Aurea Virgo, & alii innumeri.

Judaei ubique baptizantur.

Heraclius victus.

Heraclius a Deo persequutus.

MAHOMETUS pseudo-Propheta tempore Imperatoris Heraclii & Bonifacii Papae quarti decepit Ismaelitas sive Agarenos hoc modo. Sergius Apostata, cum Romae honorem, ad quem aspirabat consequi non potuisset, confugit ad partes ultramarinas, ubi Mahometum verbum Dei praedicantem reperit, & cum eo tractavit, qualiter unus eorum pro Rege, alter Propheta magno, aut etiam Deo coleretur; Taurum crudelissimum sub terra occulte pascere constituunt, qui in die solenni, ignorante populo, emissus, cursu rapido in forum veniens multos prostravit, Mahometo pepercit. Populo igitur clamante, & admirante, dixit Mahometus: Quaeramus à Spiritu Sancto Jejuniis & Orationibus quid haec crudelis bestia sibi velit? & veniens alba columba, quam ipse prius occulte nutrierat, & Schedam tulit, aureis literis inscriptam: Quicunque potuerit huic tauro jugum imponere, hic omni populo Imperare debet & Rex esse: posuit etiam Columba illa rostrum in aures Mahometi, tanquam ipse loquens, quia de ore ejus consueverat manducare. Accessit Sergius cum jugo, & id tauro facile imponens in Regem continuo est electus. Stultus enim populus omnia praedicta divina esse putabat. Tunc Mahometus majorem se Christo dicens & Moise leges dedit, quas ipse dictaverat, videlicet pueros circumcidere, carnem porcinam vitare, quolibet anno die-

Mahometes.

Sergius Apostata.

Mahometis & Sergii fraus.

Taurus.

Columba in aures Mahometi susurrat.

Sergius Rex electus.

Mahometus Propheta habitus.

bus xxx. jejunare, meridiem versus orare, in Ecclesia Diabolum lapidare, jactando lapides circumquoque super terram; ut fur prima & secunda vice verberetur, tertia vice apprehensus una manus ei amputetur, quarta vero pes: a vino abstineant, semper vestem cucullo similem absque caputio portent; quatuor uxores simul habeant, quas si viri velint, tertio mutare liceat. Habuit Mahometus uxores xl. De ejus autem Sarcophago in aëre pendente ac aliis ejus vanitatibus longum foret scribere sed brevitatis amore praeteream; lege apud alios.

Mahometis lex.

Sepulchrum Mahomedis.

639. CONSTANTINUS filius Heraclii regnavit quatuor mensibus tantum, & veneno periit, fraude novercae suae Martinae & Pyrrhi Patriarchae.

HERACLIONAS cum Martina matre, quam MARCUS ANTHONIUS SABELLINUS scribit sororem fuisse) sua anno Domini DCXXXIX. regnavit annos duos & occisus est. Alii dicunt eos prius mutilatos in exilium relegatos esse.

CONSTANS sive Constantinus, nepos Heraclii, Constantini filius,

641. anno Domini DCXLII. regnavit XXVIII. annis. Hic deceptus a Paulo Patriarcha Constantinopolitano haeretico, Christianos cepit persequi: Papam Martinum Sanctissimum in exilium misit, ubi defunctus multis miraculis corruscavit. Item Italiam a Longobardis eripere volens quaesivit a quodam Sancto Viro de belli exitu, qui inducias ab eo ad respondendum postulans, usque in crastinum, & nocte illa in Oratione perseverans, in crastino mane ita respondit: Regina Longobardorum juxta Mediolanum Sancto Joanni Baptistae Ecclesiam magnificam construxit ac dotavit, & ideo Longobardi non superabuntur quam diu locum illum venerabuntur, quod usque ad Carolum Magnum duravit annis CXXX. Francorum enim exercitus eo tempore de Provintia veniens Longobardiam potenter invasit, cui Grimoaldus Longobardorum Rex veniens ex adverso, fugam simulavit, relinquens in castris vinum multum, & cibaria copiosa, quae familici Franci invenientes, ebrietatem crapulae miscuerunt & nocte (tanquam ebrii) graviter soporantes, Grimoaldus cum Longobardis super eos irruens pene omnes interfecit, sed ipse brevi postea sanguinem de vena minuens, quiescere noluit; nona die post venae incisionem vidit columbam, extendens ergo arcum ad sagittandum eam, brachium laesit, rupta vena statim obiit: sed hoc medicis suis imputabatur. Eo tempore Sanctus Jodocus, Regis Britanniae filius, Regno dimisso ad Sylvas confugit, miracula multa & magna fecit, in cujus Missa dum celebraret, Dextera Dei apparuit & Ministerium Sanctorum Angelorum: hunc Laici Teutonici vocant *Sant Jost*. Anno XXIV, Imperii Constantini ipse Romam veniens, pallium auro textum Sancto Petro obtulit, toto exercitu suo urbem & Basilicam intrante cum accensis cereis. Sed cum XII. diebus in urbe mansisset, spoliavit Ecclesias in urbe omnibus ornamentis suis. Anno XXVII. facta fuit Ecclipsis magna Solis hora diei decima, v. nonas Maji in festo Inventionis Sanctae Crucis, Indictione VII. Anno XXVIII. Constan-

Paulus Patriarcha haereticus. Martinus Papa. Longobardi in Italia. Longobardorum fraus. Franci caesi. Grimoaldus moritur. Sanctus Jodocus. Constantinus Romae Ecclesias spoliat. Ecclipsis Solis.

stantinus volens ornamenta, quae Romae abstulit, Constantinopolim transferre, in balneo occisus est: aliqui dicunt ex minutione sanguinis obiisse in balneo. Milites Palatii quendam de Armenia substituerunt: sed filius Constantini, navigio veniens cum exercitu magno, eundem Armenium interfecit, & Patrem suum de interfectoribus vindicavit. Eo tempore Haudinas Sarracenorum Princeps, templum Hierosolymis a Vespasiano destructum in eodem loco reaedificavit, ubi nunc manus & pedes Mahometis adorantur, nam reliquum corpus suum epilepticum & maledictum, a Christianorum porcis devoratum legitur.

Constantinus interficitur.

Armenius quidam fit Imperator.

Templum Hierosolymitanum.

CONSTANTINUS QUINTUS anno Domini DCLXX. regnavit annis XVII. Hujus Imperii anno quinto Sarraceni Siciliam depraedantes cum grandi praeda Alexandriam redierunt. Item Caesarea conjux Regis Persarum cum paucis fidelibus clam venit Constantinopolim, quam Imperator Constantinus cum gaudio susceptam, de sacro fonte levavit, quae diu quaesita & inventa Regi Persarum nunciavit, nisi & ipse veniret & sacrum baptisma perciperet, ipsa nunquam redire vellet; qui cum magno exercitu pacifice veniens Constantinopolim, honorifice susceptus exultantibus universis & laudantibus Deum. Eo tempore Ticinum civitatem Italiae, quae alio nomine Papia dicitur, pestilentia tanta invasit, ut hominibus cunctis viduata, in ea herbae & frutices passim pullularent. Iste Imperator Constantinus vir erat Catholicus, omnes haereticorum opiniones delevit, & cassavit, quas sui foverant antecessores. Tunc Bulgari ultra Paludes Meotidis habitantes Romanum Imperium vexaverunt, & cum Imperator cerneret, quod eos superare non posset, pacem cum ipsis fecit, eisque ut Dominis tributa dedit tanquam servus. Eo tempore anno imperii sui XVII. claruit BEDA venerabilis, qui coecus factus, dum praedicaret lapidibus, putans se hominibus praedicare, lapides, benedictione data in fine sermonis clamabant: Amen venerabilis Beda. Item in Sarcophago suo sculperet statuarius hunc versum medium; *Hic sunt in fossa.* Angelus Domini complevit versum: *Bedae venerabilis ossa.* Claruit etiam tunc Sanctus Projectus, & Virgo Maxilendis, Amatus Episcopus, Sanctus Chilianus Episcopus, Ediltrudis Regina, & Sanctus Leodegarius Episcopus.

670.

Sarraceni Siciliam depraedantur.

Caesarea Regina Persarum baptizatur.

Saevissima pestilentia.

Laus Constantini.

Bulgari.

Imperator Romanorum tributarius.

Venerabilis Beda.

Miracula.

JUSTINIANUS MINOR, Constantini Quinti filius, bis regnavit, quia anno Domini DCLXXXVII. regnavit annis X. sed patris sui vestigia relinquens & haereticam pravitatem sequens, justo Dei judicio linguam, ac nasum cum Imperio amisit. Annis igitur decem in exilio vagans asseruit, se iterum regnaturum: sed populo cum irridente confugit ad Principem Turcarum, cujus Germanam ducens in uxorem, usque ejusdem Principis & Bulgarorum auxilio, Imperium iterum recuperavit, ut post dicetur, quia tempore sui exilii duo Caesares intermedii regnarunt, videlicet Leo & Tyberius.

687.

Justinianus mutilatus in exilium mittitur.

LEO SECUNDUS anno Domini DCLXXXXVII. regnavit annos tres. Tunc Rex Phrisonum Carcordus cum baptizari vellet, & jam pedem

697.

Phrisonum Rex damnatus.

pedem unum immisisset lavacro, quaesivit: Quo major pars antecessorum suorum devenisset: & audiens plures ad infernum descendisse, retraxit pedem de lavacro, dicens: Sanctius est ergo sequi divites, quam pauperes atque leprosos: quarto vero die subito obiit, ludificatus a Daemone, multas sibi divitias promittente. Eo tempore in Campania Italiae frumentum hordeum & legumina ad instar pluviae de nubibus ceciderunt circa annum Domini DCC.

Divina ultio. Frumentum de coelo pluit.

700. TYBERIUS TERTIUS anno Domini DCC., viventibus adhuc duobus antecessoribus suis, scilicet Justiniano & Leone, regnavit annis VII. Anno tertio Imperii sui congregata est septima Synodus Aquilejae sub Papa Sergio. Eo tempore Rex Osualdus in Anglia claret, mitis & largus adeo fuit, quod adhuc dextera manus ejus recens esse dicatur & dare eleëmosynas sibi impositas. Anno VII. Justinianus sine naso cum Turcis & Bulgaris veniens, Leonem & Tiberium suos successores occidit, & eorum complices reservans, unum post alium jugulavit, quoties nasum purgabat.

Concilium Aquilejanum. Sanctus Osualdus Rex. Justiniani crudelitas.

707. JUSTINIANUS sine naso Regnum amissum recuperavit anno Domini DCCVII. cum filio suo Tiberio VI. annis regnavit: anno Imperii sui quinto poenitentiam agens Constantinum Papam adhuc Constantinopolim vocans, de manu ipsius aliquoties devote communicavit. Insulam Chersonam, in qua exul fuit, omnino vastare intendens, omnes infantes ibidem occidi praecepit, & contra consilium Papae misit exercitum ad Pontem Milvium comprehendere Philippum, quem damnaverat exilio ad insulam praedictam: sed conversus exercitus, quem miserat, ad Philippum, fecit eum Imperatorem, qui veniens Constantinopolim potenter, receptus est honorifice a populo, & occidit Justinianum sine naso cum filio suo, & regnavit pro eo. Tunc Sanctus Hupertus corpus Sancti Lamperti a Trajecto Leodium transtulit una cum sede Episcopali. Claruit etiam Sancta Oda Ducissa, & Sanctus Archangelus Michaël locum venerationis suae in mari ostendit.

Constantinus Papa. Insula Chersona vastata. Philippus fit Imperator.

713. PHILIPPUS TERTIUS anno Domini DCCXIII. regnavit annum unum menses sex. Hic omnes imagines Sanctorum destruxit & ideo Constantinus Papa ipsum excommunicavit, nec Romani numisma sui nominis receperunt.

Imagines Sanctorum combustae.

ANASTASIUS SECUNDUS Philippum, qui etiam Philippicus dicitur, excaecavit anno Domini DCCXIV. & pro eo tantummodo tres annos regnans, postea Presbyter est ordinatus. Eo tempore etiam duo Reges Anglorum cohaerentes Romam venerunt & Monachi sunt facti.

714. Anastasius Imperator fit Presbyter.

717. THEODOSIUS TERTIUS anno Domini DCCXVII. coactus Imperium suscepit, quia decus sacerdotii semper desiderabat adipisci. Anastasium antecessorem suum praelio victum Presbyterum fieri compulit, sicut & ipse, dimisso Imperio, Presbyter ordinatus est. Ille in pace cum omnibus vixit, & unum tantum annum regnavit. Eo tempore Tiberis fluvius Romae multa & magna aedificia subvertit, ita ut in via Latina exurgeret altitudine cubiti & semis.

Theodosius Imperator fit Presbyter. Inundatio Tiberis maxima.

DE

DE PONTIFICIBUS.

SEPHERINUS Papa LXXIV. anno Domini DCXXXIII. sedit annum unum, menses duos, dies quatuor. 633.

JOANNES QUARTUS Papa LXXV. anno Domini DCXXXV. sedit annum unum, menses VIII. Hic constituit, ut si quis res Ecclesiae aliqua temeritate invadere praesumeret, ad quadruplum restituere cogeretur. Hic multos captivos redemit, & omnes fautores haereticorum excommunicavit. 635.

THEODORUS PRIMUS hujus nominis Papa LXXVI. sedit annos VI. Hic Pyrrhum Reginae urbis Episcopum, id est, Constantinopolitanum excommunicavit & deposuit, quia haereticum ipsum esse reperit, & pro eo Paulum successorem ordinavit. Pyrrhus haereticus.

MARTINUS PRIMUS Papa LXXVII. anno Domini DCXLII. sedit annos sex. Hic constituit sexta feria jejunari propter memoriam Passionis Christi; & diem Dominicam solenniter celebrari, & nihil operis servilis in eo agi propter Resurrectionem Salvatoris nostri. Item quod omnes Clerici cum Oratione cibum suum & potum ad comedendum benedicant, & cibo sumto Deo gratias referant. Item ordinavit, quod ipso facto sit irregularis, qui consilio vel qualitercumque homicidii reus fuerit, & qui sibi ipsi virilia amputaverit. Item convocatis CL. Episcopis ad Synodum damnavit Sergium, Pyrrhum, & Paulum haereticos. Hunc Spatarius intra Missam dum celebraret occidere volens, visu a Deo privatus est. Demum Sanctissimus Papa in Insulam Chersonam in exilium relegatus obiit, multis & magnis miraculis corruscans. Constituit etiam Martinus iste, ne Clerici omnino comam nutrirent. Eo mortuo vacavit Papatus menses XIV. 642. Feria sexta jejunari. Dies Dominica serietur. Benedictio mensae. Gratiarum actio mensae. Concilia contra Sergium, Pyrrhum & Paulum.

EUGENIUS PRIMUS Papa LXXVIII. sedit annos IV. Hic constituit, ut castitatem perpetuam habeant Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi; sicut Stephanus Gregorius, Leo Papa & sexta Synodus ordinaverunt *distinct.* XXXII. In majoribus ordinibus constitutus sit castus.

VITALIANUS vel VITELLIUS PRIMUS Papa LXXIX. anno Domini DCLIV. sedit annis XIV. menses VI. Hic cantum Romanorum composuit, & organa concordavit: nuntios misit Constantinopolim ad Imperatorem, ut Romanae Ecclesiae privilegia renovaret, qui postulata concedens misit Sancto Petro librum Euangeliorum auro scriptum, & gemmis ornatum. Hic praefecit Ecclesiae Canthuariensi Theodorum Monachum valde literatum, cujus liber poenitentionalis in Jure saepius allegatur. 654. Cantus & organa in Ecclesia. Theodorus & liber suus.

THEODATUS Papa LXXX. anno Domini DCLXVIII. sedit annos IV. menses II. Hic leprosum osculo mundavit, omnes desolatos ad 668.

Translatio Benedicti & Scholasticae. se venientes consolatos dimisit, petentibus nihil denegavit: tunc translatum est corpus Sancti Benedicti & corpus Sanctae Scholasticae sororis suae ad Monasterium Floriacense, ubi Joachim fuit Abbas.

672. DONUS Papa LXXXI. anno Domini DCLXXII. sedit annum menses v. Hic fecit Paradisum Romae ante Ecclesiam Sancti Petri in Vaticano.

673. Vestitus divisus. Sexta Synodus Constantinopolitana. AGATHON Papa LXXXII. anno Domini DCLXXIII. sedit annos II. menses VI. Hic constituit, ut distinctus sit habitus virorum ac mulierum, in vestibus & crinibus. Item, rogatus misit Constantinopolim legatos suos ad sextam Synodum Constantinopolitanam, ubi condemnati sunt omnes haeretici, & specialiter Eutichiani, praesidente Gregorio, Patriarcha Antiocheno CCL. Episcopis: tantae autem tunc aranearum telae in medio populi ceciderunt, ut haeresin Sardes merito significarent.

676. Pallium Episcopale. LEO SECUNDUS Papa LXXXIII. anno Domini DCLXXVI. sedit menses x. Hic constituit, ut Archiepiscopus pro pallio nihil dare teneatur; obiit autem IV. Kalendas Julii, vir quidem Sanctitate & scientia conspicuus.

Sanctus Chilianus Harbipolensis Episcopus. Wurtzburg. Harbipolis. Gailana meretrix. BENEDICTUS SECUNDUS Papa LXXXIV. sedit menses decem. Hic misit Sanctum Chilianum cum sociis suis, Colonato & Totnano in Germaniam ad Francones, ut eos converterent ab errore gentilitatis ad fidei Christianae pietatem, qui venientes in Wurtzburg & Verbum Dei ibidem, & in circuitu per duos annos instanter praedicarent, ipsumque Ducem jam convertissent, & totam fere provintiam, clam a concubina ipsius Ducis necati sunt. Ipsa vero dicta Gailana nomine, propter scelus hoc a Diabolo arrepta, & satellites qui ipsius jussu hoc fecerant, horribiliter interierunt.

Constantinus moritur. JOANNES QUINTUS Papa LXXXV. sedit annum unum. Eo tempore Constantinus Imperator obiit, & Justinianus eligitur.

680. HONORIUS, qui & Conon dicitur, Papa LXXXVI. sedit menses XI. Vir adeo probus fuit, ut plerique eum Angelicum vocarent: in nullo unquam Pontifice creando major ordinum consensus fuit.

687. Sanctus Guilibrordus. Pars Sanctae Crucis reperta. SERGIUS Papa LXXXVII. sedit annos XIV. menses VIII. Hic Sanctum Guilibrordum Episcopum ad Frisones misit, ut eos ad fidem converteret, quod & fecit. Item hic tempore Leonis Imperatoris invenit magnam partem Sanctae Crucis reconditam in Altari Salvatoris Romae; lege in passionali in Legenda Sanctae Crucis: statuit Sergius ut AgnusDei ter ante fractionem Panis Christi semper in Ecclesia caneretur. Ejus tempore Saxones fidem Christianam acceperunt.

Sanctus Lampertus. LEO TERTIUS Papa LXXXVIII. sedit annos II. menses XI. Hic propter malum introitum non ponitur in numero Romanorum Pontificum, quia vivente adhuc Sergio, Patricio sibi adnitente, violenter ostendit, quamvis Ecclesiae optime profuit. Eo tempore Sanctus Lampertus Leodinensis Episcopus Pipinum Principem, qui cognominabatur Grossus, corripuit de adulterio cum Hapaide meretrice, propter quod

quod Otho, frater adulterae, Episcopum occidit, & Christi Martyrem fecit. Pipinus Moechus.

JOANNES SEXTUS Papa LXXXIX. anno Domini DCXCV. sedit annos III. menses III. Hujus tempore Dagobertus senior Rex Francorum fundavit Monasterium Sancti Petri in Ertfordia. 695. Dagobertus Rex.

JOANNES SEPTIMUS Papa xc. sedit annos duos, menses VII. Homo sanctitate & eloquentia clarissimus.

SISIMIUS, sive SOSIMUS, Papa XCI. sedit dies tantum XX. sed brevem illius Pontificatum insignivit Benedicti Abbatis corpus, ex Cassino in Galliam furto translatum. Corpus S. Benedicti furto translatum.

CONSTANTINUS Papa XCII. sedit annos VII. Hic Justinianum, sine naso mortuum, Ecclesiae reconciliavit, & Philippum excommunicavit, eo quod imagines Christi & Sanctorum dehonestaverat. Illius tempore Romae per tres annos magna fames fuit, unde ipse Eleemosyna inopes adeo juvit, ut caelitus datus diceretur. Vir doctissimus in Graeca & Latina lingua fuit. 701. Fames Romae.

GREGORIUS SECUNDUS Papa XCIII. anno Domini DCCXV. sedit annos XVI. menses VIII. Hic constituit feria quinta per Ecclesiam jejunari, quod Melchiades prohibuerat ante annos CCCC.; & quia quinta feria, collegit tantum de Dominicis in aestate, & addidit Epistolas & Euangelia, ideo adhuc in Ecclesia concorditer non habentur. Feria quinta jejunari.

GREGORIUS TERTIUS Papa XCIV. sedit annos X. menses VIII. Eo tempore Wormatiae Archiepiscopatus fuit, qui modo Moguntiae est; & habuit Archiepiscopus Wormatiensis sub se XVI. Episcopos suffraganeos, & vocabatur Vangionum, sicut Spyra olim Nemetis vocabatur, Geraldo etenim Archiepiscopo Vangionum in bello occiso successit ei filius suus Gervilio, qui propria manu occidit interfectorem patris sui, dicens hunc versum: 731. Archiepiscopatus Moguntinensis Wormatiae fuit.

Accipe nunc ferrum quo patrem vindico charum.

Ideo Papa Gregorius misit illuc legatum suum Sanctum Bonifacium, qui comperta veritate, auctoritate Papae sedem Archiepiscopalem de Vormatia transtulit Moguntiam, & ibidem primus Archiepiscopus a Papa ordinatus. Construxit plura monasteria ordinis Sancti Benedicti, inter quae principalia sunt Hersvelt, & Fulda in Hassia. Idem Gregorius Papa Virnensem Archiepiscopatum constituit, quae civitas vocatur Vienna quasi Viennae eo quod a Viennio sit constructa. Addidit etiam in Canone: *Quorum solennitas hodie in conspectu Divinae majestatis tuae celebratur, Domine Deus noster in toto orbe terrarum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio.* Eo tempore Luitprandus Longobardorum Rex Romam aliquandiu obsedit, sed nihil profecit. Sanctus Bonifacius Episcopus Moguntinus. Archiepiscopatus Virnensis. Luitprandus Rex.

K 2 *D E*

DE IMPERATORIBUS.

718. LEO TERTIUS cum filio suo CONSTANTINO Anno Domini DCCXVIII. regnavit XXV. annis: hic omnes imagines Christi, beatae Mariae Virginis, & aliorum Sanctorum, in foro civitatis Constantinopolitanae cremari fecit, & multos de populo sibi non consentientes decollari praecepit. Unde Gregorius Papa praedictus triplici excommunicatione ipsum ligavit, & urbem Romanam cum Italia ab ipsius Imperio alienavit. Anno Imperii ejus primo Carlomatellus avus Caroli Magni Saxoniam bello vastavit, Anno Leonis V. Sarraceni Constantinopolim obsidentes triennio, compulsi sunt fame, peste, ferro & naufragio, per Carlomatellum venientem Imperatori in auxilium, inire fugam, quorum innumerabilem multitudinem idem Carlomartellus delevit. Item, post hoc Phrisones Burgundiam, Vestraciam & Lotharingiam vastantes, idem totaliter debellando subjugavit, nec tamen adhuc Rex fuit, sed Major Domus in Regno Francorum vocabatur. Anno VI. Luitprandus Longobardorum Rex ossa Sancti Augustini de Sardinia Ticinum sive Papiam transtulit: anno VIII. Imperii Leonis, Sanctus Priminius in Augiam venit, eamque a serpentibus crudeliter occupatam miraculose liberavit. Multi escam & potum suum ita consueverunt benedicere.

Imagines Sanctorum combustae.

Carlomatellus.

Constantinopolis a Sarracenis obsessa.

Carlomartellus non Rex sed Major Domus.

Ossa S. Augustini translata.

S. Priminius.

Sanctificet nostram Sanctus Priminius escam,
Priminii dextra benedicat pocula nostra.

Benedictio mensae contra venenum praesentissimum.

Et credunt quod nihil immundum aut nocens se abscondat, ubi sic benedicatur. Anno X. Carlomartellus factus est Rex Franciae, & XV. annis regnavit, sed effoeminatus & inutilis factus, plus ludis & mulieribus intentus fuit, & nimis remissus parum curavit de honore Regni aut exercitu militari. Anno XV. Imperii Leonis Sanctus Priminius ex Augia pulsus venit in Alsatiam: anno XVI. Beda Venerabilis Presbyter obiit anno Domini DCCXXXI., in die Ascensionis Domini, ante altare stans & decantans antiphonam, quam ipse composuerat: videlicet: *O Rex gloriae, Domine virtutum* & illa finita emisit spiritum ante altare, natus annos LXXV. tantusque odor suavitatis mox omnes perfudit, ut aestimarent se esse in Paradiso. Anno XX. Gregorius Papa misit Carolo filio Pipini claves sepulchri Sancti Petri Apostoli cum magnis muneribus, petens ut recedat a societate Constantini, filii Leonis, quod esset per omnia vitiosus. Eo tempore Sanctus Burcardus, qui postea factus est primus Episcopus Herbipolensis, & Folradus Abbas missi sunt a Pipino, Patre Caroli Magni ad Papam Zachariam, qui ad Hildericum Regem Franciae legatos miserat pro au-

Carlomartellus Rex factus.

Venerabilis Beda moritur.

Miraculum. Claves S. Petri Carolo missae.

S. Burcardus. Zacharias Papa.

auxilio ferendo sibi & Urbi, contra Aistulphum Regem Longobardorum, qui Romam obsederat, conquerentes quod Hildericus solo nomine Rex esset, & petentes, ut deponeretur Hildericus, & alius suo loco dignior Rex praeficeretur: quo a Papa justum & ratum judicato, Franci Hildericum deponentes fecerunt eum monachum, retrudentes in Monasterium Emmerani in Rhatisbona. Eo tempore Constantinopoli trecentena millia hominum pestilentia obierunt: Item terrae motus multas urbes subvertit, aliquas etiam integris & salvis muris cum habitatoribus suis de montibus in campestria transtulit. Eo tempore Turcae infestabant Armeniam, omnes per modum crucis in capitibus tonsi, quem tondendi ritum a Christiano quodam didicerant, cum gravis pestilentia patriam eorum devastaret. Eo tempore Syrus quidam pseudo-Propheta apparuit, & multos Judaeos seduxit. Item Sarraceni per mare angustum transeuntes Italiam & Hispaniam occupaverunt: sed cum post annos x. Aquitaniam occupare vellent, Carolus Martellus cum ipsis pugnavit, & de suis MD. viros amisit, sed Sarracenorum plusquam tricentena millia occisione occidit. Eo tempore Corpus Sanctae Petronellae translatum est, in cujus sepulchro inventa est tabula marmorea manu Sancti Petri Apostoli scripta taliter: *aureae. Petronellae. dulcis. simae. filiae. suae.* ut ait *Sigibertus.*

Aistulphus Rex.
Hildericus Rex deponitur, & in monasterium traditur.
Magna pestilentia.
Ingens terrae motus.
Turcae Armeniam invadunt.
Pseudo-propheta Judaeos seduxit.
Sarraceni multi occisi.
Corpus S. Petronellae inventum.

CONSTANTINUS VI. Leonis filius, anno Domini DCCXLII. regnavit XXXV. annis; homo ferus, & pessimus legum persecutor, recedens a Deo & omnibus Sanctis ejus, luxuriae insistens, maleficiis, invocationibus Daemonum, sacrificiis Idolorum, persecutionibus Ecclesiarum, peremtionibus Monachorum, & Monasteriorum devastationibus per omnia vitiosus, sicut Diocletianus. Hic dum baptizaretur cacavit in Sanctum lavacrum, in verum malitiae suae praesagium. Anno Domini DCC. Pipinus Rex Francorum divisit Regnum suum cum Patre suo Carlemanno; & sciendum; quod Regnum Francorum extendebatur a fluvio Mosella usque ad Hungariam. Carlomannus Austriam, Bavariam, Saxoniam, Sueviam, Thuringiam sortitus, anno IX. post multas insignes victorias Divino succensus amore, Romam venit, ubi a Zacharia Papa Clericus factus, cum magna devotione Monasterium Sancti Sylvestri in monte Serapte constructum introivit. Similiter & Ragissus Longobardorum Rex, cum liberis suis & uxore, seculum dereliquit, cui in Regno Aistulphus successit, homo valde malus, anno Domini DCCLII. Pipinus autoritate Stephani Papae, Rex Francorum appellatus est, & a Sancto Bonifacio Archiepiscopo Moguntinensi in Suesona, more Francorum, in solium Regni levatus, regnavit XVI. annis. Anno Constantini XIV. Sanctus Bonifacius, Archiepiscopus Moguntinus, cum sociis suis pro fide passus est in Frisia, anno suae peregrinationis XL., sed Pontificatus sui anno XIII. indictione VIII. Anno XVII. Aistulphus Longobardorum Rex obiit, cui successit filius suus Desyderius, qui fuit ultimus Longobardorum Rex. Anno XXI. Sanctus Othmarus abbas in In-

742.
Constantinus VI. natus Imperator.
Pipinus.
Regnum Francorum.
Carolomannus.
Carlomannus fit monachus.
Ragissus Rex fit monachus.
Pipinus Rex appellatus.
Sanctus Bonifacius patitur.
Aistulphus Rex.
Desiderius ultimus Longobardorum Rex.

Ecclipsis. Insulam Rheni relegatus, obiit. Eo anno Ecclipsis Solis fuit in Assumtione beatae Mariae Virginis hora sexta: anno xxv. hiems frigida nimis erat, & iterum Ecclipsis Solis facta pridie nonas Junii, quod est in vigilia Sancti Bonifacii Archiepiscopi & sociorum ejus, hora vi. Anno xxviii. Pipinus Rex Francorum obiit; indictione vii. cui in Regno Franciae successit filius suus Carolus Magnus, anno aetatis suae xxv., qui natus fuit in palatio regali, quod vocatur Ingelheim, distans a Moguntia miliaribus duobus. Hic anno paterni Regni & sui xxxix. Romanum Imperium adeptus est.

Pipinus obiit. Carolus M. ubi natus.

CAROLUS MAGNUS Pipini Regis Francorum filius anno Domini DCCLXXIX cum fratre suo Carolomanno regnavit annos iv. & postea solus xlii. annis, qui Carolomannus frater suus tantae fuit Sanctitatis, quod relicto Regno & pompa seculi, factus est Monachus in monte Serapte, ubi tanta humilitatis exempla cunctis praebuit, ut ipse pastor porcorum claustri fieret, usque ad obitum suum. Fuit Carolus corpore decorus, sed visu ferus apparuit: Statura longitudinis octo pedum fuit: facies ejus longitudinis palmi & dimidii, frons unius pedis, tantae fortitudinis fuit, ut militem armatum super equo sedentem, a vertice ad pedes usque uno ictu per sellam secare potuerit, & militem etiam armatum stantem super manum suam a terra usque ad caput suum una manu velociter & expedite elevare. Leporem integrum, aut duas gallinas, aut anserem unum solus edebat, sed modicum vini & lymphatum bibit, & raro plusquam ter in prandio aut coena bibebat, extra vices vero rarissime potabat. Magister Alcuinus, insignis Philosophus, docuit eum artes liberales: Iste Alcuinus, genere Anglicus, fuit vita sancta ac moribus clarus. De Roma studium liberale Parisiis transtulit, cui etiam Carolus commisit Monasterium Sancti Martini Thuronis reformandum, quod sciret, eum esse virum Sanctum, justum, ac sapientem. Monachi enim Monasterii illius, antiquae religionis omnino obliti & negligentes, sericis vestibus utebantur, & calceamentis auro textis. Vacabant carnis illecebris, comessationibus & ebrietatibus, & devotioni Divini officii minime studebant. Unde tempore quodam in dormitorio quiescentes, a Diabolo plurimi suffocati sunt. Hujus ergo Monasterii Alcuinus Abbas & Gubernator existens, ipsum in antiquam sanctitatem & regularem disciplinam restituit. Anno iv. Imperii Caroli Magni Corpus Sancti Othmari translatum est ad Monasterium Sancti Galli, fratribus autem sub regimine Sancti Othmari regulariter viventibus, vasculum vini saepius exhaustum, sedentibus ad refectionem fratribus, liquoris sui detrimenta non sensit. Anno v. Carolomannus, frater Caroli Magni, obiit. Anno vii. corpora Sanctorum Martyrum Gordiani & Epimachi de Roma translata sunt in Alemaniam, & recondita Campedio in Caenobio ordinis divi Benedicti ibidem constructo. Eo tempore misit Hadrianus Papa legatos suos ad Carolum cum instantia multa, ab ipso auxilium postulans, contra Desyderium Regem Longobar-

Carlomanni Sanctitas.

Caroli Magni mores.
Statura Caroli M.
Proceritas Caroli M.
Fortitudo Caroli M.
Edacitas Caroli.

Magister Alcuinus Caroli M. Praeceptor.
Gymnasium Parisiis.
Monasterium Sancti Martini Thyronis reformatur.

Monachi a Diabolo suffocati.

Corpus S. Othmari translatum.
Othmari vasculum.

Gordiani & Epimachi corpora.

bardorum. Unde Carolus congregato exercitu copioso per montem divisum Italiam intravit, & Papiam potenter obsedit, ubi Desyderium Longobardorum Regem cum liberis & uxore capiens, ad Aquasgranum in exilium misit. Sicque Regnum Longobardorum, quod per annos cc cum magno Imperii Romani dispendio duraverat, Carolus terminavit; & Imperio incorporavit, in cujus memoriam Imperatores, priusquam coronam Imperii adipiscantur in urbe Romana, coronantur in Mediolano corona ferrea. Anno XII fames & mortalitas magna Franciam vastavit: anno XIII. Leo vel Hadrianus Papa, ut alibi legitur, Pipinum filium Caroli baptizavit: anno XIX. Ecclipsis Solis magna facta est XV. Kalendas Octobris, hora secunda. Eodem quoque anno cruces in vestibus hominum apparuerunt. Anno XXIII Carolus per annum integrum sine bello fuit cum pace in Wormatia. Anno XXVIII. Saxones fidem Christianam relinquentes, saepius Imperio rebellantes, Carolus bello superat gloriose, & tertiam partem virorum omnium puberum & impuberum obsides accepit, ne ut antea a fide Catholica resilerent, & ne amplius unquam a subjectione Imperii discreparent. Anno XXXII. Romani Leonem Papam excaecaverunt; anno Domini DCCC.

Carolus Italiam petit.

Regnum Longobardorum cessavit.

Fames & pestilentia.

Ecclipsis.

Cruces in vestimentis.

Saxones a fide Christiana apostrophant.

DE SUMMIS PONTIFICIBUS.

ZACHARIAS Papa XCV. anno Domini DCCXL. sedit annos X. menses III. Hic constituit, ne Sacerdos infulato capite Missam celebraret, nec cum baculo pastorali. Item caput Sancti Georgii Martyris invenit in scrinio aureis literis Graecis depicto, item librum dialogorum Sancti Gregorii transtulit in Graecum, quia in Graeca & Latina lingua eruditus fuit. Sub illo Papa Zacharia facta est distinctio Episcopatuum Bavariae, de consensu tamen Regis Pipini, videlicet Saltzburgensis, Passaviensis, Aichstetensis, Regensburgensis & Frisingensis. Isti enim Episcopatus prius, usque ad illud tempus, divisi non erant: voluit etiam tunc Sanctus Bonifacius, Archiepiscopus Moguntinensis, Papalem sedem Moguntiam, & Episcopalem ad Ertfordiam transferre, sed Papa noluit consentire. 740.

Caput S. Georgii.

Distinctio Episcopatuum Bavariae.

STEPHANUS SECUNDUS Papa XCVI. sedit annos V. Hic propter infestationes Aistulphi Regis Longobardorum, personaliter in Franciam pergens, id est, in Alemanniam, quae adhuc Francia dicitur (quia Provintia quae modo Francia nuncupatur, tunc Provintia Gaudinae, vel Galliae dicebatur) constituit Pipinum Patrem Caroli Magni in Regem Francorum, qui antea fuit Palatinus Rheni, & Major Domus in Regno Francorum appellabatur. Pipinus Papae reveren-

Stephanus in Germaniam ad Pipinum venit.

renter occurrens, mox ut vidit Vicarium Christi, de equo suo descendens, duxit equum Papae per tria miliaria, sedentis super eum, cum multa reverentia & humilitate usque ad Palatium suum Kaiserstutter in Westrania; ibi Stephanus Papa Regem ut Romanae Ecclesiae adversus Aistulphum auxilio esse velit, magna humilitate precatur. Pipinus votis suis per omnia consentiens ait: Sancte Pater! nobilis Germania nobiles milites assidue germinat, per quos Deo favente Aistulphi cum suis Satrapis compescemus superbiam, ne ultra tibi & Sanctae Ecclesiae molestias inferat, sicut hactenus fecit. Collecto ergo grandi exercitu perrexit Romam, & Aistulphum, qui jam urbem obsederat, potenter humiliavit, & juramento corporali ab eo & Principibus suis sumto, quod de cetero nunquam aliquas molestias Papae, urbi aut Ecclesiae inferre velint, reversus est in Regnum suum: licet major pars exercitus sui propter aërem inconsuetum interierat. Transtulit etiam praedictus Papa tunc Imperium a Graecis in Germanos in Magnificam Personam Caroli: require de hoc Extra, de electione, *venerabilem* per totum.

Palatium Caroli in Westrania.

Nobilis Germanus.

Aistulphus Rex victus.

Imperium a Graecis in Germanos translatum.

755. PAULUS Papa XCVII. anno Domini DCCLV. sedit annos decem menses II. Hic transtulit corpus Sanctae Petronellae, de quo require supra ubi dictum est de Leone III. Imperatore & filio suo Constantino. Fuit autem Paulus Papa mitissimus, nulli malum pro malo reddens: nocte cum paucis circuivit hospitia infirmorum, viduis, captivis, pauperibus, orphanis necessaria porrigendo. Eo tempore Sanctus Gangolphus claruit, qui propter uxorem suam meretricem, a Clerico quodam Apostata, cum ea mechante, occisus fuit: cumque multis & variis miraculis corruscaret, arridens illa maledicta meretrix ejus ait: Ipse facit miracula, sicut culus meus turpes emittit sonos; statimque ut hoc dixit, ipsa sonoros flatus & adeo male foetentes emisit, ut a nemine tolerari potuerit, & hoc absque intermissione usque ad obitum suum.

Corpus S. Petronellae.

S. Gangolphus Martyr.

Divina vindicta.

765. CONSTANTINUS SECUNDUS Papa XCVIII. ex Laico Presbyter subito factus, ambitione tyrannica sedis Apostolicae invasor cum magno scandalo sedit menses XIII., nec ponitur in numero Pontificum, quia dicitur esse depositus omnino, & de consortio fidelium excommunicatus, & in monasterium tanquam in perpetuam carcerem retrusus, paulo post excoecatus est.

Invasor sedis Apostolicae.

766. STEPHANUS TERTIUS Papa XCVIII. qui praedecessorem suum, quem invasorem potius quam Papam nominamus, excommunicavit. Iste felix Stephanus, in Synodo degradavit omnes ordinatos a Constantino antecessore & Apostolicae sedis invasore, & renovavit omnia quae fecerat, praeter baptismum & chrisma.

Omnes ordinationes cassatae.

770. HADRIANUS PRIMUS Papa XCIX. anno Domini DCCLXX. sedit annos XXIII. menses X. Hic muros turresque Romae renovavit fundamentis, & Ecclesias plures fabricavit, duas Synodos celebravit, & Carolo Magno jus eligendi Pontificem Romanum dedit, & sedem Apo-

Jus eligendi Romanum Pontificem Carolo Magno datum.

Apostolicam ordinandi & ut singularum provinciarum Archiepiscopi & Episcopi a Romano Imperatore investituras recipiant, & omnes contradicentes excommunicavit; *dist.* LXIII. Similiter Stephanus supradictus *Extr. de elect. venerabilem.* Vide ibi apparatum. Idem etiam Hadrianus inhibuit officium Ambrosianum, praeterquam in Ecclesia Ambrosiana, hoc est in Mediolano decantari, & Gregorianum ubique praecepit observari: require de hoc sivis in *legenda Sancti Gregorii Papae.* Officium Ambrosianum. Officium Gregorianum.

LEO QUARTUS Papa centesimus, anno Domini DCCXCVI. sedit annos viginti, menses v. Hic fuit genere & natione Alemannus, frater Comitis de Calive, cujus electioni invidentes propinqui & amici praedicti Hadriani Papae, cum Leo Papa jam actu majores perageret Litanias, populo contra ipsum concitato, falso sibi turpe crimen imponentes oculos ambos eruerunt, & linguam ei praeciderunt, ac semivivum & omni vestitu nudatum in platea Romae jacere dimiserunt. Ideoque cum Carolo hoc nunciatum esset, Romam venit, judicio praesedit, & Deus Papae oculos propter innocentiam suam restituit ac loquelam. Carolus Augustus in omnibus magnificus, & Princeps justitiarius, de Potentioribus Romanis ccc. viros in campo Lateranensi decollari fecit, & plures alios qui Papam non defensaverant, exilio perpetuo multavit. 796. Papa excoecatus. Miraculum. Carolus judicio praesedit.

STEPHANUS QUARTUS Papa CI. anno Domini DCCCXV. sedit menses VII. Hic Lodovicum Imperatorem, cognomento Pium, filium Caroli Magni coronavit, qui Lodovicus balsamatus adhuc integer & inconsumtus, in civitate Metensi ostenditur. 815. Lodovicus Imperator coronatus.

DE IMPERATORIBUS.

LEO QUARTUS filius Constantini VI. anno Domini DCCLXXVII. cum uxore sua Hyrene regnavit annis quinque in Oriente, scilicet in Constantinopoli. Hic in Ecclesia quadam coronam carbunculis ornatam vidit, & eam concupiscens, inde abstulit: sed capiti suo imponens in medio populi cecidit & exspiravit, trementibus universis. Hyrene Imperatrix. Divina ultio.

CONSTANTINUS SEPTIMUS, praedicti Leonis filius, anno Domini DCCLXXXII. cum matre sua Hyrene regnavit annis XVII. Eo tempore quidam fodiens in longis muris Graeciae invenit arcam lapideam, in qua jacuit mortuus homo diu ante Nativitatem Christi ibidem sepultus, laminam aureis literis inscriptam in manu habens, in quo haec verba; *Christus nascetur ex Maria Virgine, & ego credo in eum, quia Deus est ex Deo genitus ab aeterno. O sol! sub Constantino Impe-* 782. Corpus hominis mortui repertum. Et prophetia.

ratore & matre sua Hyrene me iterum videbis: hic a multis fuisse cre-
Plato repertus. ditur Plato. Constantinus & Patriarcha Hierosolymitanis scripserunt
Terra Sancta per Carolum recuperata. Carolo, postulantes ut succurreret terrae Sanctae, quod & fecit & cum magno exercitu eam recuperans cum gaudio & gloria reversus est Constantinopolim, ubi aurum multum & gemmas preciosas sibi oblatas recipere recusavit, sed postulavit ex omnibus Sanctorum reliquiis arcam unam: territus Constantinus clausit reliquias preciosissimas in arca vili, sed alias in scrineis aureis & gemmatis. Carolus vero id ignorans praemisit jejunium triduanum, & tunc praemonitus ab Angelo dicitur,
Miraculum. ut inter omnia scrinia vilius eligeret: ideo relictis scrineis aureis atque
Spinea Christi Corona. gemmatis elegit vilem arcam, in qua erat pars spineae Coronae Salvatoris nostri, quae ad preces gloriosissimi Caroli tunc florere cepit: Item
Clavus unus Christi. Clavus unus, quo manus Christi perforata fuit. Item satis magna
Sudarium Christi. portio Dominicae Crucis; Item Sudarium Christi, item Camisia beatae
Vestis beatae Mariae. Virginis Mariae. Item Brachium Sancti Simonis Apostoli, quae omnia miraculis multis comitantibus, Carolus cum gaudio secum ferens trans-
Ecclesia Aquisgrani. tulit ad Aquisgranum, & in Basilica quam ipse ibidem in honore beatae Virginis construxerat, cum magna devotione collocavit. Item Constantinus Imperator Constantinopolitanus praedictus Hyrenem matrem suam expulit de Regno, quae ob hoc valde commota ipsum &
Hyrene sola regnat. omnes liberos suos excoecari procuravit, & ipsa sola Imperium Orien-
Nicephorus Imperator. tis potenter tenuit tribus annis. Illi successit Nicephorus homo avarissimus, qui regnavit Constantinopoli IX. annis. Post Nicephorum
Michaël Imperator. Michaël regnavit, Princeps bonus, duobus annis. Iste Michaël sua liberalitate ditando omnes sublimavit, quos Nicephorus avarus & crudelis spoliaverat: Ipse etiam ut Vir Orthodoxus omnes haereticos Catholicae fidei adversarios omnino extinguere conabatur. Hi duo, scilicet Nicephorus & Michaël Imperatores, non fuerunt nec vocari pos-
Imperium Romanum. sunt Romani Imperatores; sed Constantinopolitani, quia Romanum Imperium jam antea fuerat in Carolum M. & suos haeredes translatum.
Libri S. Dionysii. Praedictus Michaël libros Sancti DIONYSII AREOPAGITAE de Divinis Nominibus & de Angelica Hiërarchia de Graeco in Latinum translatos transmisit Lodovico Pio Imperatori, filio Caroli Magni, qui eos pro magnis muneribus accepit.

801. CAROLUS igitur Magnus, Pipini Regis Francorum filius, Imperiali benedictione a Papa Leone sublimatus, Augustus & Caesar Romanus publice proclamatus est, & ab omnibus appellatus. Anno Regni sui XXIX. ab Incarnatione Domini DCCCI. ab urbe condita MDLII.
Sedes Romani Imperii quamdiu in Constantinopoli. a Caesare LXXXII., a Constantino CCCCXC. sedes imperialis fuit in Constantinopoli, vocabantur nihilominus Imperatores Romani; quia Imperator Constantinus mira devotione motus, ut Papa Sylvester & sui successores cum Clero universo quietius divinis obsequiis vacare possent,
Sedes Imperii quare translata. sedem Imperialem transtulit de Roma Constantinopolim; quia curiam Imperialem multus semper concomitaretur tumultus & inquietudo, quae devotionem multis distrahunt, & obsequium Divini cultus non modi-

modicum impediunt & conturbant. Carolus tamen sedem Imperialem rursus de Constantinopoli Romam transtulit, & jus eligendi Romanum Imperatorem Teutonicis Principibus dedit, & acquisivit, quando Imperator absque haeredibus masculis moreretur. Fuit enim Romanum Imperium in Personam Caroli Magni & Haeredum jure perpetuo translatum, quod Otho Tertius, qui vocabatur mirabilia mundi, haeredes non habens masculos per lineam descendentem, statuit & praecepit, ut Imperatore mortuo, quatuor Principes, qui sunt Palatinus Rheni, Dux Saxoniae, Marchio Brandenburgensis & Rex Boëmiae, qui tunc Dux erat, & postmodum ab Imperatore Frederico in Regem sublimatus, anno Domini MC. in oppido Franconafurdo congregati, pro consilio tribuendo ad eligendum dignum in Imperatorem, ad se vocarent tres Sacri Imperii Archicancellarios, ut sunt Archiepiscopus Moguntinus, qui est per Germaniam Archicancellarius, & Treverensem, qui est per Galliam, & Coloniensem qui per Italiam, & haec vocatio eorum trium Archiepiscoporum ex consuetudine primum jus elegendi ipsis contulit, & ut primas tres voces in eligendo habeant, sicut habes in apparatu super decretalem illam, *extat de electione venerabilem.* Sunt igitur Principes VII. quibus electio competit ratione juris & approbatae consuetudinis, ipsis inquam ac successoribus eorundem, scilicet tribus praedictis Archicancellariis, quorum in eligendo primam vocem habet Moguntinensis, secundam Treverensis, tertiam Coloniensis. Quatuor autem Principes tunc hoc ordine eligunt: Primo dux Palatinus Rheni; post hunc Dux Saxoniae; Tertio Marchio Brandenburgensis; Ultimo Rex Boemiae, qui fuit dux, quando Electores Regis sunt instituti. Horum septem Electorum ordo & ministeria his versibus continentur:

Jus eligendi Imperatorem.

Otho Tertius septem Principes Electores constituit.

Tres Rom. Imperii Cancellarii.

Septem Principes Electores.

Moguntinensis. Treverensis. Coloniensis. Episcopus Palatinus Rheni Dux Saxoniae. Marchio Brand. Rex Boëmiae.

Est Moguntinus, Treverensis, Coloniensis,
Quilibet Imperii nunc Cancellarius, horum
Estque Palatinus Dapifer, Dux portitor ensis,
Marchio praepositus camerae, Pincerna Boëmus.
Hi statuunt Regem, servant hoc ordine Legem,
Atque creant Dominum cunctis per saecula summum.

De statura Caroli superius notavi: de vita ejus gloriosa, religiosa, victoriosa, miraculosa, potentissima, justissima & omnibus legentibus stupenda, vide volumen egregium compilatum, in quo multa utilia & delectabilia continentur, quae omnia brevitatis amore & taedii evitandi, me praetermittere oportet. Igitur Carolus annis XII. Imperium tenuit. Imperatores Constantinopolitanos fratres suos nominans, anno secundo Graeci cum Carolo pacem firmaverunt: anno tertio terrae motus factus est per totum orbem; & mortalitas subsecuta in multis provinciis, & fere per totum orbem terrarum. Anno VII. Ecclipsis Solis facta est III. Idus Februarii hora VI. Anno X. Carolus thesauros

Liber de Caroli gestis.

Terrae motus & pestilentia.

Caroli testamentum. suos in Ecclesias & Diocaeses dividendo, Christum suum haeredem fecit. Anno XII. febre ac pleuresi vexatus, sancto fine in pace quievit Aquisgrani, ac ibidem in Basilica, quam ipse in honorem gloriosae Virginis Mariae ex lapidibus marmoreis diversi coloris construxerat, est sepultus. Videns enim Imperator, Deo devotus, mortem sibi certis indiciis proxime imminere, jussit se portari in Basilicam memoratam, & perceptis ibi Sacramentis Eucharistiae & Unctionis extremae inter manus multorum Sacerdotum & Monachorum, Deum laudantium, orans & psallens, feliciter in Domino obdormivit; scriptus est autem in muro talis versus:

Caroli M. felix obitus.

Tactus febre loco Carolus decessit in isto.

Epitaphium Caroli Magni.

Obiit itaque beatissimus Imperator, novae legis perfectus zelator, annorum LXXI., Sanctorum numero aggregatus, quinto Kalendas Februarii anno Domini DCCCXIV. Indictione VII. Fecerat Carolus omnes literas alphabeti aureas, quamlibet pensantem centum libras grossorum Thuranensium. Et tot monasteria, quot sunt literae in Alphabeto, fundavit, & posuit in uno quoque monasterio quod fundaverat, unam praedictarum literarum.

Monasteria a Carolo fundata.

815. LODOVICUS, *cognominatus* PIUS, Caroli M. filius, anno Domini DCCCXV. regnavit XXVI. annis. Michaël Imperator Coustantinopolitanus misit Ludovico inter caetera pretiosa munera libros Sancti Dionysii de Divinis Nominibus, & de Angelica Hiërarchia in Latinum translatos, quorum contractu XXI. infirmi protinus curati sunt. Eo tempore Honoldus Suecorum Rex cum uxore sua, & liberis familiaque sua tota Moguntiam veniens baptizatus est a bonae memoriae Rabano, Archiepiscopo ejusdem urbis, qui tunc floruit egregius Doctor Ecclesiae, & discipulus ejusdem Strabus, qui post eum ejusdem loci factus est Antistes. Hic Strabus librum de Officio Ecclesiae scripsit Imperatori Ludovico. Isti duo Pontifices & Symachus, etiam natione Teutonicus, fuerunt ordinarii Glossatores Bibliae, unde quandocunque dicitur generaliter Glossa, & non nominatur in speciali Glossator, intelligendum est de uno trium istorum praedictorum, quod est magna praerogativa Teutonicorum respectu ad alias nationes. Eo tempore etiam in Gallia ante festum Sancti Johannis Baptistae cecidit ex aëre fragmentum glaciëi, cujus longitudo XV. latitudo sex, spissitudo duorum pedum erat. Imperator Lodovicus eo tempore magnum Concilium congregavit Aquisgrani, in quo Concilio regula & modus honestus vivendi Canonicorum, de diversis Patrum sententiis compilatus est; multa alia de statu & vita ac honestate Clericorum & Religiosorum utiliter sunt contractata & ordinata: Videntur etiam eo tempore alia multa Concilia in diversis mundi partibus celebrata. Tunc ex decreto Patrum & edicto Imperiali omnes Praelati, omnes inferiores Clerici compulsi sunt cingula auro texta & alia ornamenta vestimentorum, equo-

Libri S. Dionysii. Honoldus Rex. Rabanus.

Strabus. Symmachus. Glossatores Bibliae ordinarii tres.

Glacies de coelo cecedit. Concilium Aquisgrani habitum.

Multa Concilia. Status Christianorum reformatus.

quorum, frenorum & habenarum & similium deponere; Eo quoque tempore Lodovicus Imperator Theodolphum Episcopum Aurelianum, falso accusatum in Angodam custodiae mancipavit, cum autem in die Palmarum processio solemnis ante carcerem fieret, in quo Sanctus Pontifex tenebatur inclusus, aperiens fenestram carceris (uti erat Poëta & Cantor egregius) factoque silentio, praesente Lodovico Imperatore cantavit alta voce hymnum, quem ipse composuerat, Theodolphus Episcopus.

Gloria laus & honor tibi sit Rex Christe Redemtor, Cantus, Gloria laus & honor.

cum caeteris versibus qui sequuntur, usque in finem: qui hymnus cum cantu suo adeo Imperatori placuit, quod ipsum statim a vinculis absolvit, & ad Ecclesiam suam cum gloria redire fecit. Hymnum autem praedictum a summo Pontifice impetravit per totum orbem eo die cantari. Tunc temporis fuit puella XII. annorum in Dioecesi Tullensi, quae post sacram communionem perceptam in Pascha, per annum dimidium in pane & aqua jejunavit, & postea ab omni cibo & potu per tres annos integros continue abstinuit, & interim Corpus Christi continue recepit, sana & incolumis corpore perseverans. Illo etiam tempore Lodovicum Imperatorem filii sui capientes aliquandiu incluserunt: sed eodem anno poenitentia ducti, veniam ab ipso postulantes, ipsum ad pristinam dignitatem restituerunt, nihil enim ipsi mali imponere poterant praeter largitatem, quam esse prodigalitatem dicebant. Tunc multae villae igne coelesti exustae sunt; homines & animalia ictu fulminis exanimati, fruges grandine protritae, lapides de coelo lapsi, & magna mortalitas subsequuta. Anno Imperii sui x. nix magna ubique terrarum cecidit in festo Sanctorum Martyrum Mauricii & sociorum, & duravit usque ad Pascha, in tota regione per XXIX. hebdomadas. Anno XVII. Coenobium, quod Hyrsaug vocabatur, in Nigra Sylva prope oppidum Calvc fundatum esse videtur, sed de hoc invenies plura inferius. Anno Domini MXXV. sub Conrado Primo Imperatore, anno Imperii Lodovici XXVI. facta est Ecclipsis Solis, tertio nonas Maji hora VIII. Eodem anno obiit pius Imperator Lodovicus XII. Kalendas Julii, sepultus in majori Ecclesia Metensi.

Lodovicus Caesar capitur a filiis.

Nix spissima.

Coenobium Hyrsaugiense.

Ecclipsis.

LOTHARIUS PRIMUS, Lodovici Pii filius, anno Domini DCCCXLI. regnavit annis XV. Hujus fratres, Lodovicus, Carolus, & Pipinus, omnes Lodovici praedicti filii, cum Lothario Imperatore fratre suo in pago Altisiodorensi tam grave bellum commiserunt, quale nulla hominum aetas meminit, nec tantam stragem unquam factam fuisse in Regno Francorum: ibi enim in utroque exercitu interierunt duodecies centena millia: deinde mortuo Pipino Lotharius & Carolus concordati ita paciscuntur, quod Lotharius & sui haeredes Imperium obtineret, & Franciae partem, quam postea de se Lotharingiam vocavit, & quod ipse ac haeredes sui solummodo, & non aliorum fratrum haeredes, dicerentur Reges & Imperatores Romanorum: Carolus vero Secundus Frater obtinuit Gal-

Bella fraterna cruentissima.

Maxima hominum caedes.

Lotharingia a Lothario.

Carolus Rex Francorum.

Galliam, Siciliam, Belgicam & Narbonensem, & conclusum fuit, quod de caetero ipse ac successores sui deberent scribi & appellari *Reges Francorum: prius enim semper, usque ad istud tempus, Reges Francorum Teutonici* appellabantur; unde historias temporum male intelligentes quando legunt, quod Sigibertus Rex Francorum fundaverit Monasterium Sancti Galli, vel Dagobertus Episcopatum Argentinensem, & his similia, putant, quod hi Reges natione fuerint Gallici, quod tamen verum non est: quia in divisione haereditatis hoc nomen Rex Francorum sortitus est. Carolus & sui haeredes, postquam pace inter tres illos fratres reformata conclusum fuit, ut Lotharius primo genitus ac sui successores haereditario jure appellari deberent Romanorum Reges aut Imperatores. Carolus vero secundo genitus dici deberet Rex Francorum cum suis haeredibus. Sed Lodovicus tertio genitus nec Romanorum nec Francorum, sed Rex Bavarorum vocaretur, ut propter hoc, quod utroque Regio nomine, quod sibi ex paterna successione competere debuerat, caruit, ideo in substantia ipsi refusum fuit. Obtinuit enim in portione haereditariae successionis totam Bavariam (à qua Rex Bavariae dictus fuit) Carinthiam, Carniolam, Styriam Austriam, Moraviam, Bulgariam, Misniam, Hassiam, Thuringiam, Saxoniam & Sclandiam usque ad mare Lubecense, sed ipse fuit primus & ultimus Rex Bavariae: mortuus est enim absque liberis, sepultus in Lorche, coenobio nunc ordinis Sancti Benedicti, quod ipse construxerat *an den bergstrans*, in diocaesi Wormatiensi. Nunc vero ibi morantur Praemonstratenses. Lodovicus igitur fratrem suum Lotharium haeredem constituit, qui Regnum illud, quod ex fraterna sibi successione obvenerat, in plures Principatus, in Ducatus, Marchionatus, Lantgraphiatus divisit, sicut & nostris temporibus adhuc videmus esse. Lotharius poenitentiam agens de tanta hominum strage, & humani sanguinis effusione, divortio inter ipsum & Irmegardim uxorem suam celebrato, habitum Monachalem accepit in Monasterio Bremensi, ordinis divi Benedicti, in Provincia Lotharingiae, filio suo Lodovico, adhuc puero, Imperio relicto. Uxor vero ejus Irmegardis monasterium fundavit Sanctimonialium ejusdem ordinis, scilicet Sancti Benedicti, in Alsatia, in villa quae vocatur Erenstein, super fluvium qui vocatur Illa vel Alsa, in quod monasterium ipsa statuit nullam recipi debere puellam, nisi ingenuam, ex omnibus progenitoribus liberae conditionis existentem. Dotavit etiam monasterium illud magnis divitiis, & ornamentis pretiosis altarium in Ecclesia. Leo Papa ab reverentiam Imperatricis, & Imperatoris Lodovici filii sui, idem coenobium dotavit multis & magnis reliquiis, mittens per Apocrisarium suum Joseph illuc caput Sanctae Ceciliae Virginis ac Martyris integrum, quod tamen postea quaedam Abbatissa ibidem per discordiam electa dedit Archiepiscopo Moguntinensi, ut electionem suam confirmaret; misit quoque huc idem Papa corpora Sanctorum Sixti Papae, Urbani Papae, Sanctorum Martyrum Felicis & Adaucti, & alias

Francorum Reges olim Teutonici.
Sigibertus.
Dagobertus.
Lotharius primo-genitus.
Carolus secundo-genitus.
Ludovicus tertio-genitus.
Primus & ultimus Rex Bavarorum.
Coenobium Lorche.
Regnum Bavariae divisum.
Lotharius fit Monachus.
Irmegardis uxor Lotharii.
Monasterium Erenstein.
Leo Papa.
Caput S. Ceciliae.
Corpus S. Sixti Papae, corpus S. Urbani Papae, corpora Sanctorum Felicis & Adaucti Martyrum.

sias plures venerandas reliquias. Sed proh dolor! tanta successu temporis in illo monasterio facta est mutatio, non dextra excelsi Dei, sed potius funesti Diaboli & malitiosi, quia modo potius mereatur dici prostibulum lasciviae carnalis, quam monasterium continentiae regularis. Anno x. Imperii sui Lotharius reliquit mundum, & monachus probus factus multis claruit virtutibus; qui quando obiit, daemones & Sancti Angeli pro anima ejus horribiliter pugnaverunt, quod omnes qui ejus exequiis interfuerant, timor & tremor maximus invaserit, sed orantibus cum fletu Sanctis Monachis praesentibus & aliis viris Sanctis assistentibus, benedicti Angeli praevaluerunt & daemones confusi recesserunt. Item imperante adhuc Lothario corpus Sancti Martini à tumulo levatum est, post obitum suum CCCCIX. annis, & in arca aurea pretiosis gemmis ornata repositum. Eo etiam tempore Imperator Lotharius transtulit Liberium Episcopum de Zanamannis in Badabron, cui Clerici & cives Thuronenses cum reliquiis Sancti Martini, venerabiliter cum processione occurrerunt, & dum reliquiae Sancti Liberii transportarentur, ecce quidam dives leprosus cum servis suis & amicis veniens, procidit coram arca Sancti Martini, rogans cum devotione & lachrymis, ut eum lepra mundaret; cui statim vox ex arca Sancti Martini respondit: *Ego te ex una parte corporis tui volo mundare, reliquam partem fratri meo Liberio mundandam relinquo, semper enim hospites venerandi sunt.* Itaque ille dimidius sanatus cum omni populo procidit coram Liberio, cujus reliquiae servabantur per noctem in Ecclesia Sancti Martini, & repente penitus est curatus. Require pene huic simile infra anno Domini DCCCLXXXVI, sub Stephano quinto Pontifice.

Obitus Lotharii Imperatoris & quid in ea factum.

Corpus S. Martini sublevatum.

S. Liberius transfertur. Miraculum.

856.

LODOVICUS SECUNDUS filius Lotharii cum fratre suo Lothario, anno Domini DCCCLVI. regnavit annis XXI. Hujus Lodovici filius nomine Carolus tribus diebus a daemone vexatus, confessus est; se contra patrem conspirasse. Eo tempore in Bryxia civitate Italiae vel Longobardiae, tribus diebus ac noctibus purus sanguis de nubibus pluit. Item in Gallia ubique locustae terram replentes, quasi spissa nix operuerant, sex alas, & sex pedes singulae habuerunt, & duos dentes lapidibus duriores, turmatim quoque a loco uno in alium volantes per quatuor miliaria herbas, segetes & arbores vastaverunt usque ad mare Britannicum, ubi flatu ventorum in mare propulsae omnes submersae sunt, & rursus fervore salis ad litus rejectae putriverunt, & ab eis aëre corrupto tam pestilens morbus secutus est, ut fere tertia pars hominum interierit. Simile factum de locustis contigit in Franconia, Hassia, Thuringia anno Domini MCCCXLI. Tempore etiam Lodovici Imperatoris Adolphus Rex Angliae Romam veniens obtulit Sancto Petro tributum perpetuum, videlicet de qualibet domo totius Regni sui nummum argenteum: illud tributum datur usque in praesentem diem. Item, anno Domini DCCCLVI. in Parochia Moguntina maligni Spiritus ad ostia domorum quasi malleis pulsantes, aut lapidibus, homines excitabant, & postea domos plurimas incenderunt: Clericis

Carolus Lotharii filius a daemonio vexatus. Sanguis pluit. Locustae fuerunt.

Pestis saevissima ex Locustis.

Adolphus Rex Angliae.

Daemones domos incenderunt. ricis vero Litanias agentibus & aquam benedictam spargentibus dixit Diabolus: Se ad aspersionem aquae benedictae sub cappa Presbyteri cujusdam latuisse, qui cum filia procuratoris praecedente nocte fornicatus fuit: per integrum triennium malignus Spiritus ita institit, donec aedificia cuncta incendio consumta essent; coacti fuerunt homines in campis habitare. Eodem tempore Rex Bulgarorum cum tota gente sua baptizatus tantae perfectionis extitit, ut majori filio Regno relicto, ipse habitum assumeret monachalem: sed cum ille ad cultum gentilitatis redire vellet, pater devotus habitum monachalem deponens, militiam resumsit, filiumque suum persequens, coepit & excoecavit, & eum in carcerem perpetuum trusit, & filio germano prioris in Regem ordinato, pater ut prius resumsit habitum monachalem. Eodem tempore mare congelatum est usque Venetias.

Rex Bulgarorum baptizatus.

Mare congelatum.

877. CAROLUS SECUNDUS, qui Calvus dictus fuit, anno Domini DCCCLXXVII. regnavit annis duobus: iste fuit patruus Lodovici praecedentis, & multa monasteria construxit, Ecclesias & multa monasteria renovavit. Compedunum oppidum de suo nomine Carolopolim appellavit, & Constantinopolis adinstar eam construere cogitavit. Cum autem a Galliis in Italiam pergeret, aegrotare incipiens a Judaeo quodam potionatus, in Alpibus vitam finivit.

Compedunum, Carolopolis.

CAROLUS TERTIUS a Johanne Papa baptizatus & coronatus regnavit annis XII. Hic corpore & spiritu deficiens a Principibus est dejectus, sicque vivus Regnum amisit. Eo tempore Nortvegii & Dani Coloniam, Treverim & multas alias civitates, oppida & castra super Rhenum & Mosellam in Alemannia & Lotharingia devastant, tandem baptizati, partem Franciae trans fluvium Secanam, quae adhuc ab eis Northmannia dicitur, pacifice possederunt. Eo etiam tempore Bulgari de Scythia a Pincernatis expulsi, Hunnos, qui Hungari esse creduntur, de Pannonia ejecerunt, qui adeo tunc incultorum morum erant, ut crudis carnibus & sanguine vescerentur. Lotharius quidam Rex Franciae, propter fornicationem excommunicatus, ad se expurgandum Romam cum multis Principibus suis venit ad Hadrianum Papam, qui sibi & Principibus suis Sacramentum Eucharistiae porrexit tali conditione: ut qui indigne accederent, intra illius anni spatium morerentur, quod & divina ultione subsecutum est: nam & Rex, ac Nobiles flagitii conscii & participes, in via reversionis de Curia interierunt omnes. Floruit etiam tunc Johannes Scotus, qui Hierarchiam Sancti Dionysii de Graeco in Latinum translatam subtiliter postulavit: Eum postea discipuli sui stylis confodientes peremerunt. Eo tempore corpus Sancti Martini in Antisiodorum ad Sanctum Germanum, ejusdem urbis Pontificem, ad postulandum gratiam & auxilium in tribulatione, quae imminebat populo, portatum fecit, ubi monachi utriusque Sancti, pro suo Sancto litigantibus, & miracula quae ibi fiebant utrique suo Sancto adscribentibus, leprosus quidam in medio utriusque Sancti pernoctans expectavit sui curationem, ex persona Sancti Martini

Nortvegi & Dani Germaniam devastant.

Bulgari Hungariam invadunt.

Lotharius Franciae Rex.

Divina ultio.

Johannes Scotus.

Translatio S. Martini.

Miracula.

tini curatus est dimidius, & a Sancto Germano edoctus sequenti nocte reversus, ab eodem perfecte curatus est, & ex parte altera, non propterea quod Sanctus Germanus eum curare non potuisset, sed quia Sanctum Martinum hospitem voluit honorare. Simile huic require supra anno Domini DCCCXL.

ARNOLPHUS Imperator de Genealogia Caroli Magni, filius naturalis non legitimus, fortis, prudens & strenuus, dejecto a Principibus Carolo Tertio inutili, anno Domini DCCCXCI. regnavit annis XII. Hic exercitum Normannorum, qui Gallias ante quadragesimam vastaverant, superavit: Tunc Hungari Saxoniam & Thuringiam devastantes Ducem Saxoniae & Landgraphium Thuringiae occiderunt: Franconiam postea discursantes, usque ad Fuldam pervenerunt. Eo tempore ab Hungaris etiam Ratisbona exusta est, & tanta fames ubique terrarum exorta, ut homines se invicem comedere coacti sint. Arnolphus contra Regem Francorum belligerans Parisias destruxit, & oppidum Sancti Dionysii destruens, corpus Sancti Episcopi & Martyris secum tulit, & Monachis dedit monasterii Sancti Emmerani in Ratisbona, qui usque hodie corpus gloriosi Martyris se habere veraciter asseverant, quotidie in vesperis & matutinis specialem memoriam cum antiphoniis & collecta de eo facientes. Arnolphus itaque Carolomanni, qui fuit de stirpe Caroli Magni, filius naturalis in Ratisbona obiit, a pediculis absumtus anno XII. Imperii. Tunc Imperium Carolorum ad tempus aliquot est sublatum & ad Italias devolutum. Lodovicus enim filius supra dicti Arnolphi, adhuc puer, regnavit annis XII. post Patrem suum. Sed Berengarius invasor & tyrannus Italiam violenter obtinens Lodovicum puerum Arnolphi filium captivavit & excoecavit anno Imperii sui XII.: quo tempore Hungari ad terram Bavariae depopulandum bis superantur. Albertus nobilissimus Comes de Babenberg decollatur a praedicto Lodovico, eo quod ipse ira motus occiderat Conradum Regem nondum coronatum in Caesarem, qui fuit filius Caroli Tertii, qui corpore & viribus Imperio inutilis fuit: Et quia eum decepisset Hatto, Moguntinus Archiepiscopus promissa securitate, quod absque laesione reducere eum in castrum suum velit, ideo a Daemonibus in flammam Aethnae montis praecipitatus est perfidus Episcopus, perpetuo cruciandus ab anno Domini DCCCCXIV., voce in aëre ita resonante; *Sic peccata lues, sicque cadendo rues.* Hungari eo tempore septa sua ter egressi Bavariam populantur, Saxoniam & Thuringiam devastant, Alemanniam fere totam debellant, Basileam funditus destruxerunt, totam Alsatiam & Lotharingiam pervagantes. Monasterium Cluniacense Guihelmus, Pius Princeps Burgundiae, renovavit. Eo tempore Spiteneus Dux Boëmiae baptizatus, cui successit Wenceslaus filius suus; de quo require infra. Tandem Arnolphus Imperator morbo pediculari obiit, pediculis de corpore ejus incessanter scaturientibus.

[Margin: 891. — Normanni superati. — Hungari Germaniam devastant. — Fames maxima. — Parisiae destructae. — S. Dionysius translatus. — Arnolphus pediculis consumptus. — Tertius Lodovicus Imperator. 901. — Berengarius Imperii invasor. — Hungari. — Albertus Babenbergensis Comes. — Perfidia Episcopi Moguntinensis. — Hungari. — Basilia destructa. — Monasterium Cluniacense. — Spiteneus. — Wenceslaus.]

CONRADUS PRIMUS, filius Conradi fratris Lodovici supradicti, 913.

M

Cometa apparuit.

dicti, quem Berengarius excoecaverat, regnavit annis VII. anno Domini DCCCCXIII. de genere Carolorum ultimus Imperator: tunc cometa apparuit per plures dies & noctes, manifesto indicio quod Imperium Romanum a genere Carolorum ad Saxones esset transferendum. Anno enim VII. Imperii sui Conradus, occiso Patre Conrado ab Alberto Comite de monte Pavonis, quae civitas hodie Babenberg vocatur, obiit sine haerede, & in Fulda est sepultus.

Mons Pavonis.

DE PONTIFICIBUS.

Reliquiae S. Caeciliae, Tiburtii, Valeriani & Maximi Martyrum.

Collegium Graecorum Monachorum.

PASCALIS PRIMUS Papa CII. anno Domini DCCCXVI. sedit annis VII. cui Sancta Caecilia apparens ipsi revelavit ossa sua, & Sanctorum Tiburtii, Valeriani & Maximi Martyris, & Sancti Urbani Papae, quae latuerant annis fere DC. Haec omnia Papa transtulit intra urbem. Item Ecclesiam Sanctae Praxedis vetustam reparavit & ibi Graecorum Monachorum Collegium instituit collegitque ex diversis coemiteriis plusquam MM. Sanctorum corpora, & ibi collocavit.

EUGENIUS SECUNDUS Papa CIII. natione Romanus per Laicos factus Papa, III. annos sedit, qui primo Sanctae Sabinae Martyris Presbyter Cardinalis fuit, unde eandem Ecclesiam solenni pictura & ciborio argenteo coronans, adornavit.

VALENTINUS Papa CIV. sedit XL. dies tantummodo, vir prudens & Deo valde devotus fuit.

Sarraceni Tusciam devastant.

GREGORIUS QUARTUS Papa CV. anno Domini DCCCXXVIII. sedit annos XVI. Tunc quidam Romani scelerati miserunt ad Soldanum Babyloniae, ut veniret in Italiam, quare ipse cum tanta multitudine Sarracenorum portum Centum Cellensem intravit, ut superficiem terrae operirent sicut locustae, qui totam Tusciam fere in solitudinem redegerunt, civitatem Leoninam ceperunt, Ecclesiam Sancti Petri ibidem equorum stabulum fecerunt, tandem ad petitionem Gregorii Papae, Guido Marchio Teruisanus cum Longobardis, & exercitus copiosus armatorum cum illo, veniens in auxilium Romanis & toti Tusciae & Italiae, & postea etiam inclytus Rex Francorum Lodovicus cum militibus omnibus, quos de tota Gallia congregare poterat, Sarracenos potenter fugaverunt. Sed illi Italia submoti, Apuliam primo, deinde Siciliam invadentes miserabiliter vastaverunt, & multum Christiani sanguinis effuderunt. Usque huc festum omnium Sanctorum celebrabatur III. Idus Maji in honorem omnium Martyrum Christi, quia Ecclesia adhuc non celebrabat festa Sanctorum Confessorum; Gregorius, ad petitionem & complacentiam Imperatorum, illud transposuit ad Kalendas Novembris, ut populi multitudo adveniens majorem victua-

Lodovicus Francorum Rex.

Sarraceni Apuliam & Siciliam devastant.

Festa Sanctorum Martyrum.

victualium copiam ad comparandum inveniret: festum quoque illud non Martyrum omnium, sed omnium Sanctorum dici praecepit. Sic etiam templum Pantheon, quod Bonifacius dedicaverat, in honorem omnium Sanctorum consecravit, hoc est, in honorem Sanctae Trinitatis, beatae Virginis, Sanctorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & in honorem Sanctorum & Sanctarum omnium, quare tunc primum coepit Ecclesia festa Sanctorum Confessorum celebrare. Festum omnium Sanctorum. Templum Pantheon. Sancti Confessores primum celebrati.

SERGIUS SECUNDUS, CVI. anno Domini DCCCXLIV. sedit annos tres. Iste Papa prius *os porci* vocabatur, unde statuit, ut de coetero semper Romanorum Pontificum nomina mutarentur, & statim electi consecrarentur, sicut Christus Simonem vocavit Petrum, quando ipsum Pastorem Ecclesiae fecerat, & claves Regni coelorum ipsi commisisset. Hic Sergius Lotharium Imperatorem coronavit, qui postea, ut supra dictum, S. relicto Imperio, monachus factus est. Eo tempore Sarraceni Ecclesias Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli funditus everterunt: audita enim mutua caede fratrum Regum, ex altera parte multae gentes fidelium & etiam infidelium, se adversus Romanum Imperium exercerunt. 844. MutatioNominis Romani Pontificis. Ecclesiae Apostolorum Petri & Pauli eversae.

LEO QUINTUS, Papa CVII. anno Domini DCCCXLVII. sedit annos VIII. menses tres: hujus festivitas agitur in Ecclesia XVII. Kalendas Augusti: Primo Monachus fuit perfectus, deinde a Sergio Praesbyter Cardinalis ordinatus, eo mortuo ac nondum sepulto, a Clero & omni populo concorditer Papa eligitur, mox Ecclesias Apostolorum, & alias quas Sarraceni vastaverant, restauravit, & cum muros Leonianae civitatis totum perfecisset, apponendo seras ad portas civitatis dixit hanc collectam: *Deus qui beato Apostolo tuo Petro collatis clavibus Regni coelestis* &c. Sicut habetur in festo cathedrae Sancti Petri Apostoli. Item Neapolitanis in mari contra Sarracenos pugnantibus, dixit illam collectam: *Deus, cujus dextera beatum Apostolum in mari ne mergeretur erexit!* Quare Neapolicae naves victoriam insperatam consecutae sunt, & Sarraceni fugientes Aphricam versus ad patriam suam, omnes in mari submersi sunt. 847. Ecclesiae Apostolicae reparantur. Collecta. Sarraceni miraculose victi.

MULIER PAPA JOANNES CVIII. anno Domini DCCCLIV. sedit annos tres, menses V. Haec voluit se vocari Joannem Anglicum natione Margantinum; in habitu virili ambulaverat, Athenas ab occulto amasio suo ducta, ubi in studio literarum, scientiarum, & artium realium, rationalium & moralium mirum in modum profecit, & morum mansuetudine amabilem se cunctis praestitit: Postmodum Romam veniens, triviales artes ibi publice legit, & magnos Magistros habuit suarum lectionum auditores: ideoque vita, moribus, & scientia in urbe cunctos praecellens, Papa mortuo, ipsa in illius locum eligitur, sed ab amasio suo impraegnatur. Haec Daemoniacum adjurans interrogavit, quando Daemon recedere velit? cui Diabolus metrice sic respondit: 854. Papae mulieris in scientiis studium mirandum.

Papa pater Patrum Papissae pandito partum,
Et tibi tunc dicam, de corpore quando recedam.

Tandem inter Coliseum & Ecclesiam Sancti Petri parturiens obiit; & ideo Papa semper ad hodiernam diem obliquat viam illam. Nota, hoc Papissa meretrix dixit ad amasium suum:

Noscere me poteris, tua sum formosa Beatrix,
Quodque corona negat, notat intra crura cicatrix.

857. BENEDICTUS TERTIUS Papa CIX. anno Domini DCCCLVII. sedit annos II. menses V. Hic constituit, ut Clerici ordinatim & honeste incedant.

859. NICOLAUS PRIMUS Papa CX. anno Domini DCCCLIX. sedit annos IX. menses III. Hic concessit cantari in Ecclesia sequentias Noggeri Monachi Sancti Galli: Item statuit, ne Clericus venetur: Item ut causam Papae nullus judicet, nisi Papa. Item, ne ullus secularis Princeps aut Rex praesumeret bona sacerdotum sibi usurpare. Item, ut Pontificum Decretales vim obtinerent; Item ut nuptiae non clandestine sed publice celebrentur. Eo tempore Cyrillus de mari corpus Sancti Clementis levavit, & transfretans tulit illud Romam, & ibi sepelivit.

Sequentiae Noggeri.

Translatio S. Clementis.

868. HADRIANUS SECUNDUS, Papa CXI. anno Domini DCCCLXVIII. sedit annos VII. Hic constituit, ut nulla causa die Dominica judicetur.

875. JOANNES OCTAVUS Papa CXII. sedit annos X. Hic constituit, ut nullus judex secularis placita secularia usquam in aedibus consecratis tractet: Item, quod ibi non hospitentur aliqui, nec etiam peregrini, nec ex gratia speciali. Sub isto Papa celebrata est quinta Synodus Constantinopolitana.

Quinta Synodus Constantinopolitana.

885. MARTINUS SECUNDUS Papa CXIII. sedit annum unum, menses quinque.

HADRIANUS TERTIUS Papa CXIV. sedit annum unum. Hic constituit, ut Imperator se electioni Papae nullo modo intromittat, sed ut liberum in ea re esset & Cleri & populi suffragium; magno itaque animo fuisse dicitur.

Electio Papae libera.

887. STEPHANUS QUINTUS Papa CXV. sedit annos VI. Hic quoad vixit in multa perturbatione Normannorum, Hunnorum, ac Italicorum fuit, multa tamen per Sanctos viros monasteria construxit.

893. FORMOSUS Papa CXVI. anno Domini DCCCXCIII. sedit annos V. menses VI. Hic dum esset Cardinalis Porticensis Ecclesiae, & Sanctae Rufinae Episcopus, degradatus fuit a Joanne Papa VII. usque ad habitum secularem, & juravit se Romam nunquam ingressurum: postea vero a Martino secundo successore Joannis praedicti restitutus, Episcopatum & Cardinalatum recepit, & processu temporis in summum Pontificem non inmerito est electus, quia vita, moribus, & scientia clarus fuit.

Formosus.

fuit. Hic veniens perſonaliter Ratisbonam, dedicavit Eccleſiam Sancti Emmerani: poſt obitum ejus corpus ſuum in concilio poſitum fuit, & id Stephanus VI. Papa condemnavit, abſciſſiſque dexterae digitis, ambas manus projecit in Tyberim, omnes inſuper ordinationes, conſtitutiones, ſententias, ab ipſo latas & factas decernens eſſe irritas & inanes, caſſavit. Ultimo Sergius tertius Papa eum iterum extumulari fecit poſt ſex annos, & juſſit corpus ejus in ſede Pontificali olocatum decollari, & in Tyberim jactari, pro eo, quod electio ſua olim propter Formoſum fuiſſet impedita: ſed corpus illius a piſcatoribus iterum inventum, & in Eccleſia Sancti Petri poſitum, imagines Sanctorum ſe illi inclinantes, eum tanquam collegam ſuum ſalutabant: duo etiam Papae Theodorus ſecundus, & Joannes IX. ordinationes Formoſi Papae praedicti, ſolenniter convocata ad hoc Synodo, approbaverunt.

Eccleſia S. Emmerani in Ratisbona.

Pontificis corpus mutilatum.

Sergii Papae ſaevitia.

Miraculum.

BONIFACIUS VI. Papa CXVII. ſedit dies XV. ſunt qui duodecim annos ſediſſe ſcribunt, & quidam qui XXVI. dies. 893.

STEPHANUS VI. Papa CXVIII. hoſtis Formoſi ſedit annum unum, menſes III. quid egerit habuiſti. Hoſtis Formoſi.

ROMANUS Papa CXXIX. ſedit menſem unum. Hic omnia Stephani acta & decreta pro irritis habuit. Hoſtis Stephani.

THEODORUS SECUNDUS CXX. Papa, ſedit dies XX. Iſte Theodorus & Joannes ſucceſſor ſuus ordinationes Formoſi approbaverunt. 894.

JOANNES IX. Papa CXXI. ſedit annis III. dies XV.

BENEDICTUS QUARTUS Papa CXXII. ſedit annos tres, menſes II. 897.

LEO VI. Papa CXXIII. ſedit dies XL. Is a Chriſtophoro familiariſſimo ſuo captus & in vincula conjectus moerore obiit.

CHRISTOPHORUS Papa CXXIV. ſedit menſes VII. Hic Leone exſtincto Pontificiam dignitatem invaſit, ſed diu non tenuit, vi in ordinem redactus in monaſterium obtruditur: tenuit diu mos, ut de Apoſtolica ſede male meriti (modo initiati eſſent) ut olim Majeſtatis Rei in inſulas ſolebant, in monaſticam ſolitudinem relegarentur. Invaſor ſedis Apoſtolicae. Mos in monaſterium obtrudendi Papam.

SERGIUS TERTIUS. Papa CXXV. hoſtis Formoſi Papae acerrimus ſedit annis VII. menſes tres. Hic Chriſtophorum Monaſterio detractum arctiſſime vinxit. Lateranenſem Baſilicam collapſam reſtituit. Quam crudeliter ſe de Formoſo vindicaverit habuiſti ſupra. Ante illius obitum igneae faces toto coelo diſcurrere viſae ſunt. Hoſtis Formoſi. Lateranenſis Eccleſia reſtituitur. Igneae faces in coelo.

ANASTASIUS TERTIUS Papa CXXVI. anno Domini DCCCCIX. ſedit annos II. menſes duos. Eo ſedente Cluniacenſis ordo in Burgundia in Maſticenſi Pago inſtituitur. 909. Ordo Cluniacenſium.

LANDO Papa CXXVII. ſedit menſes ſex, quo tempore magna contentio fuit inter tres nationes Italos, Gallos, & Theutonicos, ſed Theutonici gladio viriliter obtinuerunt. 912.

JOANNES X. Papa CXXVIII. anno Domini DCCCCXIII. ſedit an- 913.

Papa suffocatur. nos XIII. menses duos. Hic conjectus fuit in carcerem, & suffocatus
917. posito cervicali super os ejus; require simile supra anno Domini DCCCCXL.

LEO SEPTIMUS Papa CXXIX. anno Domini DCCCCXXVII. sedit menses VI.

STEPHANUS SEPTIMUS Papa CXXX. sedit mensem unum; scribunt alii duos annos sedisse, quibus ratione temporis assentio.

Fons sanguine fluit. JOANNES XI. Papa CXXXI. sedit annos quatuor. Eo tempore Genuae fons sanguine ubertim fluxit.

LEO OCTAVUS Papa CXXXII. sedit annos tres menses X.

STEPHANUS VIII. Papa CXXXIII. sedit annos tres; hic Alemannus fuit, & à Romanis propter magnum odium, quod in nationem illam habuerunt, manibus & pedibus mutilatus est, anno Domini DCCCCXL. Papa Germanus mutilatur.

MARTINUS TERTIUS Papa CXXXIV. anno Domini DCCCCXI. sedit annis tribus, mensibus VI. Tunc floruit Sanctus Conradus Constantiensis Episcopus, qui super lacum Patavicum siccis pedibus ambulavit: item Sanctus Udalricus, Episcopus Augustensis, in cujus Missa visa est dextera Dei cum ipso signo crucis super hostiam. Item, Sanctus Wolfgangus Episcopus Rhatisbonensis mirae Sanctitatis: item Sancta Wibrada virgo apud Sanctum Gallum passa est, eodem tempore. Conradus Episcopus. S. Uldaricus Episcopus. S. Wolfgangus Episcopus.

AGAPETUS SECUNDUS Papa CXXXV. sedit annos VIII. menses VI.; quo tempore primus Abbas Cluniacensis Otho nomine obiit, cui successit Ademarus; deinde Majolus temperator monasticae disciplinae. Otho primus Abbas Cluniacensis.

951. JOANNES XII., Papa CXXXVI. anno Domini DCCCCLII. nobilis Romanus, amicorum auxilio & potentia intrusus, sedit annis VII. menses XI. Venationi intentus fuit, & libidini carnis inserviens publicus fornicator. Hic duobus Cardinalibus uni nasum, alteri brachium amputavit, eo quod ausi fuerint ipsius vitia detestari: Unde Otho Imperator vocatus, Joannem à Papatu deposuit celebri Italiae Antistitum Concilio, & Leonem, Lateranensis Ecclesiae Scriniarium Pontificem creat; Joannes vero depositus adhuc in adulterio perseverans miser & impoenitens obiit. Papae Joannis saevitia. Otho Imperator Papam deponit.

A D D I T I O.

Deploranda Barbaries seculi hujus. Mirum est quanta omnium bonarum artium oblivio per id tempus mortalium animis obrepserit, ut ne in Pontificibus quidem caeterisque Principibus quicquam elucesceret, quod vitam juvare posset. Non

Non salubria instituta, non templorum refectiones, non ulla pietatis exempla, non liberalium artium affectationes: sed stupor, & amentia quaedam oblivioque morum invaserat hominum animos. Caeterum non tam vita tunc male culta est, quam illa ipsa, quae per id tempus gesta sunt, inculte & perplexe monumentis literarum tradita, ut authoribus ejus seculi nihil minus curae fuisse appareat, quam ut in iis, quae scriberentur, sibimet ipsis constarent. Haec ex *Marco Antonio Sabellico* Enneade IX. libro primo sumta, ego *Eysenbartus* hic adduxi, ut Lectori cuiquam constaret, quare tam cumulatim hic, & breviter Romani Pontifices absoluti sint ab Authore ipso, cum de eis memoriae tradita plura non invenerit, quae ipsum aut juvarent, aut prodesse possent.

DE IMPERATORIBUS.

HENRICUS PRIMUS de Brunswick, filius Othonis Ducis Saxoniae, anno Domini DCCCCXX. Regnavit annis XVII. Iste Henricus fuit filius Luitgardis sororis ultimi Regis de genere Carolorum, 920.
& senex Princeps & Dux Saxoniae, Noricae, Bavariae, Austriae, Carinthiae, Carniolae & Styriae, unde cum Principes ipsum elegissent in Imperatorem, & venientes reperissent ipsum aviculas cum retibus capere, ipse oblatum sibi Imperium renuit acceptare, dicens: Sufficiant mihi ampla bona mea. Et dum persuasionibus Principum ad hoc quasi cogeretur, ipse juravit; quod corona Imperii super caput suum nunquam poneretur: ob quod cum Principes eum ad Curiam citarent, ipse rebellis fuit, & per tres annos excommunicationem tulit, tandem sub forma juris absolutus, dum allegaret juramentum quod fecerat, tulit Papa sententiam definitivam: quod suscipiat Imperium gubernandum, & quod corona Imperialis capiti suo non imponeretur, sed in baculo ante eum portaretur. Hic Henricus ex eventu cognominatus est Auceps, quod in aucupio eum Principes Electores invenerunt. Iste exercitum Hungarorum in Provincia Saxoniae quam vastabant, potenter ad unum delevit. Duos Reges ad fidem Christianam persuasit, Norwegorum & Obecritatorum, id est Suecorum. Uxorem Sanctissimam habebat Mechtildim, ex qua filios tres suscepit, Othonem qui ei in Imperio successit; Henricum potentem in Alemania Ducem; tertium Brunonem, postea Archiepiscopum Coloniensem, fundatorem Monasterii Sancti Panthaleonis. Eodem tempore in civitate Genuensi fons sanguine fluxit, & civitas eodem anno a Sarracenis capta, thesauris & hominibus misere spoliata est: Hic Henricus aedificavit Goslariam oppidum, & fundavit Monasteria, unum in Quillenburg, alium in Menthusen; uxor ejus Mechtildis aedi-

Henricus rebellis.

Henricus Auceps vocatus. Hungari caesi.

Mechtildis.

Fons sanguine fluit.

aedificavit Monasterium in Northusen, & aliud in Bolede.

937. OTHO PRIMUS, vocatus MAGNUS, filius fuit Henrici anno Domini DCCCCXXXVII. imperavit annis XXXIII. Huic Rex Francorum se opposuit, volens Imperium, quod ex paterna successione ad se devolutum dixit, sibi astruere, quia de genere Carolorum esset in linea transversali, & sexu masculino: Otho vero de eadem stirpe, sed de sexu foemineo. Civitas Argentina contra Othonem cum Rege Francorum sentiens, & plures Germaniae Principes & Barones ab eo stipendiati; quare strenuus Otho Argentinam potenter obsedit, quam cotidie Rex Franciae liberare promisit: sed Caesari resistere non volens, in auxilium Argentinensibus non venit. Otho ergo Argentinam destruens, muros in quatur partes dirimens vocavit civitatem alio nomine, videlicet Strausburg, quae prius vocabatur Sylbertal. Post hoc obsedit castrum Eberstain, situm ante nigram Silvam per duos annos & dimidium: postea reconciliati simul Dominus de Eberstain duxit in uxorem filiam Othonis. Hic statuit, ut semper in Curia Caesaris esset studium Juris Civilis, & quod filii Nobilium adscriberentur ad Curiam Imperatoris, ut leges discerent. Contigit autem, ut Imperator in die Paschae Principibus Romae congregatis convivium solenne praeparasset, & dum secundum consuetudinem Caesaris mensa tota bono ferculo ornaretur, & tunc Princeps adveniens omnem escam super mensam positam tollere jussit, & pauperibus elargiri: & postea mensa denuo Imperatore assidente instrueretur, accessit filius Ducis Sueviae, & fregit frustum placentae Theutonicae *ain flerden stuck*, quod Dapifer videns, percussit eum baculo super manum, adeo ut sanguis efflueret, propter quod commotus Henricus miles de Kempten strenuus, cujus regimini adolescens commissus erat, in vestigio Dapiferum occidit, superveniens Imperator ad mensam sessurus, vehementer iratus jubet occidi Henricum pueri custodem; ille vero rogavit dilationem propter dicti festi solennitatem. Sed Caesar noluit, timens juramentum violare quod fecerat, scilicet justitiae complementum ex aequo sine dilatione. Videns ergo Henricus, quod Caesar nollet eum exaudire apprehendit ipsum cum barba & ad terram dejecit, & barba fortius apprehensa, coepit eum totis viribus strangulare. Imperator eum assecurans, cum vix esset liberatus ab eo, reddidit se culpabilem, quod festum inhonorasset, & Henrici audaciam laudavit, liberum eum abire permisit, ita tamen, ne faciem de coetero ejus videret; ipse tamen in Curia manens adolescentis sibi commissi curam gerebat. Contigit postea, cum Berengarius Imperii invasor Italiam premeret, & Otho eum potenter obsedisset in quadam civitate sibi adhaerente, locumque illum undicunque vallasset, die quadam de civitate turmatim hostes proruentes cum vexillis ad invadendum Caesaris exercitum, Henricus ille primus omnium vidit, & de dolio, in quo tunc balneans sedebat, nudus exiliit, & apprehensa lancea cum scuto, vulgariter *Setz schilt*, clamare coepit *bie Rom Himmelreich*, & nudus viam hostibus praeclusit, donec

Civitas Argentina ab Othone obsessa & destructa.

Nomen Argentinae mutatum.

Eberstein arx obsessa.

Studium Juris in Curia Imperatoris haberi.

Filius Sueviae Ducis.

Henricus de Kempten miles.

Otho Imperator ferè suffocatus a milite.

Berengarius.

Henrici audacia.

nec exercitus Caesaris ad fortiter ipsis resistendum se praeparasset. Admirans itaque Otho dixit, quisnam is est? qui nudus tam viriliter egit? & cum comperisset Henricum esse, vocavit eum, deosculans exaltavit eum, & magnum Dominum fecit. Fuit tunc in Faschoma mulier quaedam ab umbilico sursum divisa, duo capita habens & duo pectora, longo tempore vixit. Anno primo Othonis Hungari Alemanniam, Gallias, Burgundiam vastantes, per Italiam reversi sunt in Pannoniam. Anno xv. globus igneus volavit in aëre ab Occidente & visus fuit draco fuisse: anno xix Hungari totam Bavariam vastantes, apud Augustam ab Othone victi sunt III. Idus Augusti, sicut Sanctus Udalricus praedixerat. In quo bello Conradus Dux Sueviae & Diëpoldus frater Sancti Udalrici occisi sunt. Reges vero Hungariae Bulgariae & alii Principes infideles apud Rhatisbonam patibulis suspensi sunt. Anno Domini DCCCCLXII. Regni sui XXIV. Otho Imperator efficitur, & ex tunc ad hodiernum usque diem soli Teutonici Imperium tenuerunt. Tempore Ludovici, quem Berengarius captum excoecaverat, quatuor Berengarii & unus Lotharius regnaverunt. Cum autem Berengarius Quartus Italiam mire premeret, Otho in auxilium vocatus captivavit eum, & ad Bavariam in exilium relegavit usque ad obitum suum. Adelhaidim relictam Lotharii, quam Berengarius iniquius tenuerat, Otho duxit in uxorem, de qua genuit filium Regni & nominis successorem; ista Adelhaidis fundavit coenobium in Selse ordinis divi Benedicti in Diocaesi Argentinensi, & ibi sepulta est, & canonizata. Anno Regni sui XXXVI. Imperii vero XII. Otho magnus obiit, sepultus Magdeburgae ad Sanctum Mauritium: qualiter aliquando Romam venerit, & Papas deposuerit, require infra, ubi de Pontificibus scribitur.

Henricus a Caesare exaltatus.

Monstrum.

Hungari iterum terras devastaverunt.

Hungari apud Augustam victi.

Reges patibulis suspensi.

962.

Soli Teutonici Imperatores.

Quatuor Berengarii.

Adelhaidis.

Coenobium Selse.

Otho obiit.

975.

OTHO SECUNDUS vocatus Rufus anno Domini DCCCCLXXV. regnavit annis X. Hic ideo quod Itali pacem saepius violassent, quasi pacifice veniens ad gradus Ecclesiae Sancti Petri, magnatibus & proceribus cunctis convivium magnum exhibuit, & epulantes armatis cingens, de violata pace Cancellarius querimoniam movens nomine Caesaris, & reos in littera recitatos omnes in mensa trucidavit, caeteros vero gaudenter epulari praecepit, qui omnes timore stupentes licentiam abeundi petebant, & propter id factum hic Otho dictus est Sanguinarius. Hic adversus Agarenos & Vandalos cum Romanis Theutonicis Gallicis & Longobardis in Calabria procedens, Romanis & Beneventanis terga vertentibus exercitum suum pene totum amisit, & solus a Graecis in navem sub forma militis receptus est, quibus Graece loquentibus quod Constantinopolim vellent, dissimulavit se non intelligere, & invocans Sanctum Petrum, finxit se thesaurum effossurum, rogavit nautas ut se ad littus deducerent: quod cum fecissent, venit Episcopus quidam cum multis armatis Othonem liberans, nautas occidit; laetus igitur ad Imperium rediit, sed paulo post Romae languens obiit, & ibi sepultus est.

Othonis secundi crudelitas.

Otho sanguinarius.

Otho in Calabria victus.

Obiit Otho.

N OTHO

984. Otho mirabilia mundi. Othonis uxor meretrix, altera Putiphara.

OTHO TERTIUS filius Othonis praedicti anno Domini DCCCCLXXXIV. regnavit annis XVII. Hic cognominatur mirabilia mundi. Hujus uxor meretrix, cuidam praeclaro Comiti & pulchro militi se prostituere volens, ipso recusante tale nefas, valde tristans apud Caesarem tam graviter de stupratione ipsum accusavit, ut Otho eum decollari praeceperit. Comitissa vero relicta vidua sciens viri innocentiam, caput ejus eo usque servavit, donec Imperator judicio praesideret: venit dies, in qua Caesar Viduis & Orphanis judicare promisit, adest proba & fidelis Vidua Comitis relicta; quaerit sententiam, qua morte sit plectendus, qui innocentem sine judicio interemisset? Imperator respondit: Talem similiter morte plectendum esse, ipsa statim mariti sui caput in apertum proferens dixit: Tu Imperator es vir ille, qui meretrice uxore tua suadente innocentem maritum meum decollari jussisti, quod ego candentis ferri judicio comprobabo; quod & factum est. Causa igitur examinata Imperatrix flammis traditur, & Imperator se Viduae arbitrio puniendum subjecit, quae pro quatuor castris sibi quatuor inducias dedit, pro primo castro decem dies, pro secundo octo, pro tertio VII. pro quarto VI. dies induciarum sibi dedit, quos numeros eadem castra pro nominibus adhuc retinent. Scilicet castrum decimum, octavum, septimum, sextum: tandem supplicantibus cunctis Principibus & Proceribus Vidua sententiam relaxavit, eo quod non ex malitia, sed persuasione Imperatricis seductus id malum fecisset. Hic Otho, quia liberos non haberet constitutionem perpetuo duraturam edidit, ut Principes, de quibus supra dictum est, eligant Imperatorem Alemannum, & in oppido Franconofurto super Moganum fluvium, eum, quem quisque in conscientia sua idoneum judicaverit, eligant, qui postea a Papa in Romanum Imperatorem consecraretur. Obiit x. Kalendis Februarii; ejus intestina in Augusta posita; corpus reliquum Aquisgrani, ubi ipse paulo ante ossa Caroli Magni elevaverat, sepultum est.

Othonis judicium. Othonis uxor cremata. Otho mulieri datus. Quatuor castra induciarum. Constitutio perpetua Othonis. Obiit Otho.

1001. Henricus & uxor Virgines permanserunt. Hecilo Dux Bavariae. Bruno Episcopus Augustensis. Gyselae duae.

HENRICUS SECUNDUS cognominatus Claudus, anno Domini MI., regnavit XXIII. annos; hic cogentibus Principibus uxorem duxit Cunigundam, Palatini Rheni Ducis filiam; Virgines tamen ambo permanserunt, & ambo semper in vita, & post mortem, magnis & multis miraculis coruscabant: Illius Pater fuit Hecilo, Dux Bavariae, & frater suus Bruno, Episcopus Augustensis; duas habuit sorores, quae ambae Gysela vocabantur, quarum senior nupsit Duci Sueviae; Juniorem vero Gyselam sororem suam Stephano Regi Hungariae dans in uxorem, ipsum & gentem ejus convertit ad fidem Christianam. Eo tempore Sanctus Adalbertus, Episcopus Bragensis, Regem Hungariae Stephanum, quem Imperator convertit priusquam Gyselam dederat, baptizavit. Idem Adalbertus a Paganis in confessionem nominis Jesu septies immutabilis factus, inter crudelia supplicia ultimo capite truncatus, triduo ab Aquila custoditus est. Temporibus istis Edoardus Anglorum Rex novercalibus insidiis interficitur & miraculis coruscat. Hoc

Adalbertus Episcopus. Edoardus Angliae Rex.

Hoc etiam tempore Rhobertus Franciae Rex floruit, qui sequentias composuit: *Sancte Spiritus adsis nobis gratia*, & porro *Veni Sancte Spiritus, & emitte &c.* Vita, scientia & sermone praeclarus fuit. Hic Rhobertus in obsidione castri cujusdam fortissimi, exercitu suo relicto, Aurelianum venit, ut in festivitate instanti Chorum regeret, ut semper in festis Sanctorum facere consueverat, & cappa serica indutus alta voce ter *Agnus Dei*, flexis genibus & devoto corde inceptans, muri obsessi castri a fundamentis corruerunt. Fuit temporibus istis Moguntiae Archipiescopus Guilelmus nomine, totus humilis, cujus Pater rusticus currus & bigas faciebat: igitur ipse ad parietes Oratorii sui rotas suspendit, & juxta rotas humilitatis gratia sic scripserat: *Wilhelm Wilhelm gedenck wanna du kumen seyst*; clavem Oratorii hujus ipse solus retinens, nemini dabat: unde omnes ibi thesaurum positum esse putabant, quod locum illum tali diligentia celabat; donec Imperator Henricus semel fuisset intromissus, & vidisset rotas & scripturam. Hinc exordium sumsit, quod in vexillo Archiepiscopi Moguntini duas aratri rotas depictas gerant. Claruit tunc Fulbertus Carnotensis Episcopus, qui inter alia delectabilia & laudabilia cantica hymnum composuit: *Chorus novae Hierusalem*, & responsorium: *Solem justitiae*; responsorium: *stirps Jessae*. Henricus Imperator anno Regni sui VI. fundavit Episcopatum Babenbergensem, cui primo Episcopum praefecit Everardum, & post eum S. Othonem: Episcopatum illum dotavit pure de patrimonio suo. Anno XIII. Romae Imperator consecratus, Boëmiam & Sclavorum magnam partem, qui adhuc Pagani erant, debellare disposuit: qui cum exercitum suum perceptione corporis Christi munivisset, venissetque ad locum certaminis, corporeis oculis vidit Sanctum Laurentium, Sanctum Georgium, & Hadrianum Martyres cum Christi Crucis vexillo exercitum suum anteire, & Angelum Dei percutientem coecitate adversarios: sicque absque sanguinis effusione hostes territi colla Imperatori & Christi fidei submiserunt. Hic Henricus Apuliam, Pannoniam, Hungariam Imperio subjecit: caepit autem infirmitate calculi graviter laborare, cui per noctem in monte Cassino coram altari Sancti Benedicti multum dolenti Sanctus Benedictus apparens, calculum ferro excidens & in manum Imperatoris ponens, locum sanavit; calculus iste adhuc suspensus est coram altari in memoriam tanti miraculi. Contigit quandoque cum in Ecclesia Sanctae Mariae Majoris Romae, ut sibi moris fuit, semper prima nocte in Ecclesia manere solitarius orando, quocunque pervenit pernoctaret: Christus, Pontificalibus indutus processit, Missam celebraturus, quem sequebatur Levita Laurentius, & loco subdiaconi Vincentius, post hos virgo Maria cum multitudine maxima Sanctarum Virginum & Angelorum; dehinc Joannes Baptista cum Patriarchis & Prophetis, & post illos Petrus, Johannes cum caeteris Apostolis & Euangelistis: Stephanus cum Martyribus, Sanctus Martinus cum Confessoribus. Tunc duobus Angelis introitum, *suscepimus Deus Misericordiam tuam!* incipientibus, omnes di-

Rhobertus Franciae Rex.

Miraculum grande per Agnus Dei.

Exemplum humilitatis.

Insignia Archiepiscopatus Moguntinensis.

Fulbertus Episcopus

Episcopatus Babenbergensis fundatus.

Henrici Imperatoris miraculosa victoria.

Henricus à calculo miraculose curatur.

Visio Henrico Romae oblata fidem fere superans.

Maria cum Virginibus.

Johannes Zachariae cum Prophetis.

Petrus cum Apostolis.

Stephanus cum Martyribus.

Martinus cum Confessoribus.

digitos extenderunt ad Christum, sed cum cantaretur finis illius introitus, videlicet; *Justitia plena est dextera tua*, tunc Christus, beata Virgo, omnes Angeli & Sancti verterunt se ad Henricum, in angulo Ecclesiae devote advertentem, digitos extendentes in eum; perducto vero sacrificio ad Euangelium, & indicibili jubilatione ab Angelis habita, liber Evangelii primo ad deosculandum dabatur Christo, deinde Beatae Virgini Mariae, tunc illa Angelo innuit, ut librum etiam dosculandum porrigat Imperatori, dicens: praebe ei pacis osculum, cui, sicut mihi placuit, perpetuae Virginitatis ornamentum. Porrigente igitur illo Caesari librum Caesar non advertit prae visionis istius maximo stupore: quare Angelus eum in nervo tangens, claudum fecit, sicut Patriarcham Jacob, dicens: Hoc tibi signum dilectionis sit, qua te Deus diligit propter tuam justitiam & castitatem. Ideo ipse usque ad mortem claudicavit, vocaturque in Chronicis HENRICUS CLAUDUS.

Caesar ab Angelo fit claudus.

S. Cunegundis diffamata cum milite.

Qualiter vero Sancta Cunegundis uxor ejus innocenter diffamata cum milite quodam, se de infamia purgavit longum esset enarrare. Postremum cum jam Imperator Henricus in Castro Grune decumbens debitum corporis exsolveret, & corpus ejus Babenbergam ad sepeliendum duceretur, quidam Sanctus Eremita in Sylva Thyringorum habitans, in ostio habitaculi sui stans sero vidit maximam multitudinem praeterire, & adjurans ultimum illorum quaesivit qui essent? & quo tenderent? ait ille: daemones sumus, Babenbergam petimus, attentare numquid habeamus aut habebimus juris in animam Imperatoris Henrici, qui jam defunctus est. Tunc vir Deo devotus eum adjuravit, ut rediens eventum rei sibi indicaret, qui peracto judicio revertens ait; Nihil profecimus, quia ille exustus auream ollam in staterain misit, cui ansam unam iratus fregi cum lapide, quia plus facere non potui; Laurentium vocans exustum, & calicem ollam. Obtulerat enim Henricus valde pretiosum calicem aureum Sancto Laurentio, qui calix adhuc hodie servatur in Merseburgi in Majori Ecclesia. Anno Domini DCCCCLXX.

Nota. factum horrendum.

S. Wenceslaus.

Sanctus Wenceslaus, Boëmiae Dux, a fratre suo occiditur, fitque Martyr. Tantae pietatis, humilitatis & devotionis fuit, ut occultè cum famulo ligna de Sylva in humeris portaret, & ante viduarum ac pauperum januas poneret: spicas etiam ex agris suis messuit, excussit, & molivit, pro hostiis faciendis ad sacrificium altaris, similiter de racemis & vitibus uvas optimas elegit ad vinum, in Missa utendum.

DE

DE PONTIFICIBUS.

LEO IX. Papa CXXXVII. anno Domini DCCCCLXI. sedit annum unum, menses VI. Hic constituit contra malitiam Romanorum, qui suos intrudere solebant, & indignos etiam, ut sine consensu Imperatoris nullus adscenderet ad Papatum, require simile infra & supra. 961.

Assensus Imperatorum in electione Papae.

BENEDICTUS QUINTUS Papa CXXXVIII. sedit annum unum, menses II. Hic vivente adhuc Leone praedicto a Romanis constitutus est. Ideo vocatus Otho Magnus Romam obsedit, donec intrusus Papa Benedictus in vinculis sibi fuisset praesentatus, qui in Saxoniam in exilium missus obiit ibi, & sepultus est in Hamburg, nec est in numero summorum Pontificum computatus.

Otho Romam obsedit.

Papa in exilium missus.

JOANNES XIII. Papa CXXXIX. sedit annos VIII. Hunc Romani capientes in Campaniam in exilium compulerunt, sed Otho eum gloriose vindicavit. Nam ex potioribus urbis multos suspendit, quosdam in Saxoniam in exilium perpetuum transmisit, alios aliter secundum delicti quantitatem mulctavit. Eo tempore Azoatto Moguntinensis Episcopus a muribus traditur devoratus, & comestus esse, justo judicio Dei, quod tempore magnae famis pauperum multitudinem in horreo spatioso collectam, quasi eleëmosynam ipsi elargiturus, cremari una cum horreo fecisset, dixissetque ad ingentem eorum lamentationem ad circumstantes; Audite quaeso murium clamorem: propter quod mures nomen ejus de literis, tapetiis, & parietibus ubique abraderunt; & eum etiam demum consumserunt.

Papa vindicatus.

Azoatto seu Hatto.

Episcopi Moguntinensis maxima feritas.

Episcopus Moguntinus a muribus consumtus.

BENEDICTUS SEXTUS sedit menses VI. Hic in carcere a Romanis funiculo strangulatus est. 971.

Strangulatus.

DONUS SECUNDUS Papa CXLI. sedit annum unum, menses VI.

BONIFACIUS VII. Papa CXLII mensem unum sedit, & in nocte strangulatus, mortuus repertus est. Malitiosus homo fuit: Vaticanae aedis donaria compilavit & Bizantium profectus res sacras furto ablatas ibi vendidit, & reversus Cardinalem Joannem excoecavit, quod se actionibus suis foedissimis audacter opponeret.

Strangulatus.

Papa sacrilegus & malitiosus.

BENEDICTUS VII. Papa CXLIII. sedit annos VIII. menses VI. Hic multos Romanos captivavit adjuvante Imperatore.

JOANNES XIV. Papa CXLIV. anno Domini DCCCCLXXXII. sedit menses octo. Hic per quatuor menses in castro Sancti Angeli captivatus pedore & fame obiit; sepultus in Vaticano. 982.

Obsessus fame obiit.

JOANNES XV. Papa CXLV sedit annis X menses VII. Hic in artibus eruditissimus, libros multos conscripsit. Patricius Crescentius eum urbe expulit in Tusciam, sed ipse pro Othone Caesarianos nun-

Papa eruditissimus.

cios misit, ut sibi adversus Crescentii Patricii vim auxilio esse velit; quod cum Crescentius cognovisset, sibi timens, Papam revocavit, & venienti ad pedes procidit, cum toto Senatu occurrens veniam postulavit. Tunc Sanctus Wolfgangus Rhatisbonensis Episcopus obiit anno Domini DCCCCLXXXIV.

Crescentius se humiliat.

S. Wolfgang obiit.

994.

GREGORIUS QUINTUS Papa CXLVI. natione Saxo, prius Bruno dictus, sedit annos duos, menses VI.: contra illum Johannes Episcopus Placentinus Romam veniens, auxilio Crescentii Patricii, ante Apostolicam sedem invasit; sed magnificus Otho Romam veniens, Crescentium decollari fecit, invasorem Apostolicae sedis excoecatum & de Capitolio praecipitatum necavit, & Gregorium iterum restituit, & ideo nullus Papa ad hodiernum diem Capitolium ascendit; Hic Gregorius constituit in Romanorum perpetuam vindictam, ut solis Germanis liceret Principem eligere, qui Caesar & Romanorum Rex diceretur.

Schisma.

Crescentius decollatur.

Electio Caesaris solis Germanis competit.

JOANNES XVI. Papa CXLVII. invasor Apostolicae sedis, de quo jam dictum est, menses X sedit.

Invasor sedis Apostolicae.

997.

SYLVESTER SECUNDUS, anno Domini DCCCCXCVII. Papa CXLVIII. in ordine, sedit annos V. mensem unum. De illius vita pessima & morte felici, ad laudem & gloriam Misericordiae Divinae, breviter dicam. Hic Gilbertus antea vocabatur, Apostata religionis Sancti Benedicti, & Necromanticus pessimus, se Diabolo sub juramento tradiderat, ut sibi traderet multas divitias, scientias & honores magnos. Igitur discipulos multos congregavit, etiam Othonem Imperatorem; Rhobertum Regem Franciae, egregium dictatorem & cantorem; Leotimum Archiëpiscopum Senoniensem adhuc pueros: illorum promotione tres Archiëpiscopatus postea successive adeptus est, videlicet Remensem, Ravennensem & Papatum: cui Diabolus interrogatus, promisit vitae sospitatem, donec Missam celebraret in Hierusalem. Sic autem vocatur Sacellum solenne Romae constructum, quod aedificaverat Imperatrix Helena, sed ipse Papa de Hierusalem intellexit in Judaea; in isto Sacello dum pessimus Papa Missam celebraret, Daemones aëre clamabant, Papae insultantes, ex quorum horribili strepitu Papa mortem expavescens, publice qualis fuerat, & quomodo se Diabolo cum juramento tradiderat, confitetur, veniam & gratiam a Deo gemebundis vocibus & uberrimis lachrymis petit, postulans & praecipiens etiam, ut manibus sibi & pedibus amputatis uti maximus peccator insepultus abjiceretur. Super bigam ergo corpus ejus truncatum ponitur, & indomito equo vehendum committitur, an in Sacrum aut profanum locum sepeliendum sit, ex hoc cognituri. Equus vero directo cursu nemine regente bigam cum corpore ad Lateranensem Ecclesiam vexit, ubi honorifice sepultus est: sepulchrum autem ejus adhuc sudat, vel alte strepit, quandocunque Papa moriturus est, in signum & memoriale, quod a Deo Misericordiam ipse consecutus sit, quod evidenter etiam per indomitum equum devectio ad Lateranum probavit.

Apostata Necromanticus pessimus.

Discipuli Gilberti.

Tres Archiëpiscopatus acquisivit.

Papa deceptus a Diabolo.

Papae poenitentia.

Papa membratim discinditur.

Miraculum.

JOAN-

JOANNES XVII. Papa post Sylvestrum, sedit menses v. de quo 1002.
propter Pontificatus sui brevitatem nil gestum reperitur, nisi quod (ut annuit) commemorationem animarum post festum omnium Sanctorum, ab Odole Cluniacensi Abbate in Burgundia jam diu institutam, ab universa Ecclesia observari praecepit.

Commemoratio omnium Sanctorum.

JOANNES XVIII. illi suffectus annis iv. sedit, menses iv., ocium diligens, nihil memoria dignum gessit, mortuus ad Sanctum Petrum sepultus est. 1002.

SERGIUS QUARTUS, post Joannem Papa factus, sedit annos duos, menses vi: vir sanctissimae vitae, grataeque conversationis, cujus tanta fuit prudentia, ut toto suo Pontificatu nihil commissum sit, quod merito reprehendi possit; devotus Deo omnino existens omnia bene gubernavit. Sarracenos, composito inter Italiae Principes foedere, consiliis suis ex Sicilia pepulit, & cum fere Italia & totus orbis fame & peste laboraret, vita excessit, sepultus in Basilica Sancti Petri. 1006.

Papa Sanctus & prudens.

BENEDICTUS OCTAVUS Papa CXLIX. anno Domini MIX. Hic ad petitionem Sanctae Cunegundis, venit Babenbergam, & in itinere dedicavit Ecclesiam Sancti Petri Junioris in Argentina, & in campo prope Mollenheim etiam Ecclesiam in honorem Sancti Petri. In Babenberg postquam venisset, dedicavit Ecclesiam in honorem Sancti Stephani Protomartyris. Dicit PETRUS DAMIANUS, quod iste Papa post mortem suam cuidam Sancto viro apparuit dicens: Ego sum Benedictus Papa, non pauper & dolens, vade (quaeso te) ad successorem meum, & illi dic, ut in ista theca pecuniam meam quaerat, & eam pauperibus distribuat, quia eleëmosynae mihi hactenus non profuerunt, ex quo divitiae meae tanquam rapinae in ista theca latuerunt. Episcopus id mandatum fideliter exequens, cum res ita reperta esset, ut visio docebat, monachus factus est. Hic Benedictus in Babenberg obiit, & ibidem in choro majoris Ecclesiae sepultus anno Pontificatus sui undecimo. Circiter haec tempora Hiërusalem & Christi sepulchrum a Sarracenis capitur, quod designaverant anno praecedenti multa horrenda prodigia, in coelo observata & in terra. 1009.

Ecclesia Petri junioris in Argentina.

Ecclesia S. Stephani Babenbergae.

Benedictus post obitum apparuit.

Papa Babenbergae sepultus.

Hiërusalem capta.

JOANNES XIX Papa CL. sedit annis x.: tunc Hynoricus, filius Stephani Regis Hungariae, de Gysela sorore Sancti Henrici Imperatoris, cum sponsa sua ambo Virgines permansi miraculis corruscabant. Hic Joannes Papa nullis sacris ordinibus adhuc initiatus erat, quando Papatum acquisivit Laicus fuit purus. 1020.

Sanctus Rex Hynoricus.

Papa ex Laico factus.

BENEDICTUS IX., sedit annos xiv. quo aliquandiu abjecto, Sylvester Tertius successit, qui sedit menses duos, & mortuus est: Benedictus iterato restitutus iterum rejicitur, sibi Joanne Archipresbytero rudi & illiterato substituto, qui causa officii exequendi alium Papam consecrari secum jussit, quod cum nemini placeret, quidam Gratianus nomine, data Cardinalibus & Senatoribus magna pecunia Papatum obtinuit. Sed Sanctus Henricus Imperator Romam ve- 1030.

Schisma.

Gratianus.

Sindegerus Episcopus Babenbergensis fit Papa. veniens magnis precibus, & monitionibus impetravit, ut Sindegerum Episcopum Babenbergensem Papam faciant, quod & fecerunt, qui infra vocatur Clemens Secundus. Romani tunc juraverunt se nunquam de caetero Papam electuros, absque Henrici Caesaris consensu. Tunc Benedictus E-remitae post obitum horribilis apparuit. Benedictus Nonus obiit, qui brevi postea cuidam juxta Molendinum apparuit in specie monstri, caput & caudam asininam habens, corpus adinstar ursi, quem videns homo valde perterritus fugit, sed Papa illum revocans ait: Ne timeas me; homo enim fui: quemadmodum tu, sed talem tibi formam nunc exhibeo, qualem vitam ego Papa indignissimus hic duxi.

Papa repulsus. SYLVESTER TERTIUS Papa CLII. sedit menses II. & repulsus est.

1047. GREGORIUS SEXTUS Papa a Sancto Petro CLIII. anno Domini MXLVII. sedit annos duos, menses VII. Hic spoliatores Ecclesiarum post contemtum excommunicationis, armata manu invasos plures interfecit; sed postea in mortis necessitate jacens, audivit Cardinales propter hoc sibi obloquentes, & tanquam sanguinarium & homicidam Gregorii virilitas & constantia. indignum Ecclesiastica sepultura privandum, ipse resumto aliquantulum spiritu, se erexit, & longum sermonem faciens verba EZECHIE-Verba Ezechiëlis. LIS introduxit, ubi Dominus dure corripuit *sacerdotes, quod se non opposuissent inimicis pro domo Israël*, & in fine adjunxit: quum mortuus fuero, ponite me cum loculo ante Ecclesiae januam & illam firmiter claudite, tunc videbitis Domini voluntatem. Mortuo itaque eo, corpus ipsius ut jusserat ante januam statuentes, Ecclesiam fortiter clau-Miraculum. serunt: ecce subito ventus turbinis magni januas clausas aperuit, & sic sepultus est honorifice in Ecclesia Sancti Petri in Vaticano, Deo Volente.

1050. CLEMENS SECUNDUS, Papa CLIV. anno Domini ML. sedit Papa Babenbergae sepultus. menses X., sepultus Babenbergae, ubi antea Episcopus fuerat. Teutonicus enim fuit, quemadmodum etiam quatuor sequentes. Hic Regem Henricum Tertium & Reginam Agnetem imperiali benedictione Translatio Guidonis. sublimavit. Eo tempore Henricus Imperator, corpus Sancti Guidonis de Italia Spyram transtulit; Anno Domini MXLVII. indictione XV. quo etiam anno Henricus Tertius obiit.

1051. DAMASUS SECUNDUS Papa CLV. anno Domini MLI. sedit Papa nequam. dies XX. Poppo antea vocatus, Teutonicus fuit & Episcopus Brixensis. Hic antecessorem suum Clementem veneno sustulit, ut sibi Papatum astrueret.

1051. LEO DECIMUS, Papa CLVI. anno Domini MLI. sedit annis V. Bauno Tullensis Episcopus. mensibus duobus, natione Alemannus fuit, dictus Bauno, Tullensis Episcopus, vir magis bonus quam doctus. Hic cum Henrico Impe-Venatio Clericis prohibita. ratore, & CXLII. Episcopis Moguntiae Concilium celebravit, statuens, ne Clerici canes aut aves in venatione sequerentur: Item, ne negotia Clericis negotia secularia prohibita. secularia & turpia lucra exerceant: Item, ut nullus fiat monachus, nisi constitutus in matura aetate, & id faciat spontanea voluntate: Item, ut

quatuor tempora, quae Calistus Papa instituerat, cum jejunio quadragesimali observentur, & tunc ab Episcopo jejuno Clerici prius diligenter examinati ad sacros ordines promoveantur intra Missarum solemnia; ipso Episcopo Missam personaliter celebrante. Habuit autem conscientiam super hoc gravem, quod non suffragio populi Romani, sed ab Imperatore ad Papatum esset electus, unde se dignitate abdicavit, & electionem Ecclesiae commisit, a qua concorditer & legitime iterum electus sanctissimam vitam duxit: post obitum in Ecclesia Sancti Petri in Vaticano sepultus est, & miraculis multis claruit. Hic Papa Leo Ratisbonam aliquando venit, corpus Sancti Dionysii Areopagitae, in Ecclesia Sancti Emmerani Martyris ab Arnolpho Imperatore collocatum, conspecturus. Tunc temporis Sanctus Zenon Episcopus Veronensis Ulmam super Danubium translatus est, & positus primo in Ecclesiam Sancti Udalrici in foro Vinario, deinde in Ecclesiam Dominorum Teutonicorum in eodem oppido. Illum huc transtulit Gualtherus, Episcopus Veronensis, quia fuit natione Suevus. Iste Papa Leo usum pallii Episcopo Babenbergensi dedit, quo ter in anno uti potest, scilicet in die Sancta Paschae, in festo Petri & Pauli Apostolorum, & in festo Sancti Georgii Martyris. Eo tempore obiit Sanctus Bruno Episcopus Herbipolensis, multis coruscans miraculis.

Jejunia quatuor temporum. Quo tempore Clerici ordinandi. Leo se dignitate abdicat. Translatio Sancti Zenonis Episcopi. Usus palli Babenbergensi Episcopo concessus. Sanctus Bruno Episcopus Herbipolensis.

VICTOR SECUNDUS Papa CLVII. anno Domini MLVI. sedit annos duos, menses III. Iste etiam natione Alemanus fuit, filius Hartwigi de Calice, matre Brigitta Comitissa, Gebardus vocatus, Episcopus Eichistetensis, qui aliquando celebrans Calicem, intra actionem in Canone levare non potuit. Rogavit populum, ut omnes prostrati orarent, ut Deus revelare velit, cur Papa sanus corpore, levare Calicem non possit: quod cum fieret, subdiaconus à daemone exagitatur, & publice fatetur, venenum se in calicem misisse, ut illo eum necaret, & ideo Papa Missam complens, Calicem illum cum veneno in altare illud perpetuo clausit. 1056.

Miraculum.

DE IMPERATORIBUS.

CONRADUS SECUNDUS Franconiae Dux, Salicus vocatus, a quo in legibus lex Salica denominatur, anno Domini MXXV. regnavit XV. annis. Hic primus Imperatorum sepultus est in Spyra. Mox electus, quia paci studeret, statuit, pronunciarique fecit, ut quicunque pacem frangeret, capite truncaretur: quod edictum cum Comes Diepoldus de Calve transgressus esset, timens saevitiam Imperatoris, fugit in Nigram Sylvam non longe ab oppido & castro suo Calve cum modica familia & uxore sua, juxta quandam molendinam, ubi postea 1025.

Lex Salica. Promulgatio pacis. Diëpoldus Comes de Calve.

ab ejusdem Comitis filio Henrico Imperatore monasterium constructum est ordinis Sancti Benedicti, quod vocatur Hyrsaw. Ad illam Molendinam dum aliquando Imperator in venatione a suis famulis aberrans, ad ibi pernoctandum, divertisset, Comes clam, ne eum videret, effugit, & ideo Imperator Comitissam in puerperio jacentem solum reperit; putabat tamen eam rusticam esse, & molitoris conjugem: puero vero in cuna per totam noctem vagiente, Imperator dormire non valuit, utpote non super molles plumas, sed super arborum ramos cubans, vox in ipsa nocte de coelo ad aures Imperatoris tertio pervenit; Conrade, hic puer gener tuus erit & haeres; qui territus eo, quod homines rusticos esse putaret, mane ad suos regressus, duobus armigeris magis sibi familiaribus sub accepta fidelitate commisit, ut ad eum locum irent, & puerum vagientem occiderent, & in signum caedis sibi labium, aurem & cor portarent. Hi ergo puerum matri rapientes, cum eis dulciter arrideret, abhorruerunt occidere puerum, & cor leporis, quem a casu apprehenderant, eximentes, Imperatori attulerunt, & puerum super truncum arboris ponentes, abierunt. Hermannus vero Dux Sueviae ibidem praeteriens puerum vagientem reperit, accepit eum, & sterili uxori suae clam attulit, jubens ut diligenter puerum illum educaret, & ex se genitum simularet. Henricus itaque dictus, & vir fortis, facundus & omnibus gratiosus factus est. Hic adolescens adhuc a Duce & Ducissa vehementer diligebatur. Imperator in Palatium Ducis, scilicet in Ravesberg, veniens, adolescentem adeo venustum admirans, voluit eum semper aspectui suo astare, ipso Duce & Ducissa, prout poterant, renitentibus. Sed Imperator timens, ne forte puer ille esset, quem ipse occidi mandaverat, post annos aliquot, quibus illum penes se habuisset, misit eundem de Mediolano cum literis ad Imperatricem Aquisgrani morantem in hanc formam: Quantum tibi vita tua chara est, mox ut literas istas acceperis, adolescentem hunc necabis: qui acceptis literis itineri se accinxit. Accidit, ut dum in Domo Decani Spyrensis hospitaretur, hospes curiositate ductus dormienti literas de escario extractas aperiens (salvo tamen sigillo) legit, & scelus abhorrens, ubi scriptum erat, necabis, ipse delevit, & illuc scripsit: filiam nostram in uxorem dabis: quod est factum. Sed cum hoc Imperator cognovisset, furore nimio aestuans, de Mediolano Aquisgranum nimium festinanter venit, cum uxore valde rixans & irascens; quod mandatum suum non solum non fuisset executa, sed etiam generum sibi elegisset, quem ipse mandaverat interfici. Uxor se fecisse secundum scripta affirmans, literas ostendit; quibus visis & lectis valde admirans, a Duce Sueviae & Ducissa amica sua, item ab armigeris omnia quae cum eo facta fuerunt sciscitatur, & re comperta, dixit Imperator; Video quod Divinae ordinationi resistere nemo possit. Hic igitur Henricus post Soceri sui obitum Imperii gubernationem propter probitatis, strenuitatis, & virtuositatis mira insignia a Principibus electus, suscepit, & Monasterium Hyrsaw in loco nativitatis suae

Hyrsaugia monastarium.

Vox de coelo dimissa.

Hermannus Sueviae Dux.

Henricus postea Imperator.

Palatium Ducis Sueviae in Ravesberg.

Decani Spyrensis astutia.

Imperator irascens.

Monasterium Hyrsaugia construitur.

suae construxit. Conradus vero, quia per Decanum Ecclesiae Spyrensis ab effusione innocentis sanguinis fuerat impeditus, per literarum variationem, ut dictum est, statuit, ut Imperatores de coetero omnes in Spyra sepelirentur, & Basilicam vetustam in honorem Stephani Papae, & Martyris, consecratam funditus destruens innovavit. Incipiens etiam aedificare in eodem loco a fundamentis novam in honorem Sanctae Dei genitricis Mariae, & secundario in honorem Sancti Stephani praedicti, quam structuram cum ipse morte praeventus consummare non potuisset, totam compleverunt cum diligentia successores sui, & ibidem etiam sepulti sunt. Hic dum inter Missarum solennia Mediolani coronaretur, tanta aurae tempestas fuit ut multi interirent. Bruno Episcopus, qui Missam cecinit, & Secretarius Imperatoris dixerunt, se S. Ambrosium vidisse comminantem Conrado, unde & statim mortuus est.

Imperatores omnes Spyrae sepeliantur.

Basilica Beati Stephani in Spyra.

HENRICUS TERTIUS Rex, gener Conradi supradicti, vel filiaster ejus, vel ut quidam volunt filius ejus, PIUS cognominatus, regnavit XVII. annis, anno Domini MXL. Hic omne histrionum genus de Curia sua ejiciens, omnia dona joculatoribus dari consueta, ipse pauperibus dari mandavit. Hungaros & Boëmos adhuc plene non edomitos omnino superavit, & ad Orthodoxam fidem perduxit: postea Constantiam ad Synodum venit, ubi debita cunctis dimisit, & discordiis omnibus atque inimicitiis Nobilium & ignobilium extirpatis in omni Regno suo pacem firmavit. Deinde Agnetem Principis Pictavi filiam regalibus nuptiis in Ingelheim sibi copulavit, ubi infinitam joculatorum turbam sine cibo & potu, muneribusque vacuam & moerentem repulit, & loco illorum misit ubique cum literis suis pauperes Principibus & Magnatibus, ut Dei amore & sui reverentia munera illa illis darent, quae sibi ex more in nuptiis dare vellent, aut saltem quae joculatoribus daturi essent, sive vagis. Eo tempore inventum est Romae incorruptum Gigantis corpus longius multo ipsis civitatis turribus; hoc epitaphium habens: *Filius Evandri Pallas. quem. lancea. Turni. militis. occidit. morte. sua. jacet. hic.* Lucerna ardens erat ad caput ejus, quae nec aquis nec flatu extingui poterat, donec subter flammam foramine cum acu facto aër inmissus fuisset. Vultus Pallantis istius quatuor pedes & dimidium in longitudine habuit. Ibi post eversionem Trojae occisus jacuerat MMXL. annis. Hoc tempore in Apulia statua marmorea stabat, in cujus capite circulus aereus erat, qui scripturam hujusmodi continebat: *Kalendis Maji oriente sole caput aureum habebo*; Quod quidam prudens Sarracenus ibidem captivus, notavit umbram statuae istius, oriente sole prima die mensis Maji, & ibi defossum auri thesaurum reperiens, se à vinculis liberavit, residuum secum abducens. Illo tempore claruit Hermannus Contractus Theutonicus, nobilissimi Comitis de Veringen filius, qui cantus pulcherrimos, tractatum astrolabii, multaque utilia & mirifica compilavit: Chronica quoque Novi Testamenti, ex quibus ego notabilia

1040. Henricus Pius.

Hungari & Boëmi totum domiti.

Nuptiae Caesaris.

Pietas Caesaris erga pauperes.

Corpus Gigantis repertum.

Lucerna inextinguibilis.

Thesaurus ingeniose repertus.

Hermannus Contractus Philosophus insignis.

Sequentia, Ave praeclara.

multa transsumsi. Hic compilavit etiam de beata Virgine Maria sequentiam illam: *Ave praeclara!* & antiphonam; *O gloriosum lumen!* Et illam; SYMON BAR JONA. Item historias de annunciatione beatae Virginis, & de beata Maria Magdalena, & plura alia fecit. Huic beata Virgo, quum in coenobio Sancti Galli studeret, & durissimi ingenii esset, optionem dedit sanitatis & mundanae prosperitatis, aut scientiarum omnium plenitudinem, sed cum confusione & contractione totius corporis, excepta sola lingua; ipse scientiae perfectionem elegit, & continuo repletus Sacrarum Scripturarum fluvio est, & in toto corpore eadem hora contractus. Hoc quoque tempore recessit Orientalis Ecclesia ab obedientia Ecclesiae Romanae, & Graeci elegerunt sibi Papam anno Domini MXXVIII. Ipsi dicunt nos obcoecatos esse, eo quod credamus, Spiritum Sanctum procedere a Filio, sicut a Patre; quoniam ipsi a Patre solum procedere persuasum habent: & quod in Missa & Baptismo non eandem cum ipsis formam teneamus. Anno XVII. Imperii sui Henricus Imperator petita licentia & cunctis quae abstulit restitutis & injuriis remissis in Spyra decumbens filium suum Henricum decem annorum Regem dixit Romanorum, & paucis diebus obiit, praesente Papa Victore in Spyra, & ibidem sepultus est tertio nonas Octobris.

Optio duarum rerum Hermanno a beata Virgine oblata.

Orientalis Ecclesia ab obedientia Papae recedit.

In quibus Graeci a nobis in fide dissentiant.

Henricus filium suum Henricum Regem dixit.

1057.

Agnes Imperatrix gubernat.

Henricus Ecclesiae adversatur.

HENRICUS QUARTUS puer decem annorum, anno Domini MLVII. regnavit LIV. annis, cujus mater Agnes diu Rempublicam loco filii strenue gubernabat, & cum potenti exercitu Ducem Sueviae Fredericum, se contra Imperium erigentem, superavit. Henricus XX. annorum factus, Ecclesiae contumaciter se opposuit, unde Papa Principibus Electoribus mandavit, ut Imperatorem alium eligerent, eo quod Henricus sententias excommunicationis contemneret. Hi ergo in Phorcheim convenientes, elegerunt in Regem Romanorum Rudolphum Ducem Saxoniae, contra Henricum Imperatorem, cui etiam Papa Coronam misit, gemmis plurimis ornatam, in qua sculptus fuit ille versus:

Rudolphus contra Henricum eligitur.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Istum Rudolphum Gregorius Papa VII. contra Henricum depositum, quamvis causa nec confessa nec convicta, coronavit. Ideo Henricus Imperator strenuus & imperterritus bello Rudolphum aggressus superavit, & fugavit: dehinc Curiam in Brixiam convocavit, ubi Gilbertum Archiepiscopum Ravennensem in Papam eligi procuravit. Eo tempore Godfredus Dux Burgundiae, & quatuor Comites cruce signati, una cum ducentis millibus Antiochiam ceperunt. Tunc quidam rusticus a Sancto Andrea per visionem commonitus & edoctus, invenit ibidem lanceam, qua transfixum fuit latus Dei ac Salvatoris nostri Domini Jesu Christi, cum qua lancea ignem magnum XIII. pedum quidam, Ptolomaeus nomine, nudus corpore, per omnia transivit illaesus. Exer-

Expeditio Cruciata.

Antiochia capitur.

Lancea Christi reperitur.

Miraculum.

Exercitus igitur animatus hoc miraculo laetus processit Caesaream, ubi columba supra exercitum volans dejecta est sagitta, apud quam inventae sunt literae tales: Rex Acharon Duci Caesareae salutem: Gens contentiosa & generatio canina venit contra vos, igitur per te & tuos legem defendas, & populum: aliis civitatibus hoc itidem annuncia. In Sicilia civitas Syracusae intra Missam tanto terrae motu concussa est, ut etiam Ecclesia hominibus repleta cadente, die Dominica omnes utriusque sexus opprimerentur, praeter Sacerdotes & tres ministrantes. Anno Domini MLXIII. indictione XI. mulier quaedam Constantiae hominem peperit, duo capita habentem, & omnia membra duplicata usque ad clunes: anno Domini MLXXI. fundatum est Monasterium in Hyrsawe Sancti Petri: anno Domini MLXXV. obiit Hugo Archiepiscopus Coloniensis, multorum fundator monasteriorum. Anno Domini MLXXVII. Rodolphus Rex constitutus a Principibus, Papa praecipiente, confirmatur & coronatur a Papa, de cujus progenie post annos CC. alius Rex ejusdem Nominis de Habsburg, electus est, ut post patebit. Anno Domini MLXXIX indictione VIII. Gebardus Episcopus Constantiensis dedicavit Ecclesiam Sancti Petri in Hyrsawe, ad planum prius aedificatam: anno Domini MLXXXVII. Sanctus Nicolaus in Pateram translatus est: anno Domini MLXXXVIII. monasterium Zwifalten ordinis Sancti Benedicti fundatum est in loco, ubi hodie est, videlicet in Alpibus Suaeviae prope Reudlingen, quod fuisse prius dicitur in monte Aichel super oppidum Reudlingen, unde fulgura & tonitrua montem illum adhuc crebro infestant, quod olim sacratus fuisse putetur. Anno Domini MXCIII in Hyrsawe conventus Sancti Aurelii migravit. Eodem anno facta est Ecclipsis solis & tanta pestilentia subsecuta, quanta unquam fuit, unde versus:

Columba sire-tas scerus icta est. Syracusae terrae motu conteruntur, & homines multi opprimuntur. 1063. Mulier monstrum enixa. 1071. Hyrsaugia. 1075. Hugo Episcopus. 1077. Rudolphus Rex coronatur. 1079. Dedicatur Ecclesia S. Petri in Hyrsaugia. 1087 Translatio S. Nicolai. 1088. Monasterium Zwifalten transponitur. 1093. Ecclipsis solis, & pestilentia atrocissima secuta.

Ecclipsis solis undenis facta Kalendis
Octobris mensis, mansit ferme tribus horis.
Mors populos stravit subito, quos peste necavit.

Anno Domini MXLVIII. Hunfridus de Mompelgars avunculus Ludoldi & Cunonis Comitis de Achelm Ravennae factus est a Papa Archiepiscopus: anno Domini MLII. Reliquiae Sancti Zenonis Confessoris a Gualthero Veronensi Episcopo Ulmam translatae sunt, sicut in praecedentibus notatum est. Sub Leone X. Papa anno Domini MLXVI. Conradus de Pfullingen Treverensis Archiepiscopus electus, passus est apud Olerum. Claruerunt etiam illis temporibus viri scientia & sanctitate praecipui, Bardo Moguntinus Archiepiscopus, S. Theobaldus, Lanfrancus Cantuariensis Episcopus, Franco Scholasticus Leodinensis, Anselmus Magister nominatissimus, & S Bernardus. Anno Domini MLXXII. Theodoricus Comes de Lucelburg, qui Conradum praedictum occiderat, poenitens Hierusalem ivit, & cum multis in mari submersus est. Henricus Quartus LIV. anno Imperii sui Leodii obiit,

1048. 1052. Reliquiae S. Zenonis Ulmam transferuntur. 1066. Conradus Trevirensis Archiepiscopus. 1072.

Henricus in excommunicatione obiit. & ibidem primo sepultus est: sed, postquam Papa ibi interdictum posuisset, quod non humaretur, quia in excommunicatione obiisset, inhumatus Spyram ductus est, & in Sacello Sanctae Aphrae Martyris, a latere Ecclesiae majoris sito, sursum positum est corpus ejus in feretro, per septem annos, donec filius suus Henricus Quintus procurasset ipsum absolvi, tunc sepultus est, juxta Patrem suum & avum.

Henricus septem annis inhumatus jacuit.

1106. HENRICUS QUINTUS, Henrici praedicti filius regnavit XIX. annis, anno Domini MCVI. Hic dolose Papae, contra patrem suum, confoederatus, patre captivato, Imperium adeptus est, & oppidum Nornberg obsedit, & funditus destruxit. Nam patre a captivitate liberato, civitates Imperiales multae illi adversus eum adhaeserunt. Tunc Guiscardus & Rhobertus Francigeni Nobiles Barones de sanguine regali, bello vicerunt successive duos Imperatores Constantinopolitanos. Eodem tempore magnus per totum orbem terrae motus factus, magnas & populosas urbes evertit, quasdam etiam cum habitatoribus suis absorbuit. Item tertio nonas Januarii in Parochia Leodinensi, porca porcellum edidit, qui faciem humanam habuit. Eo tempore Sanctus Rhobertus Monachus Sancti Benedicti, ordinem Cisterciensium incoepit, quem post annos XII. Sanctus Bernardus intravit; anno Domini MCXI. in die Sancto Paschae quidam Monachus Romae ad Sanctum Laurentium extra muros, cogitans & admirans, qualiter Dominus clauso tumulo resurrexit, vidit cingulum suum, quo praecinctus fuerat, insolutum ante se in terra jacere, & audivit vocem dicentem hunc versum:

Nornberga obsessa & destructa est.

Terrae motus per totum orbem maximus.

Monstrum porci.

S. Rhobertus ordinem Cisterciensium instaurat.

miraculum de Domini Resurrectione.

Sic potuit clauso Christus prodire sepulchro.

Anno Domini MCXXIII. translatus fuit miraculis corruscantibus. Anno Domini MCXXVI. ordo Praemonstratensis incoepit, authore Domino Gofredo Comite de Bar, coöperante & adjuvante Norberto nepote Sancti Bernhardi in monte, ab Angelo sibi praemonstrato: Idem Norbertus miraculis multis coruscans a Papa postea sublimatus est in Episcopum Magdeburgensem. Eo tempore in Treveri corpus Sancti Matthaei Apostoli inventum fuit, tempore maximae famis, quae mox miraculose cessavit. Anno Domini MCXXVII. Henricus Imperator obiit, Spyra sepultus juxta sepulchrum patris, avi, & atavi. Nam in eorum sepulchris versus iste scriptus est:

1126. Ordo Praemonstratensis incoepit.

S. Norbertus Episcopus.

Corpus S. Matthaei Apost. repertum.

1127.

Epitaphium Henricorum.

Filius hic, Pater hic, Avus hic, Atavus jacet istic.

Transfertur Imperium ad Suevos.

Iste Henricus Quintus sine haerede obiit, unde translatum est Imperium a Franconibus ad Duces Sueviae, quorum primus scilicet Conradus Tertius fuit, filius sororis Henrici; quem tamen in Regno Papa favente Lotharius Saxoniae Dux praecessit. Hoc tempore claruit egre-

egregius Doctor Hugo de Sancto Victore, Parisiis in monte Martini sepultus, qui de contemplatione & de moribus & Sacramentis multa laudabilia scripsit. Huic in extremis laboranti & supra modum Sacramentum Eucharistiae desideranti, Monachi hostiam non consecratam, propter vomitus periculum, quem graviter patiebatur, attulerunt, Sacramentum Eucharistiae simulantes, quod vir Sanctus per Spiritus Sancti revelationem intelligens exclamavit: Cur me charissimi fratres fallere vultis? Non est iste Dominus meus Jesus Christus, sed quem ipse crescere fecit in agro: at illi stupefacti verum Christi corpus illi afferunt: sed Hugo propter vomitus periculum communicare non audens cum lachrymis & mira devotione hostiam sacram inspiciens sic orabat: Ascendat Filius ad Patrem & cum eo spiritus meus ad Deum, Qui creavit illum: quo dicto statim hostia disparuit, & beatus Hugo feliciter expiravit. Illis diebus Wormatiae pullus Gallinae quadrupes de ovo exivit. Item in Albania mulier monstrum peperit, quod ante faciem hominis & retro canis habebat.

Hugo Clarissimus Doctor. Hugo dolum praevidit. Hugonis extrema deprecatio. Monstrum gallinae. Monstrum hominis.

LOTHARIUS SECUNDUS Dux Saxoniae anno Domini MCXXVI. regnavit annis XIII. cum per discordiam electus esset Conradus Dux Sueviae, nepos ex sorore praedicti Henrici, sed Papa favente Lotharius praevaluit, cum Conrado post multas & cruentas disceptationes reconciliatus est. Erat autem Lotharius Catholicus totus & Ecclesiae fidelis advocatus: filiam suam dedit in uxorem Henrico Duci Bavariae, qui cognominabatur superbus, habens fratrem juniorem virum bellicosum, qui vocabatur Guelpho, de quo, ut postea dicetur, ortum habet, quod Itali & Longobardi Papae faventes dicuntur Guelphi, & faventes Imperatori Gyblingi: Eo tempore tanta siccitas in Francia & ubique fuit, ut flumina magna, lacus, fontes & putei siccarentur, ignis quoque qui per rimas terram subintraverat, nulla aqua aut arte extingui poterat, per totum biennium. Ideoque fames & pestilentia validissima subsecuta per Franciam, Longobardiam & Italiam, bestias & homines absumsit: Anno Domini MCXXIX Lotharius Caesar adhuc cum Conrado non reconciliatus, Sueviam vastans Ulmam obsedit. Eo tempore Rogerius, & Guilielmus frater suus Duces Normanniae, audientes discordiam inter Lotharium & Conradum, intraverunt Siciliam manu forti, & obtinuerunt eam: veniens autem Innocentius Papa secundus cum copioso exercitu voluit Rogerium de terra fugare; sed occurrens Rogerius ipsum Papam cepit, sed honeste detinuit. Unde Papa, Lothario annuente, se tali conditione a captivitate liberavit, ut Regnum Siciliae, quod longo tempore Imperio incorporatum fuerat, sicut Regnum Longobardiae in feudum perpetuum ipsi Rogerio ac haeredibus suis cederet, & ob id Papa hodie adhuc scribit Regnum Siciliae esse Sancti Petri Patrimonium Spirituale, quod Conradus & successores sui Romani Reges ac Caesares nunquam ratum habere voluerunt.

1126. Duo Imperatores electi. Henricus superbus Dux Bavariae. Guelpho. Maxima terrae siccitas. Pestilentia & fames secuta maxima. Ulma obsessa a Lothario. Rogerius Siciliam obtinuit. Innocentius Papa captus. Regnum Siciliae Rom. Imperio alienatur.

CONRADUS III. frater Hermanni Ducis Sueviae, Anno Domini MCXXXIX. 1139.

MCXXXIX. regnavit annis XIV. sed ad Imperium non ascendit, eo quod se illi per aliquot annos Papa opposuerit, impediens ne ad Imperium perveniret, neve manu potenti Regnum Siciliae recuperaret. Nam stipendiavit Ducem Bavariae Henricum superbum, generum Lotharii Caesaris praedicti, & juniorem Ducem Guelphonem fratrem Henrici superbi, ut vexarent fortiter Conradum Regem in Alemannia, ne posset se ad partes Italiae aut Siciliae aptare. Henricus itaque Dux habens in sua potestate insignia regalia reservata & sibi commissa a Lothario Socero suo, noluit ea Regi Conrado resignare, cui etiam Papa Gregorius invasor Siciliae magnum exercitum Italorum, Gallorum & Siculorum ad fortiter pugnandum contra Conradum misit: Ast Fredericus Conradi filius se contra Guelphonem juniorem Ducem bellandum praeparavit. Henricus enim jam senectute deficiens, bellare non potuit: congressi ergo ad pugnam Fredericus Dux Sueviae ex parte Conradi patris sui, & contra Guelphonem ex parte Henrici fratris, prope coenobium Eresheim in provincia Rhetiae, victoriam gloriosam obtinuit Fredericus, multis interfectis de exercitu Guelphonis; ipse vero Guelpho cum paucis effugit. Sed secundario se contra Fredericum pugnandum prope Winsperg, juxta villam quae Ellenhoven dicitur, praeparavit, ubi Guelpho ipse occisus est, & cum eo multi de exercitu suo, paucis admodum fuga elapsis. Clamor vero adhortationis ad resistendum ac fortiter pugnandum in exercitu Guelphonis erat: *Hie Guelph*, qua propter Fredericus in confusionem clamare jussit suos *Hie Gibling*, se Giblingum appellans a nutrice sua villana, per hoc significare volens, quod non regali potentia patris sui, nec per Ducatum Sueviae praeëminentem Guelphonem debellare velit, sed lacte nutricis suae, hoc est auxilio & potentia rusticali, sicut & fecit. Itali autem & Galli, Longobardi & Siculi non intelligentes, quid esset: *hie Guelph:* & quid: *hie Gybling*, quaesiverunt sibi exponi; declaratum illis fuit, quod Papales intelligerentur per vocem *Guelph* & Imperiales per *Gybling*, ob id usque huc per totum orbem ab illo eventu Papae adhaerentes *Guelphones* appellantur, *Gyblingi* qui Imperatori. Post hoc Conradus Rex abstulit Ducatum Bavariae Henrico superbo, & contulit illum Lodovico de Scheiringen, liberae conditionis militi, qui auxilio Regis, Henricum uxorem & liberos suos fugavit, qui peditando in Saxoniam venientes, ad filium Lotharii Ducem Saxoniae, ab eo accepti sunt, & necessaria victus usque ad mortem perceperunt. Eo tempore Turcae Hierusalem & totam terram Sanctam obtinuerunt, quapropter Papa timore perculsus, Sanctum Bernardum Abbatem Clarevallensem pro reformanda pace inter sedem Apostolicam & Regem Conradum, misit legatum in Alemanniam. Haec reconciliatio in Spyra facta est, & in Franconafurdo sigillis Principum roborata. Tunc Rex Conradus a Sancto Bernardo in oppido Franconafurd cum multis Principibus cruce signatus est, & de Lotharingia, Flandria, & Anglia fortissimis pugnatoribus adunatis, Iconium venit, ubi

Conradus iste ad Imperium non venit.

Galli, Itali & Siculi in Germania pugnant.

Fredericus Conradi filius.

Atrox pugna.

Guelpho occiditur.

Proverbia duo vulgaria orta.

Papales Guelphi.

Imperiales Gyblingi.

Duces Bavariae privantur Dominio & vagantur.

Turcae terram Sanctam obtinent.

Reconciliantur Papa & Imperator per S. Bernhardum.

Multi Principes a S. Bernhardo cruce signantur.

ubi Lodovicus Rex Franciae per Hungariam ad eum venit. Sed Graeci calcem farinae inmiscentes, magnum fecerunt exercitui detrimentum, sed post magnam stragem propter corruptum aërem & cibum, quem Graeci perfidi calce infecerant, in die Divisionis Apostolorum Hierusalem recuperatur, & ibi tot infideles occiderunt, quod usque ad talos in occisorum sanguine ambularent. Demum constituto ibi Rege Balduino, qui in idiomate Gallico & Teutonico instructus erat, discordantibus quam valde qui ad custodiendam Terram Sanctam relicti erant, quamvis pacem & concordiam saepius fecissent, sed parum proficerent, timerentque multorum defectionem, Reges in Patriam quisque suam reversi sunt. Floruit tunc in Calabria Joachim Abbas Floriacensis, qui super Johannem, & omnes Prophetas Apocalypsis libros mirificos compilavit, in quibus ante diem Judicii extremi ventura multa praedixit, in pariete cubiculi sui imaginem depinxit Fratris Minorum cum quinque stigmatibus Christi, tales viros, dicens, cito esse futuros, funibus praecinctos, sandaliis calceatos, viros sanctissimos & pauperrimos, multa ab universis passuros esse, sed tamen ad finem seculi duraturos. Hic regibus transfretantibus vel transfretare volentibus prophetavit, nondum venisse tempus, eosque parum effecturos quod & factum est. Eo tempore Petrus Comestor Historiam Scholasticam composuit. Item ordo Templariorum incoepit & Hospitaliorum in Hierusalem.

Graecorum perfidia. Hierusalem recuperata. Balduinus Rex Hierusalem. Discordia Regum in Terra Sancta. Abbas Joachim. Fratres Minoritani praenunciati sunt. Petrus Comestor. Templariorum & Hospitaliorum ordines orti.

DE PONTIFICIBUS.

STEPHANUS IX., Papa CLVIII. natione Alemannus, frater Ducis Lotharingiae, monachus Cassinensis, anno Domini MLVIII. sedit menses X.: huc usque quinque Papae Teutonici fuerunt, omnes Ecclesiam bene regentes. 1058.

BENEDICTUS DECIMUS Papa CLIX., Campanus, Viletrensis Episcopus, a Romanis adjutus Papatum irrequisito Rege invasit, sed Henricus Rex, Principum deliberatione praehabita, Episcopum Florentinum Gerardum nomine, Papam constituit, Benedicto depulso. Sedis Apostolicae invasor. Papa dejicitur.

NICOLAUS SECUNDUS Papa CLX., anno Domini MLX. sedit annos duos, menses VII. vocatus prius Gerardus, Episcopus Florentinus. Hic Romae Concilium contra Berengarium Thyronensem Archiepiscopum celebravit, *de confess. dist.* II. *Ego Berengarius.* In eodem Concilio Henricum Tertium Imperatorem & Augustum declaravit, Imperiique corona insignivit. 1060. Berengarius ab errore revocatur.

ALEXANDER SECUNDUS Papa CLXI. Anselmus prius vocatus, Episcopus Lucensis, Principum favore adjutus, Carolum dejecit, 1062. Schisma.

P

jecit, qui jam per mensem Pontificiam sedem occupaverat. Anno Domini MLXII. sedit annis XI. menses VII. Hic constituit *Alleluja* suspendi a LXX usque ad Pascha. Item ut Sacerdos non baptizatus baptizetur, & per omnes gradus denuo a principio consecretur: Item ut Subdiaconus perpetuo sit castus.

Alleluja suspendi a LXX. ad Pascha.

Subdiaconus sit castus.

1073. GREGORIUS SEPTIMUS, antea Hildebrandus, Prior Cluniacensis, anno Domini MLXXIII. sedit annos XII., mensem unum. Hic constituit, ut festa Romanorum Pontificum, qui Martyrio coronati essent, solenniter celebrentur. Idem sub poena excommunicationis prohibuit auguria, sortilegia ac omnes magicas incantationes. Hic dum in nocte Nativitatis Domini Romae Missam celebraret, veniens Praefecti filius ipsum captivavit, & in turrim vinculatum conjecit. Sed Romani turrim eandem nocte perfringentes, Papam liberaverunt; Praefectum vero cum tota familia sua expulerunt. Hic Papa excommunicavit Henricum Imperatorem & Episcopum Coloniensem, cum multis Nobilibus Alemannorum: sed Henricus Imperator se humilians in Longobardiam venit ad Papam, & nudis pedibus in nive ante Ecclesiam tam diu stetit, donec veniam, misericordiam & gratiam Papae obtinuisset. Hic Papa Episcopum quendam Symoniacum sibi accusatum citavit, qui cum advenisset, eum dicere jussit; *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto:* incoepit, sed Spiritum Sanctum, in quem peccaverat, exprimere non potuit, donec peccatum Symoniae quod commiserat, publice confessus esset.

Festa Romanorum Pontificum.

Augurium & ars magica pariter prohibita.

Papa capitur.

Henrici humilitas.

Miraculum & ultio Dei.

1085. VICTOR TERTIUS, Papa CLXII. anno Domini MLXXXV. sedit annum unum, menses IV. Hic antea Abbas Cassinensis fuit, & veneno sibi in calice ministrato necatus, cujus consilii Henricus non ignarus fuisse creditur, quod & ipsum persequi coepisset.

Veneno necatus.

1086. URBANUS SECUNDUS Papa CLXIII. in ordine a Sancto Petro, anno Domini MLXXXVI. sedit annos XIII. menses IV. Hic in Concilio Placentino Praefationem de beata Virgine: *& te in veneratione beatae Mariae semper Virginis* &c. quam ipse composuit, decantari constituit, cum officio de beata Virgine omnibus Sabbatis, nisi festum impediat, quod proprium officium habebat. Item, horas beatae Virginis quotidie in Ecclesia dici constituit; Item, ut nullus ad poenitentiam recipiat subditum alterius Sacerdotis, nisi in casibus expressis in Jure. Eo tempore incoepit ordo Carthusiensis.

Praefatio de beata Virgine instituitur.

Horae beatae Virginis.

Ordo Carthusiensium.

1099. PASCHALIS SECUNDUS Papa CLXIV. anno Domini MXCVIIII. sedit annos XVIII. menses V. Huic Henricus Quartus promisit per literas, se de Investituris Episcoporum de caetero nullatenus intromissurum: sed Romani veniens, cum jurare deberet, Papam cum Cardinalibus captivavit, quos tamen honeste ad tempus habens, ipsos a captivitate absolvit, & tandem reconciliationem Imperialem a Papa recepit, juramento a Papa accepto, quod se de Investitura Episcoporum & Abbatum Regalium amplius non intromitteret, sed Imperator sicut hactenus de his disponeret prout vellet. Papa liberatus Papatum resigna-

Papa captivatur.

Papa dignitate se abdicat.

ſignavit, ſed Cardinales eum iterum eligentes coëgerunt infringere praeſtitum juramentum. Tunc incoepit ſe Papa graviter opponere Henrico, & contra eum & ſuos coadjutores excommunicationis ſententias uſque ad mortem ubique terrarum fulminare, unde gravis & longa decertatio inter ſedem Apoſtolicam & Imperium eſt exorta. Graviſſima diſcordia inter Papam & Imperatorem.

GELASIUS SECUNDUS Papa CLXV. anno Domini MCXVII. ſedit annum unum; contra illum Henricus Imperator ordinari procuravit quendam nomine Burdinum, quem Caliſtus ſucceſſor Gelaſii coepit, & camelo impoſitum retrorſum Romam perduxit, tenentem caudam cameli pro freno, & eum in vincula conjecit. Paulo poſt ipſe cum Imperatore in gratiam venit. Eo tempore Sanctus Anſelmus Epiſcopus Cantuarienſis floruit. 1117 Schiſma. S. Anſelmus.

CALISTUS SECUNDUS Papa CLXVI. ſedit annos V. menſes X. anno Domini MCXVIII. Huic Henricus Imperator Inveſtituras Epiſcoporum & Praelatorum libere reſignavit, concedens in omnibus Eccleſiis fieri Canonicam electionem. Anno Domini MCXX. venit Joannes Patriarcha Indorum Romam, narravit Papae Caliſto, Cardinalibus & omnibus Praelatis praeſentibus in Conſiſtorio publice, qualiter Sanctus Thomas Apoſtolus omni anno communicet populum, manu ſua porrecta dignis, & retracta indignis in civitate Hulna. 1118. 1120. Patriarcha Indorum. S. Thomas quotannis populum communicat.

HONORIUS TERTIUS Papa CLXVI. anno Domini MCXXIII. ſedit annos V. menſes II. Hic ordinem Templariorum & ordinem Hoſpitalariorum confirmavit: Hic duos Patriarchas depoſuit, Aquilejenſem & Venetum, quod Schiſmaticis faviſſent. 1123. Confirmantur ordines Templariorum & Hoſpitalariorum.

INNOCENTIUS SECUNDUS Papa CLXVII. anno Domini MCXXIX. ſedit annis XIII. menſes VII. cum quo Anacletus per diſcordiam electus, Innocentium fugat in Galliam; reverſus tandem Innocentius Papatum obtinet, & Eccleſiam aedificavit beatae Virginis ad fontem olei, qui ibi erupit hora Nativitatis Chriſti, & ut terra de oleo madefacta infirmi plurimi ſint curati. Hic conſtituit, ut ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat, qui in Clericum injicit manus violentas. Item, ut Clerici cum Monialibus in uno Choro nullatenus ſimul decantent. Item, artem baliſtarum adverſus Chriſtianos ſub anathemate prohibuit. Item, quia ad ejus notitiam pervenit, quod Sacerdotes non toties communicarent, quoties celebrarent communionem, ideoque ſtatuit, ut qui celebraret communionem, percipiat in qualibet Miſſa, ſub anathemate. 1129. Schiſma. Quod laedens Clericum ipſo facto ſit excommunicatus. Quod Sacerdotes in omni Miſſa communicent.

COELESTINUS SECUNDUS Papa CLXVIII. anno Domini MCXLII. ſedit menſes V. peſtilentia obiit, & in Laterano ſepultus. Tunc floruit Ricardus de Sancto Victore, vir ſummae contemplationis, ut bene declaravit in Expoſitionibus veteris Miſſalis, & aliis dulcibus Tractatibus, quos compilavit. 1142. Ricardus de Sancto Victore.

LUCIUS SECUNDUS Papa CLXIX. anno Domini MCXLII. ſedit menſes XI. Eo tempore floruit Petrus Lombardus, qui libris Sententiarum Eccleſiam Dei decoravit; cujus Germanus fuiſſe dicitur 1143. Petrus Lombardus.

P 2 Ma-

Magister Gratianus. Magister Gratianus, qui Decretum ex dictis Sanctorum Patrum & summorum Pontificum statutis, comportavit anno Domini MXLII. require in *Decreto* II. *quaest.* VI. *forma apparatus.* Tunc etiam vixit in Alemannia in oppido, quod Pinguia vocatur, super Rhenum Sanctimonialis Hildegardis Prophetissa, cujus libros mirabiles ego vidi & legi.

Hildegardis Prophetissa.

1143. EUGENIUS TERTIUS Papa CLXX. anno Domini MCXLIII. sedit annis VIII. menses V. Hic fuit Sancti Bernardi discipulus, & quia in monachatu fuit simplex & bonus, Deus ipsum gratia & eloquentia mirabili illustravit. Hic canonizavit Sanctum Henricum Secundum Imperatorem: Cardinalis vero quidam se vehementer opposuit, quasi Sanctus Henricus indignus sit, ut hic & in alia patria gloriosus existeret: quare visu omnino privatur, sed cum super hoc poenituisset, Sanctus Henricus ei apparuit increpans, quod quia mente coecus fuisset, merito & corporali luce orbatus esset, ex quo vero jam per cordis compunctionem visum interiorem recuperasset, ideo, dixit, etiam tibi visum exteriorem restituo, in signum quod ego merito catalogorum numero adscribendus sum, unde statim poenitens & canonizationem promovens illuminatus est. Hic Eugenius in magna Sanctitate obiit, & in Ecclesia Sancti Petri sepultus multis miraculis corruscavit: moritur etiam eodem anno Sanctus Bernardus.

Henricus Secundus canonizatur.

Miraculum.

Visus Cardinali restituitur.

S. Bernardus obiit.

1152. ANASTASIUS QUARTUS Papa CLXXI. anno Domini MCLII. Abbas Sancti Rufi prius, sedit annum unum, menses IV.

1153. HADRIANUS QUARTUS Papa CLXXII. anno Domini MCLIII. sedit annos quatuor. Anglicus natione fuit, gentem Nortwegiae ad fidem converterat, & instituerat, prius quam in Papam electus esset. Papatui optime praefuit, & in Vaticano sepultus est.

Gentem Nortwegorum ad Christum convertit.

1157. ALEXANDER TERTIUS, Papa CLXXIII. anno Domini MLVII. sedit annos XXII. Hic constituit, ut de caetero pro Sancto nullus coleretur sine approbatione & consensu sedis Apostolicae. Item, constituit in populum & loca fieri sententiam interdicti, propter delictum populi vel Domini. Item, ut nullus Clericus habeat duas Vicarias perpetuas: item, ut conjugati religionem ingredi volentes separentur auctoritate Episcopi, si alter castus permanere velit in seculo; item, ut affinitas & compaternitas impediant matrimonium contrahendum, & dirimant contractum. Item, ut Praelatus debita praedecessoris sui, pro necessitate Ecclesiae vel utilitate contracta, solvere teneatur. Item, ut Papa à duabus partibus Cardinalium eligatur, & qui se aliter pro Papa erigeret, is ipso facto excommunicatus sit; *Extra: de Elect. licet.* Anno Domini MCLXXIV. Sanctus Thomas Archiepiscopus Cantuariensis occisus est, & ab Alexandro Papa Canonizatus, qui etiam misit duos Cardinales in Angliam, coram quibus Rex Angliae juravit, quod nec consilio nec mandato suo Sanctus Thomas interemptus sit ab illis, qui eum occiderunt.

Novus Sanctus absque consensu Rom. Pont. non colatur.

Pluralitas beneficiorum prohibita.

Paternitas impediat matrimonium.

1174. S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis.

1179. LUCIUS TERTIUS Papa CLXXIV. anno Domini MCLXXIX. sedit

dit annos IV., menses II. Hic constituit, ut Missa concubinarii possit audiri, & quod ab eodem possint recipi Ecclesiastica Sacramenta, quamdiu ab Episcopo suo toleraretur: gravissime tamen uterque peccat, & Sacerdos talis celebrans, vel Sacramenta porrigens, & Episcopus eum tolerans. Hic Lucius antea Episcopus Ostiensis fuit, & ejus vita his metris continetur:

Missa concubinarii audienda.

Ab auctore improbatur.

Luca dedit lucem tibi Luci, Pontificatum
Ostia, Papatum Roma, Verona mori.
Immo Verona dedit verum tibi vivere, Roma
Exilium, curas Ostia, Luca mori.

Epitaphium Lucii Papae.

URBANUS TERTIUS Papa CLXXV. anno Domini MCLXXXIII. sedit annum unum, menses VI. de Mediolano fuit, qui audiens Hierusalem a Sarracenis captam moerore obiit. Sepultus Ferrariae. 1183.

Moerore animi obiit.

GREGORIUS VIII. Papa CLXXVI. sedit menses duos; Beneventanus fuit, magnum zelum pro Terra Sancta recuperanda habuit, sed citius obiit; Pisis sepultus.

CLEMENS TERTIUS Papa CLXXVII. anno Domini MCLXXXV. sedit annos duos, menses VIII. Hic constituit, ne sponsae traducantur solenniter a septuagesima usque ad octavam Paschae, & a rogationibus usque ad octavas Pentecostes, & ab Adventu Domini usque ad octavam Epiphaniae; Item ne Clerici pugnent in duello, nec alios pugiles pro se pugnare permittant. Item prohibuit, ne missam celebret, qui sibi genitalia absciderit, vel abscindi procuraverit. Item, ut paternitas impediat matrimonium contrahendum, & dirimat contractum: & si duxeris uxorem compatris tui defuncti, matrimonium non stabit, tanquam si ipsa levasset puerum tuum de baptismo, quia vir & uxor communicant sibi actiones. Ejus tempore factum est Passagium magnum, contradicente Abbate Joachim, quia nondum venisset typus. 1185.

Nuptiae non celebrentur.

Clericis pugnare prohibitum.

Paternitas impediat matrimonium.

Passagium.

COELESTINUS TERTIUS Papa CLXXVII. anno Domini MCLXXXVIII. sedit annos sex, menses VII. Hic die sancto suae consecrationis Henricum Sextum coronavit in Imperatorem. Hic constituit, ne quis eodem die plures ordines sacros recipiat: Item, ut pueri qui nutriuntur in monasteriis in habitu monachali, cum pervenerint ad annos discretionis, licite possint, si voluerint, ad seculum reverti ad haereditatem paternam; Item, ut in Ecclesiis conventualibus fiat electio Praelati. 1188.

Henrici VI. coronatio.

Pueri in Monasteriis.

Electio Praelati.

INNOCENTIUS TERTIUS Papa CLXXVIII. anno Domini MCLXXXXV. sedit annos XVIII. menses V. Hic constituit, ut ultra quartum consanguinitatis gradum licite matrimonium contrahatur, quia olim prohibitum fuit usque ad septimum gradum: item, quod si excommunicatus in morte habuerit signa contritionis, post mortem absolvatur, & recipiatur cum suffragiis ad Ecclesiasticam sepulturam. Item, quod ante carnalem copulam possit alter conjugum Religionem intrare, al- 1195.

Matrimonium contrahatur post quartum gradum.

Nota de Sponsis.

Judaeorum habitus.
Christiani Judaeis non serviant.
Pluralitas beneficiorum prohibita.
Pro Religiosis.
Pro infirmis.
Jus eligendi Romanum Imperatorem.
Novitii ad professionem nunquam admittantur ante finitum annum.
Episcopus xxx. famulis sit contentus.
Archidiaconus vii. famulis.
Vigiliae Apostolor. jejunentur.
Synagogae Judaeorum.
Concilium Lateranum.
Liber Joachimi damnatus.
Almericus & sua doctrina damnata.
Errores Almerici Haeretici.

altero etiam invito. Item, ut Judaei vestes portent omni tempore, quibus cognoscantur, & non permittantur diebus lamentationum prodire in publicum, immo fenestras & januas claudant. Item, ne Christiani Judaeis in domibus vel agris serviant, prohibuit, ut habetur: *Omnis utriusque sexus*; *Decret*: quae Decretales qualiter intelligi debeant, require in apparatu. Item, quod nullus plura beneficia Ecclesiastica curata sive plures dignitates habeat sine Papae permissu. Item, quod religiosus possit transire ad Religionem strictiorem, Superioris licentia petita, etsi non obtenta. Item, quod infirmi in quadragesima possint comedere carnes, si necessitas hoc requirat, judicio medicorum. Item declaravit, pertinere ad Principes Alemaniae jus eligendi Regem Romanorum, futurum Imperatorem, & quod electus regalia percipiat, nisi haereticus fuerit, stolidus aut perpetuo infirmus; *Ext. de Elect: venerabilem*. Item, ut novitii non recipiantur ad professiones, nisi finito anno probationis, cum possint renunciare jure suo. Item, Episcopus volens visitare Parochias, non gravet Clericos exactionibus vel expensis, nec ducat plures famulos, quam xxx. Item Archidiaconus non ducat ultra vii. famulos, & sit omnino sine canibus. Item, vigiliae Apostolorum jejunentur, Joannis Euangelistae, Philippi & Jacobi & Barnabae tantum, exceptis pro quibus jejunat Ecclesia, tres dies rogationum. Item, quod Judaei Synagogas nullas erigant; sed antiquas reficiant, non tamen amplient. Hic Innocentius Concilium Lateranense celebravit anno Domini MCCXV., in quo damnavit libellum Joachim, quam contra Magistrum Lombardum composuit; Item Almericum Episcopum Casiocensem cum sua doctrina damnavit, qui dicebat ideas, quae sunt in mente Divina, creari: Item dicebat, Deum finem omnium dici, quia in eum omnia reversura essent, ut inmutabiliter in illo quietentur, & unum individuum in Deo permaneant, & quod alterius naturae non sit Abraäm, & alterius Isaäc, sed unius atque ejusdem, sicut omnia dixit unum fieri, & omnia Deum esse. Item, quod sicut lux non videtur in se, sed in aëre, sic Deum in se non videri ab Angelis aut hominibus, sed tantum in creaturis. Idem dixit: quod si homo non peccasset, non fuisset in duplicem sexum partitus, nec per generationem fuissent homines multiplicati, sed sicut Angeli permansissent. Item dixit, quod post Resurrectionem utriusque sexus adunabitur, sicut in creatione fuit, eo quod Christus post suam Resurrectionem talis apparuit; Item quod in charitate constitutis nullum imputetur peccatum: haec omnia dixit Almericus haereticus, & ideo damnavit eum Innocentius Papa in Concilio Lateranensi, in quo congregati erant MCCXV. Praelati. Idem Papa dedit cuilibet Ecclesiae in Roma unam libram argenti, ut inde Calix pararetur. Item, ad consilium Sancti Francisci, fecit in urbe Roma Hospitale Sancti Spiritus.

Libertas peccandi fratribus & sororibus charitatis.

Hospitale Sancti Spiritus.

DE

DE IMPERATORIBUS.

FREDERICUS PRIMUS filius Hermanni Ducis Sueviae, anno Domini MCLII. regnavit XXXVIII. annis. Hic largus fuit, strenuus & facundus, in omnibusque gloriosus. Huic Soldanus Babyloniae vas misit Smaragdinum balsamo plenum, cujus precium & decorem Imperator magnis laudibus extollens, dixit: Absit ut ego solus tam pretiosam rem possideam; & videntibus Soldani nunciis, vas projecit in terram, & jussit Principes, ut frusta colligerent & inter se dividerent. Hunc Hadrianus tertius Papa coronavit in Ecclesia Sancti Petri Romae, cum magna solennitate, sed cum reverti vellet ad castra, Romani insequentes eum hostiliter invaserunt apud portam Sancti Petri, aut Angeli, & eum usque ad tentoria persequuntur: sed Teutonici se invicem conclamantes Romanos caedunt, captivant & repellunt. Eo tempore Rex Alopiae coepit civitatem Edessam, ad quam post Ascensionem Domini Judas venit Apostolus, frater Jacobi minoris & Simonis Cananaei, ad Regem Abagarum, cui Christus aegrotanti literas misit, promittens ei se missurum Apostolorum unum, qui eum ab infirmitate curaret. Rex igitur Alopiae Francos, in ea civitate repertos omnes, aut morte aut exilio damnavit, Archiepiscopum cum toto Clero suo decollavit. Eodem anno Soldanus Hierusalem cepit, & Crucem Domini inde asportavit. Tunc sol obscuratus est, & fames maxima subsecuta, terrae motus etiam tam vehemens factus, ut Antiochia, Tripolis, Damascus & Cathana civitates pene totum corruerint, & viginti millia hominum casu sint necati: Et mare Siciliam inundans quinque hominum millia submersit. Eo tempore etiam Comes quidam satis nobilis pacem & edictum Imperatoris violaverat, qui propterea captivatus morti adjudicatus erat: cum autem ad decollandum duci deberet, plures de amicis suis dicebant. Ah! tentemus adhuc semel, an forsitan dominus Imperator precibus flecti possit, & servitium nostrum perpetuum acceptare, & vitam cognato nostro donare, aut si omnino non velit, ut illi spatium saltem longius impetremus. Venerunt ergo ad Imperatorem, obnixis precibus pro illo supplicantes, dixit Imperator: Eruantur illi ambo oculi; eruto autem uno oculo, dixerunt amici: Tentemus iterum, an Imperator nostri causa contentari in effossione unius oculi velit, at Comes jam uno oculo privatus respondit; Non fiat, nam antequam vellem uno oculo intueri Imperatorem in tanto timore, sicut vidi, potius velim ambobus privari, imo si haberem centum oculos, omnes perdere vellem, quam ipsum denuo inspicere. Acceptum illud; sic visu privatus ad extremum. Anno Domini MCLXII. Fredericus subvertit Mediolanum, trium autem Ma-

1152. Mores Frederici I. Caesaris.

Hadrianus Tertius Papa Fredericum coronavit. Romani Caesarem invadunt:

Edissa civitas capitur. Judas Apostolus. Rex Abagarus.

Hierusalem a Turcis capta. Ecclipsis solis. Fames, terrae motus. Aquarum inundatio. De Comite quaedam.

Comitis pertinacia.

1162 Mediolanum subvertitur.

Trium Magorum corpora Coloniam transportantur.

Magorum corpora apud Sanctum Eustorium, ubi nunc est habitatio fratrum Praedicatorum, recondita, dedit Regnaldo Archiepiscopo Coloniensi, quae olim de Perside Constantinopolim translata fuerant, & a Sancto Eustorio de Roma Mediolanum. Legitur enim in libris quibusdam, quod tres Magi post Ascensionem Domini ab Apostolo Thoma baptizati & in fide Christiana instructi multos converterunt, & Regia dignitate deposita Hierusalem iterum venerunt invisere Sancta loca, quae Deus Homo peragravisset: ibique mortui, & sepulti, post multos annos ab Helena Imperatrice Constantinopolim translati sint, deinde Romam a Theodosio Juniore transvecti, demum a Sancto Eustorio in curru Mediolanum duobus bobus eum trahentibus; sed quod accurrens lupus bovem unum laniavit devoravitque: Fugienti Sanctus Eustorius praecepit, ut reverteretur & se bovi alteri adjungi permitteret, currumque cum illo usque Mediolanum traheret, quod & fecit, postremum (ut dixi) Coloniam sunt transportati. Illo tempore ortum est obscaenum proverbium in Longobardia *Tenesic*. Nam cum Imperator de Mediolano in Italiam obiisset, reliquissetque ibi Imperatricem, pars civium, qui erant Guelphi eam cum domicellis suis super asinos sedere compulerunt, & caudas jumentorum praepostere sedentibus in manus pro frenis dantes, ita ignominiose ad Comam usque perduxerunt: quod postquam Imperator cognovit, Mediolanum obsedit, & ea obtenta, muris nudavit, aedificia destruxit, & divitiis omnibus spoliavit, plurium Reliquias Sanctorum ibi repertas inter Principes & Praelatos divisit, Reos laesae Majestatis ante portam civitatis compulit, asinorum ad hoc ibi locatorum ficus sugere, quod cum fieret, proverbium illud ortum *Tenesic*. Tunc temporis in coelo tres Lunae apparuerunt, & postea tres Soles etiam, per quae satis significata est magna discordia Cardinalium in electione Papae; & Principum in electione Regis, futuri Imperatoris. Nam Hadriano Papa mortuo, tres simul per discordiam electi sunt, quorum unus auxiliante Imperatore Papatum potenter obtinuit. Alexander alter in Franciam fugit, quem persequens Imperator, cum Dacis & Boëmis Regem Francorum bello aggressus est: sed nihil profecit: duravit hoc schisma annis XVIII. Tunc Teutonici, qui in Tusculo pro Imperatore morabantur Romanos invaserunt, & ab hora nona ad vesperas usque, tot occiderunt vel plures, quam Hannibal apud Cannas, numerus quorum hoc metro comprehenditur.

De tribus Magis multa. — Miraculum. — Obscaenum proverbium Tenesic. — Imperatrix ludibrio habita. — Rei laesae Majestatis. — Tres in coelo lunae, tres item soles. — Schisma magnum. — Romanorum innumeri occisi.

Mille decem decies, & sex decies quoque seni.

Tandem Fredericus Imperator Alexandro Papae reconciliatus, pro poenitentia Crucem assumens transfretavit, & post multas victorias in parvo fluvio balneans ad refrigerandum corpus, cunctis videntibus submergitur, & in Tyro sepultus est; filius etiam ejus Fredericus nomine Dux Sueviae in obsidione Ptolomaidis cum multis Nobilibus de
1170. Francia & Anglia pestilentia obiit. Anno Domini MCLXX. Guelpho Bava-

Frederici infelix obitus. — Filius Frederici.

Bavariae Dux, Hugonem Palatinum in Tubinga potenter obsedit, habens in exercitu suo tria millia pugnatorum, & coadjutores tres, Episcopos Spyrensem, Wormatiensem, & Augustensem, ac Bercholdum Ducem de Zeringen, Marchionem de Baden, & plures Comites atque Barones. Sed Fredericus Dux Sueviae supra dictus, qui in obsidione Ptolemaidis obiit, com mille quingentis militibus Palatino in auxilium veniens, omnes de obsidione fugavit, & multos occidit, nongentos captivavit: quod audiens Pater suus Fredericus Imperator, filio scripsit & praecepit, ut omnes captivos restitueret, & Guelphonis gratiam quaereret, quam tamen non invenit, quia Guelpho prae tristitia obiit.

Tubinga obsessa.

Frederici Ducis Sueviae victoria.

HENRICUS VI. Frederici Primi filius, anno Domini MCLXXXXI. regnavit annis VII. Hic vivente adhuc Patre cum quandoque Ertfordiae esset, multi Comites & Barones fractis trabibus in cloacam ceciderunt, eorumque octo in stercore submersi sunt: ipse tamen cum quibusdam evasit. Anno Regni ejus primo Ecclipsis solis facta est VIII. Kalendas Julii ab hora tertia usque ad nonam; & pluviae tantae tonitruaque, & fluminum excursiones sive inundationes tantae fuerunt, quantas nemo prius nec posterius vidit; corvi etiam multi ignoti generis in aëre volantes ignitos carbones in ore portabant, & domos plurimas incendebant. Anno tertio Henricus Apuliam in festo agmine intrans, exercitum fere totum amisit: Item, secundo aggrediens, totam obtinuit, & multos captivos in Alemanniam duxit. Regem Epyrotarum, & Tancredum filium Regis Siciliae, cum matre sua Margaretha, in exilium in Alemanniam destinavit: anno Domini MCXCVIII. Henricus Imperator obiit. Tunc Principes in electione nimis discordantes quidam Othonem Ducem Saxoniae elegerunt, quod & Innocentius Tertius Papa comprobavit, quidam vero Philippum fratrem praedicti Henrici. Sed illius electionem idem Papa propter rationabiles causas improbavit: *Ext. de electione; Venerabilem!* Tunc fames valida fuit in Alemannia, & etiam crudelia bella multis annis. Anno Domini MCC. ordo militum Theutonicorum in Acharon originem coepit. Anno Domini MCCVI. Sanctus Franciscus annos jam natus XXV. incoepit ordinem Fratrum Minorum, & vixit ulterius annos XX., in quibus aliquando congregasse ad capitulum generale dicitur plusquam quinque millia Fratrum. Anno Domini MCCVIII. Sanctus Dominicus praedicare coepit, qui venit ad Innocentium Tertium, anno Domini MCCXIII., petens, ut ordinem Praedicatorum, quem super paupertatem Apostolicam fundare coepisset, confirmaret, qui ipsum gratiose suscipiens, jussit ut deliberaret cum sociis suis, eodem spiritu ductis, quam aut qualem regulam fovere velint: reversus ad fratres Dominicus elegit cum eis Regulam Sancti Augustini: rediens autem Romam intellexit, Papam Perusio mortuum esse. Incoepit autem ordo Minorum sub Innocentio Tertio, Pontificatus sui anno VIII: Praedicatorum anno MCCXV. sub Honorio, qui successit Innocentio. Praeponuntur tamen in literis Ec-

1191.

In sterquilinio multi submersi.

Ecclipsis Solis.

Inundationes aquarum maximae.

Res stupenda.

Apulia recepta.

1198.

Otho Quartus.

Discordia in electione Imperatoris.

Philippus Quartus.

Fames magna.

Ordo Teutonicorum incoepit.

1206.

Ordo Fratrum Minorum incoepit.

1208.

Ordo Fratrum Praedicatorum incoepit.

Regula Beati Augustini.

1215.

Quare Praedicatores praeponantur Minoribus.

clesiasticis, quod Honorius Papa dimidio anno prius confirmaverat ordinem Praedicatorum, quam Minorum. Anno Domini MCCXII. multa millia puerorum Cruce signati sunt, & venientes ad mare a Pyratis accepti in diversas mundi partes venditi sunt, multi etiam submersi; versus:

Pueri multi Cruce signati.

Anno milleno ducenteno duodeno
Est Cruce signata puerorum multa caterva.

1215. Anno Domini MCCXV. in festo omnium Sanctorum Innocentius Papa magnum Concilium congregavit, in quo, ut supra notatum est, constitutiones multas edidit, & ad liberationem Terrae Sanctae mentem adjecit, statuitque tunc per totam Ecclesiam legi, *Agnus Dei:* & Psalmum *Deus! venerunt gentes!* Sed Papa post Concilium tantum unum annum supervixit, quo aegrotante Perusii, Abbas ad Curiam pergens, XVI. Kalendas Augusti, in prato ante Perusium obdormivit, viditque in somnis, ad Orientem in excelso throno Dominum sedentem, & circum eum magnam multitudinem Angelorum, ab Occidente vero hominem nudum vidit, Papali infula decoratum, ad thronum Dei currentem, & alta voce clamantem: *Miserere mei clementissime Deus!* Draco crudelis eum persequens horribiliter clamavit: *Juste judica justissime Judex.* Tunc dixit Dominus ad Papam: ubi nunc sunt divitiae tuae? ubi deliciae? ubi honores? Ego Dominus, Ego Judex; quo dicto Draco animam ter capere voluit, sed illa ad quandem crucem secus viam stantem fugit, & ibi perstitit, post haec Abbas evigilavit, & Perusium intrans cognovit Papam eadem hora, qua in somnis ista viderat, emigravisse: unde seriem visionis istius multis Cardinalibus & Praelatis narravit. Anno Domini MCXCVII. Henricus Imperator veneno intoxicatus obiit, & Spyrae sepultus est. Eadem nocte vir quidam Sanctus pro bono statu Ecclesiae orans, & nihil sciens de morte Imperatoris, dum surgeret ab oratione invenit in manu sua hos versus scriptos:

Concilium magnum.

Visio stupenda.

Henricus obiit.

Vaticinium.

Rex ivit, & Regnum capiens, nunc alter habebit:
Ille potens medio cadet, hinc & uterque carebit,
Surget ab occiduo Rex, ut leo Regna tenebit:
At post tres Reges & Regius ordo silebit.

1197. Anno Domini MCXCVII. apud Coloniam Philippus Sueviae Dux & frater Henrici defuncti, cum Othone electus, partes adversarii sui gravi bello afflixit & superavit. Eo tempore Tartari, Asiatica gens, Dominum suum David Indiae Regem, filium Joannis Presbyteri, occiderunt, & adversus aliarum gentium Imperia processerunt. Eodem etiam tempore Veneti & Franci Constantinopolim ceperunt, eamque divitiis & reliquiis spoliantes, multa bona transtulerunt, constituto prius ibi Imperatore Balduino, qui fuit antea Dux Flandrensis. Anno Domini

Tartari qualis gens.

Constantinopolis capitur a Venetis & Gallis.

mini MCCVIII. Palatinus de Witelſpach, doloſe occidit in Babenberg 1208.
Philippum Regem Romanorum, quondam praepoſitum majoris Eccleſiae Herbipolenſis: cauſa, propter quam interfecerat illum, fuiſſe haec dicitur; quod filiam ſuam, quam in uxorem duxerat, poſtquam Regnum adeptus eſſet, repudiaſſet, volens altius uxorare. Inſuper etiam dictum. Palatinum de lepra apud Regem Boëmiae infamavit, cujus filiam ducere deberet in uxorem, quia viduus erat. Sed amici Philippi poſt caedem, Palatinum in quadam grangia Monachorum, ad quam ſe receperat, occiderant, cum cauſa deductionis temporis luderet cum vervece (Willem Hamuiul): obiit Philippus anno Regni ſui x. & in Spyra ſepultus eſt.

Philippus Romanorum Rex interficitur.
Cauſa interfectionis.
Philippus ulciſcitur.

OTHO igitur QUARTUS Dux de Brunſwig poſt mortem Philippi Imperium adeptus, regnavit annis IV. Innocentius Tertius Papa eum coronavit, & juramentum fidelitatis ab eo accepit, quod tamen eadem die fregit, Romipetas ſpoliando. Ideo Papa Othonem uſque ad mortem excommunicavit & Fredericum Henrici Sexti filium adverſarium ſubrogans. Iſte Otho villas Eſtlingen & Rautlingen civilibus libertatibus donavit, quas poſtea Fredericus muris ac foſſatis muniri fecit. Hic Fredericus mortem patrui ſui Philippi ulciſcens, totam progeniem Palatini proſcriptam de Bavaria fugavit, qui hinc inde vagantes uſque poſt mortem Frederici ſe manſuros collocaverunt citra Weſtraviam ultra Rhenum, & vocantur uſque hodie *die Wilden gröffen.* 1209.

Otho excommunicatur.
Eſtlingen & Reutlingen civitates factae.
Palatini de Witelſpach proſcriptio.

DE PONTIFICIBUS.

HONORIUS IV. Papa CLXXIX. anno Domini MCCXIII. ſedit annis XI. menſibus IX. Hic confirmavit ordines tres, videlicet Theutonicorum, Praedicatorum, & Minorum; confirmavit Fredericum & coronavit eum: qui Fredericus primo fidelis Eccleſiae advocatus erat, optimas leges pro honore Cleri edidit, ſed mox poſtea infeſtiſſimus Eccleſiae hoſtis & perſequutor: unde Honorius ipſum anathematizavit, abſolvens omnes Principes, Comites & Barones à juramentis, quibus ſe dicto Frederico aſtruxerant. Hic Honorius conſtituit, ut Corpus Domini propter infirmos in Eccleſia ſub clauſura debita ſemper ſervetur. Item diſtricte inhibuit judicium candentis ferri, & aquae frigidae, & in electione uſum ſortis & omnia ſimilia. Anno Domini MCCXXI. Sanctus Dominicus emigravit ex hoc ſeculo, & poſt annos x. canonizatus & tranſlatus de Eccleſia fratrum Minorum in Bononia, ubi decem annis ſepultus fuit. Anno Domini MCCXXIV. in die exaltationis Sanctae Crucis, de mane, Sanctus Franciſcus contuens in aëre Seraph Crucefixum, conſignatus eſt ſtigmatibus Jeſu Chriſti. 1213.

Tres ordines confirmantur.
Fredericus anathematizatus.
Corpus Domini ſub clauſura ſervetur.
Judicium candentis ferri ſublatum, & frigidae aquae.
Sanctus Dominicus moritur, & poſt canonizatur.
1224.
Franciſcus Seraph videt.

Sanctus Franciscus moritur, & canonizatur. 1228. Anno Domini MCCXXVI. Sanctus Franciscus feliciter obiit: anno Domini MCCXXVIII. canonizatus est, XVI. Kalendas Augusti, anno MCCXXX. translatus est VIII. Kalendis Junii, Gregorius Nonus personaliter Asisium veniens, cum cum magna solennitate canonizavit.

1224. Filius Presbyteri. GREGORIUS NONUS Papa CLXXX. anno Domini MCCXXIV. sedit annos XV. Hic constituit, ne filius Presbyteri ducat in matrimonium, quam Pater suus baptizavit. Item, ne Laici cujuscunque religionis populo praedicare praesumant. Item, ut homines & jumenta omnino quiescant diebus Dominicis & festivis, nisi urgens necessitas instet, vel nisi pauperibus aut Ecclesiis gratis subsidium fiat. Item, ut sit ipso facto excommunicatus, excommunicatione etiam majori, qui cognoscit concubinam, prius propter hoc a Judice excommunicatam. Item, ut tempore interdicti generalis, semel in hebdomada sacerdos propter infirmos, Missam submissa voce & clausis januis celebret; Item, ne decedentibus in poenitentia corpus Christi denegetur: *Extra*; *de sententia excommunicationis*; *Permittimus*; Ipse quoque, per fratrem Raymundum ordinis Praedicatorum, & pluribus Decretalibus & voluminibus volumen unum composuit, in quinque libros distinctum, aliis resecatis: doctoribus omnibus mandans, ut libro illo tantum uterentur. Anno Domini MCCXXXI. Sanctus Antonius, frater ordinis Minorum, obiit in Padua, & eodem anno die Pentecostes a Gregorio canonizatus est. Eodem anno Sancta Elisabeth obiit in Marchburg, (Marpurg.) & eam etiam Gregorius iste canonizavit.

Praedicare Laicis prohibitum. Die Dominica quiescendum. Concubinarius. Tempore interdicti semel in hebdomade celebranda Missa. Summa Raymundi componitur. 1231. S. Antonius de Padua. Sancta Elisabeth obiit.

1239. COELESTINUS PAPA Quartus istius nominis in ordine CLXXXI. anno Domini MCCXXXIX sedit dies XVIII. & cessavit eo mortuo Papatus per annum & X. menses.

1241. INNOCENTIUS QUARTUS Papa CLXXXII. anno Domini MCCXLI. sedit annos XI. menses VI. Iste deposuit Fredericum Secundum propter graves causas, quas infra reperies annotatas. Hic constituit, ut octava nativitatis beatae Mariae Virginis ubique per totam Ecclesiam celebretur: item ut judex in judicando juris ordinem non servans, suspensus sit per mensem ab officio, & ab ingressu Ecclesiae; quod si secus fecerit, ipso facto sit irregularis *Ext. de sen. excom. Cum medicinalis*; *libro* VI. Statuit hic Innocentius etiam, ut Cardinales cum in publicum equitarent, rubro galero uterentur, quod nunc usque magna cum gloria servatum est. Eo tempore floruit Dominus Hugo Cardinalis, ordinis Praedicatorum qui totam Bibliam postillavit, & Concordantias Bibliae primus excogitavit, & Capitulorum connotationes: floruit tunc etiam Sancta Clara, ad cujus obitum Papa venit.

Fredericum deposuit. Octava nativitatis Mariae instituitur. Nota Judex. Hugo Cardinalis. S. Clara floret.

1254. Duo pestiferi libri damnati. ALEXANDER QUARTUS Papa CLXXXIII anno Domini MCCLIV. sedit annos VI. Hic damnavit duos libellos pestiferos, quorum unus dicebat: Quod religiosi & Verbum Dei praedicantes de anima perpetuo vivenda, non possent salvari. Alter libellus asserebat, quod Euangelium Christi, & Doctrina Novi Testamenti neminem ad perfectionem
1260. perducat, & evacuandum esset Euangelium, anno Domini MCCLX., &

& ex tunc deberet incipere Doctrina Abbatis Joachimi, quam nominaverat Euangelium aeternum: quod in illo reluceat perfectio omnium salvandorum. Illo tempore floruit Dominus Albertus de Laubingen ordinis Praedicatorum, Episcopus Rhatisbonensis per totam Alemanniam famosissimus praedicator, multis in vita & morte corruscans miraculis; fuit etiam tunc frater David in Augusta, & frater Rogerius in Amderrach, & frater Nicolaus in Nussia, omnes ordinis Minorum, magnis & multis miraculis coruscantes. Anno Domini MCCLIV. Sancta Clara juxta Asisium migravit ad Dominum, tam viva quam mortua multis corruscans miraculis, ad cujus exequias venit Innocentius Papa cum Cardinalibus & Praelatis multis. Canonizata per Alexandrum Quartum, qui dicebat, se vidisse sacra stigmata Salvatoris in corpore Sancti Francisci, dum adhuc Cardinalis fuisset, unde quotiescunque *confiteor* dixit, semper Sanctum FRANCISCUM nominabat.

Doctrina Abbatis Joachim Euangelium aeternum.
Albertus magnus.
Frater David.
Frater Rogerius.
Frater Nicolaus.
1254.
S Clara obiit.
Hic vidit stigmata Christi in corpore S. Francisci.

URBANUS QUARTUS. Papa CLXXXIV. anno Domini MCCLXII. sedit annos III., mensem unum. Hic Regnum Siciliae Carolo Comiti Provinciae tradidit, qui fuit Pater Sancti Lodowici de ordine fratrum Minorum. Iste Carolus congregato magno exercitu Sarracenos fugavit, quos Manfredus filius Frederici Secundi spurius contra terram Sanctae Mathildis adduxerat. Iste Carolus in Apulia bello campestri Manfredum superans interfecit. Anno Domini MCCXLV. Innocentius Quartus in Lugduno sententiam protulit depositionis Imperatoris Frederici, eique Landgraphium Henricum Thuringiae, filium Sanctae Elisabeth, substituit, anno Domini MCCXLVII. Idem Rex Henricus Ulmam obsedit, sed mane recessit, quia sagitta in incertum emissa vulneratus, dysenteriaque vexatus cito mortuus est. Eo tempore tota fere Alemania igne & ferro consumta & vastata est per partes & adjutores Frederici ex parte una, & Henrici ex parte alteram. Idem Henricus obsedit Reutlingen in festo Pentecostes, priusquam Ulmam obsedisset, quapropter cives ibidem votum fecerunt beatae Virgini; quod vellent ei sumtuosam Ecclesiam aedificare, si ipsius patrocinio liberaretur ab obsidione, quia Frederico juramento adstricti erant, quod infringere noluerunt: mox ergo beata virgo Maria ipsis subvenit, hostes fugando: unde illi statim votum exequentes, sacellum aedificaverunt per nonaginta sex annos: anno enim Domini MCCXLIII. in die Sancti Osualdi Angelus deauratus Angulari suppositus fuit.

1262.
Regnum Siciliae Carolo Provinciae datum.
Manfredus occiditur.
1245.
Concilium in Lugduno celebratum.
1247.
Ulma obsessa.
Alemannia ubique vastatur.
Reutlingen obsessa.
Votum beatae Mariae Virgini factum.
Sacellum beatae Mariae in Reutlingen.
1243.

DE IMPERATORIBUS.

FREDERICUS SECUNDUS Henrici Quinti filius, Rex Siciliae & Apuliae, Regni Hierusalem haeres, Dominus portus maris, Comes, Princeps & Dux Sueviae, anno Domini MCCX. contra Othonem Quartum electus, regnavit XXXX. annis. Hic divitiis & gloria super omnes praedecessores suos abundans abusus est ipsis in superbia. Nam ab infantia ab Ecclesia tanquam a matre fidissima educatus ipsam non ut matrem fovit, sed ut odiosam novercam pro posse suo persecutus est. Primo bonus fuit, & leges optimas edidit pro libertate & utilitate Ecclesiae, sed postea illam graviter afflixit; versus hinc;

Frederici Caesaris mores.

Vita Caesaris metrice.

Caesar Fredericus, primo bonus, hinc sed iniquus,
Annis terdenis regnat, tribus associatis;
Post M. *& duo* C. *simul* L. *unum ruit ipse:*
Muris Eslingam cinxit pariterque Rutlingam,
Quae fuerant villae prius ad nihilum reputatae.

1245. Causae depositionis Frederici.

Ideoque Innocentius Quartus convocato Concilio apud Lugdunum anno Domini MCCXLV. Fredericum Imperiali dignitate ac nomine privavit. Causae vero depositionis principales hae fuisse dicuntur; perjurium pacis, & trevae crebra violatio, duorum Cardinalium captivatio, multorum Praelatorum submersio, & multorum deturbatio, & praescriptio, Ecclesiarum depraedatio; multas enim Ecclesias depraedaverat, diripuerat aureas cruces, thuribula pretiosa, calices, pannos aurophrygiatos, & thesauros: Clericos angariis & pro angariis exactionavit. Et passus est & praecepit etiam, quod non solum traherentur ad judicia secularia, sed cogerentur inire bella, & incarcerentur, & in patibulis suspenderentur, si delictum exigat. Item, sententias Papales dixit se non curare. Item, nomen Mohametis in templo Hierosolymitano in praesentia sua venerari & proclamari permisit: familiaritate quoque detestabili Sarracenis conjunctus, ipsos in quotidianis obsequiis tenuit. Possessiones Romanae Ecclesiae, scilicet Marchiam Anconitanam, Ducatum Spoletinum, Beneventum in Apulia, Archipiëscopatum Ravennensem, habentem XXIV. Episcopos suffraganeos diruit, & alias Tusciae civitates. Praeterea iniquitatem in excelso locutus est: ponens in coelum os suum, dixit, audiente Henrico Landgraphio Thyringiae; Tres seduxerunt totum mundum, Moses Judaeos, Jesus Christianos, & Mahometus Sarracenos: quam ob rem, si Principes mihi consentirent, ego multo meliorem vivendi institutionem & Religionem conscriberem. Propter illas & similes causas Fredericus depositus,

Attende Frederici maximam Tyrannidem.

Tres mundi impostores.

tus, cum Parmam obſidione premeret, victus in Apuliam rediit, & ibi veneno extinctus eſt. Sepultus in Fungia anno Domini MCCL. in die Sanctae Lucae Virginis, tam ocultè, quod multi per annos plurimos (i.e. per XL. annos) credebant eum adhuc vivere, & forti manu aliquando venturum.

Parma obſeſſa. Imperator veneno extinctus. 1250.

CONRADUS QUINTUS, filius Frederici Regis, cum Patre regnavit annum unum, & brevi tempore poſt Patrem obiit, intoxicatus a Memfredo fratre ſuo illegitimo. Hunc Conradum cum exercitu ſuo prope Franconafurt potenti manu fugavit Henricus Landgraphius, in die Sancti Oſualdi electus Rex, in odium ipſius Conradi, & Frederici Patris ejus nuper depoſiti. Hic Conradus quandoque in Ratisbona ad Sanctum Emmeranum cum ſex armigeris eum cuſtodientibus hoſpitabatur, ut putabat ſecure; ſupervenit in noctis crepuſculo vaſallus Epiſcopi quidam, vocatus Conradus de Hoenfels occulte, cogitans Regem occidere cum his, qui cum eo in camera jacebant, ſed id intelligens quidam fidelis miles Regis, Fredericus de Vuensheim praecurrit, & ut ſe Rex ſub ſcamni tapetis occultaret, effecit, ipſe ſe ſponte & mox in Regis lectum injiciens pro eo occiſus eſt, & ſex alii ſervi cum eo: & ſic Rex per illius mortem evaſit. In craſtino vero, cum mortuus ab omnibus diceretur, incolumen ſe laetanter demonſtravit, exultantibus civibus univerſis; timebant enim, ne ipſis inſidioſa mortis machinatio imputaretur.

Conradus victus prope Francofurt.

Conradus Ratisbonae occiſione petitus. Fideliſſimus Miles pro Rege mortuus. Rex a caede liberatus.

GUILIELMUS Hollandiae Comes etiam adverſus Fredericum Rex electus, poſt obitum Henrici Landgraphii, anno Domini MCCXLIX. & tribus annis regnavit, a Friſonibus occiſus eſt. Anno Domini MCCXLVIII. Lodovicus Rex Francorum, nunc confeſſor Domini glorioſus, transfretavit, quo ab infidelibus captivato apoſtata quidam ordinis Ciſtertienſium, Jacobus nomine, dixit ſtellam unam ſe allocutam eſſe, praedixiſſeque, Regem à Paſtoribus debere liberari; congregatis ergo omnibus Paſtoribus fere totius Occidentis venit cum illis in Franciam, ubi captus eſt, & condemnatus & Paſtores diſperſi: Rex vero Lodovicus pro liberatione ſua dedit C. millia marcarum argenti, & civitatem Damiatam. Anno Domini MCCXLIX. Tartari in duo agmina ſe dividentes Hungariam & Poloniam intraverunt, & utrobique acerbiſſima & maxima Hominum caede perpetrata & damno facto ad propria redierunt. Tantaque fames in Hungaria ſubſecuta eſt, ut matres filios ſuos comedere compulſae dicantur, & homines ex pulvere quodam panes pinſuiſſe. Item tunc temporis in Burgundia magnus mons ad alios montes longe poſitos tranſivit, & civitates & homines omnes interpoſitos ſubvertit & extinxit. Tunc etiam Judaeus quidam in Hiſpania vineam ſuam ampliare volens rupem fregit, undique integram, in cujus concavitate librum, quaſi lignea folia habentem invenit, Graece, Hebraice & Latine inſcriptum: in ſpiſſitudine Pſalterii erat, & loquebatur *de triplici mundo*, ab Adam uſque ad Antichriſtum, proprietates & mores cujuſlibet mundi exprimens. Tertii mundi exordium

1249.

S. Lodovicus Franciae Rex transfretavit & captus eſt. Apoſtata pſeudo-propheta.

Tartari Hungariam & Poloniam devaſtant. Fames in Hungaria maxima.

Res admiranda. Judaeus librum reperit de triplici mundo narrantem.

dium tale fuit: In tertio mundo Filius Dei nascetur ex Maria Virgine stirpis Davidicae, pro salute hominum Deus homo factus Crucis patibilum sustinebit. Fuit etiam ibi scriptum, quod liber ipse inveniendus esset diebus Ferdinandi Rectoris Hispaniae. Quae scripta cum Judaeus legisset literis Hebraicis, quas ipse intellexit, cum tota domo

1253. Comes de Hoenburg fulmine ictus.

sua se baptizari fecit. Anno Domini MCCLIII. Comes Burcardus antiquus de Hoenburg, fulmine ictus obiit in crastino Sanctae Margarethae, dum equitaret in campo.

1256. Ezelinus victus.

Anno Domini MCCLVI. Dominus Ezelinus in Padua bello campestri superatus est, octavo Sancti Antonii, ordinis Minorum, qui visibiliter civibus Paduanis apparens, & in equo sedens vexillum Dominicae crucis praeferens victoriam dedit:

1263. Ecclipsis horrenda. Cometa apparuit. 1266. 1267. Pugna atrox.

anno Domini MCCLXIII. nonis Augusti Ecclipsis solis magna facta est, post meridiem: anno Domini MCCLXV. apparuit Cometa a festo Sancti Jacobi usque ad festum Sancti Michaëlis: anno Domini MCCLXVI. obiit Comes de Wirtenberg antiquus, cognomine *Mith dem daumem*, quia habuit in manu dextera magnum pollicem. Anno Domini MCCLXVII. gravis pugna fuit apud Heigerloch, in festo omnium Sanctorum, inter Comites de Zorte & Hohenberg, ubi Comes de Zorte potenter triumphavit.

1268. Detestandum facinus.

Anno Domini MCCLXVIII. Lodovicus Dux Bavariae uxorem suam, filiam Brabantiae Ducis, in oppido Werd decollari fecit propter suspicionem.

CONRADUS, Conradi Regis filius, nepos Frederici, Romanorum Rex, regnavit annis XVIII. & secundum prophetiam Clementis Papae Quarti, in Apulia occubuit, cujus loco Teutonici milites ibi-

Faber ferrarius de Ochsenfurt fit Rex Romanus.

dem quendam fabrum de Ochsenfurt, Stegt nomine, in Regem elegerunt, quod Regi non multum dissimilis esset, quamvis plurimum reniteretur, quare cum octo menses regnasset, clam se ab exercitu subtrahens, ad incudem paternam est reversus.

DE PONTIFICIBUS.

1265.

CLEMENS Papa QUARTUS CLXXXV. anno Domini MCCLXV. sedit annos tres, menses IX. Hic vigiliis, jejuniis, orationibus aliisque bonis operibus adeo fuit intentus, ut multas Ecclesiae angustias credatur meritis suis amovisse. Nam cum Conradus, nepos Frederici Imperatoris Carolum Principem Provinciae debellaturus Apuliam

Clemens Prophetiae Spiritus plenus.

intravisset cum valido exercitu, Clemens Papa publice in sermone dixit; Conradum quasi victimam in Apuliam transiturum, & veluti fumus cito dilapsurum. Hic Papa primo uxorem habuit, & liberos; Consiliarius fuit Lodovici Regis Franciae, deinde factus Podiensis Episcopus, & postea Rhemensis Archiepiscopus: dehinc Cardinalis,

&

& ultimo Papa, Sanctam Heduigim inter divos retulit, & defunctus vita, Viterbii sepelitur. Vacavit sedes annis duobus propter maximam Cardinalium contentionem. Sancta Heduigis.

GREGORIUS DECIMUS Papa CLXXXVI. anno Domini MCCLXXI. sedit annos IV. Hic anno tertio sui Pontificatus celebravit Concilium in Lugduno quingentorum & sexaginta Episcoporum, in quo Graeci ad unitatem fidei Catholicae sunt reversi; Tartarorum solennes nuncii per Dominum Bonaventuram conversi ab eo baptizati sunt. Tunc temporis Ordines omnes Mendicantium cessaverunt, praeter Praedicatorum & Minorum. Ecclesiarum decimae etiam per annos XVI. in subsidium Terrae Sanctae promulgatae. In eodem concilio Dominus Bonaventura Cardinalis Episcopus Albinensis factus, antea fratrer ordinis Minorum, XVIII. annis Minister generalis extitit, & Magister Theologiae egregius, anno Domini MCCLXXIV.: Gregorius autem Papa, prius Archidiaconus Leodinensis, electus est in Papam, cum causa devotionis trans mare ivisset. Hinc versus: 1271. Concilium Lugdunense. Graeci Ecclesiae Romanae uniuntur. S. Bonaventura claret. 1274.

Papatus munus tulit Archidiaconus unus:
Hunc Patrem Patrum fecit concordia fratrum.

INNOCENTIUS QUINTUS, frater ordinis Praedicatorum & Magister Theologiae prius erat, & vocatus Petrus de Tarentasia, Papa CLXXXVII. anno Domini MCCLXXV. sedit menses quinque, dies VII. Hic composuit Postillas super quosdam libros Bibliae, & notabilia scripta super quatuor libros Sententiarum; obiit Kalendis Julii, vir optimus. Petrus de Tarentasia. 1275. Innocentii scripta.

HADRIANUS QUINTUS Papa CLXXXVIII. prius Otho vocabatur, & nepos Innocentii Quarti fuit, sedit mensem unum, dies X. & Viterbii obiit.

JOANNES XX. Papa CLXXXIX. anno Domini MCCLXXV. sedit menses VIII. Prius Petrus Hispanus vocabatur, & pariete cadente, caeteris omnibus evadentibus, solus oppressus est. Tractatus quosdam in Logica scripsit, qui adhuc ab omnibus fere habentur & leguntur. 1275. Petrus Hispanus. Ex sui Tractatus.

NICOLAUS TERTIUS, vocatus prius Joannes Cajetanus, Papa in ordine CXC. anno Domini MCCLXXVI sedit annis IV. Hic per universam Ecclesiam praecepit, regulam fratrum Minorum cum sua declaratione publicè in omnibus Scholis Juristarum legi, excommunicans omnes dictam regulam impugnantes. 1276. Regula fratrum Minorum valde sublimatur.

MARTINUS QUARTUS, prius Simon vocatus, & Archiepiscopus Thuronensis, fuit Papa CXCI. anno Domini MCCLXXXI. sedit annis duobus. Hic fratres Praedicatores & Minores privilegio donavit, ut Confessiones audiant, & Sacramenta Ecclesiastica hominibus conferant, qui a plebanis suis propter hoc insectentur. Iste Papa assumsit habitum fratrum Minorum, eo quod cum renovaret literas re- 1281. Fratres Mendicantes privilegio donati.

Funiculus sive Zona Christi reperta. Solea Christi reperta. Ordo Apostolorum deletus.

liquiis Sanctorum appensas, invenisset funiculum, cum quo Christus ejecisset de templo vendentes, & soleas, cum quibus crucifixus fuit: unde ait: Vere fratres Minores sunt veri Apostolicae & Euangelicae perfectionis Professores, quam ob rem delevit ordinem quorundam, qui dicebant se Apostolos. Hic Martinus moriens propter illam causam se in habitu fratrum Minorum sepeliri fecit & in Ecclesia eorundem.

1285.
HONORIUS QUINTUS, vocatus prius Petrus Sabellus, Papa CXCII. anno Domini MCCLXXXIII. sedit annis quinque. Hic mente expeditus fuit, sed corpore totus contractus: misit in Alemanniam Legatum a latere Episcopum Cardinalem, Dominum Tusculanum, qui in Herbipoli, praesente Rege Romanorum Rudolpho, Concilium solenne convocavit & quartam partem omnium proventuum Ecclesiarum & Monasteriorum per quatuor annos ab omnibus Praelatis postulavit. Sed Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus aliisque Praelatis cunctis trementibus & contradicere formidantibus, surrexit Dominus Probus, Episcopus Tullensis, ordinis fratrum Minorum, quondam lector Constantiensis de Tubingen, & stans supra baptisterium nobilissimum, noviter in medio Ecclesiae Herbipolensis aedificatum, pro omnibus audacter appellavit. Anno Domini MCCLXXXVI. in medio quadragesimae natus est in Mergentheim Haedus duo capita & duo pectora habens.

Concilium Herbipolense. Quarta Ecclesiasticorum proventuum pars postulatur. Episcopi Tullensis audacia. 1286. Monstrum.

1288.
NICOLAUS QUARTUS, de ordine fratrum Minorum, Doctor Theologiae & Minister generalis, Hieronymus nomine, Papa CXCIII. anno Domini MCCLXXXVIII. sedit annos IV. bis electus resignavit, cum lachrymis tertio compulsus ab omnibus Cardinalibus acquievit. Hic confirmavit tertiam regulam Sancti Francisci.

Tertia regula Sancti Francisci comprobatur.

DE IMPERATORIBUS.

1274.
RUDOLPHUS SECUNDUS anno Domini MCCLXXIV. genere Alemannus *Comes de Habsburg*, per omnia vir laudabilis XVII. annis regnavit, quamvis ad Imperium non ascendit. Anno Domini MCCLXXV. Gregorius Papa causa Regis Tholosam venit, eumque cruce signavit, Sacramque Eucharistiam dedit anno Domini MCCLXXIX. anno quinto Regni Rudolphi Regis Romanorum dabatur modius siliginis pro duobus solidis, modius speltarum pro XX. hallensibus, modius avenae pro XVI. hallensibus, mensura vini pro dimidio modio siliginis.

Ad Imperium non ascendit. 1275. 1279. Bona tempora.

1281.
Anno Domini MCCLXXXI. XVI. Kalendas Aprilis peperit in Eslingen in loco, qui dicitur *Pliensewe* mulier monstrum, quod erat ab umbilico ad pectus usque continuatum, quatuor brachia se invicem complectentia habuit, & duo capita se inspicientia, & duo pudibunda: sed post partum

Monstrum hominis.

tum statim mortuum fuit. Anno Domini MCCLXXVIII. comes Wilhelmus de Gulch occisus est Aquisgrani, Dominica; *Invocavit*. Eo tempore & anno in Trajecto superiori, in ponte super Mosam ducenti homines chorizantes XV. Kalendas Julii cum ponte corruerunt & submersi sunt, quia noluissent cessare, donec Sacerdos Corpus Christi ad infirmum portans transiisset. Item anno XIII. Kalendis Septembris Rudolphus Rex Romanorum occidit Odocarum Regem Boëmiae: anno Domini MCCLXXIX mulier quaedam, quae diu jacuerat sub terra, fossori loquebatur sepulchrorum, diem obitus ei praedicens: anno Domini MCCLXXX. in dioecesi Wormatiensi in villa Gurthach prope oppidum Hailbrun, anser duorum capitum natus est, & alter anser, qui quatuor pedes habuit. Item, in Dioecesi Constantiensi in Semdach mulier ingenua Leonem peperisse dicitur: Anno Domini MCCLXXXI. in quadragesima Rotenburg super Necharum reaedificatur, ubi antiquis temporibus insignis & magna civitas fuit. Anno Domini MCCLXXXVIII. Pfullingen Gallina nata fuit, quatuor pedes habens: anno Domini MCCLXXXVII. fratres Praedicatorum Argentinam triennio reliquerunt, propter statutum, quod ibi cives contra libertatem Ecclesiae ediderunt: anno Domini MCCLXXXVIII. in Vigilia Margaretae in Vulgenthal frangore terrisono nubium multi homines perierunt. Anno Domini MCCLXXXIX. Sarraceni Tripolim ceperunt, & ab illo tempore Christiani totam Terram Sanctam amiserunt. Eodem quoque anno in divisione Apostolorum factus est per totum orbem magnus terrae motus: anno Domini MCCXC. hyems frigidissima fuit, nive magna cadente: die tertia post Urbanum, anno Domini MCCXCI. Idibus Julii obiit Rex Rudolphus.

1278. Divina ultio. Odocarus Rex Boëmiae occiditur. 1279. Res stupenda. 1280. Monstra varia nata. Rotenburg super Necharum aedificatur. 1288. Monstrum Gallinae. 1287. 1288. 1289. Tripolis capitur. Terrae motus per totum orbem. Hiems frigida. 1291.

ADOLPHUS COMES DE NASSAW anno Domini MCCXCII. electus prima die mensis Maji in Francofurt concorditer, regnavit annis VII. valde fidelis Imperio fuit, in nullo liberos suos Imperii bonis ditavit, sed illud auxiliari & erigere totis viribus contendit, totum Principatum Missenensem emit & Imperio incorporavit, quem potenti manu & quiete atque ad obitum suum tenuit. Sed Albertus Rex successor suus totum amisit. Hic Adolphus Columbariam in Alsatia obsedit & cepit, captivans Baronem de Raupolstein, sed liberos ejus pro ipso obsides accepit, & Nassaw posuit usque ad obitum suum: Sculte-tum de Columbaria in curru abduxit. Hunc Adolphum Regem Albertus Dux Austriae in bello superatum occidit in campo sub monte Tyrnsberg, ad duo miliaria a Wormatia distante, ideo versus:

1292. Adolphi laus. Principatus Misnensis Imperio incorporatus fuit. Columbaria obsessa. Adolphus Rex in bello occisus est.

Annis millenis tercentis bis minus annis:
In Julio mense Rex Adolphus cadit ense,
Per manus Austravi Processu Martiniani.

ALBERTUS PRIMUS anno Domini MCCXCVIII. Rex factus, Dux Austriae fuit, filius Regis Rudolphi, occiso Rege Adolpho, regnavit pro eo decem annis. Hic nimis avarus fuit, filio fratris sui Joanni, Du-

 ci

Alberti mali mores.

Principatus Misnensis Imperio abalienatur.

ci Austriae, noluit condividere haereditatem paternam, scilicet Ducatum Austriae, unde ab eo occisus est prope oppidum, quod dicitur Bruggae, dum in die Apostolorum Philippi & Jacobi transisset fluvium, qui dicitur Russe: iste Albertus Principatum Missenensem, quem Adolphus emerat puro argento, totum amisit, & Imperium non auxit, sed diminuit, multa oppida, villas & castra obligans vel vendens, tantum liberis suis, quaecunque venalia reperit, emit: immo Nobilibus multis sua violenter abstulit, ut liberos suos ditaret.

1308. Comes de Othingen.

HENRICUS SEPTIMUS, Comes de Lucelburg, anno Domini MCCCVIII. regnavit VII. annis; magnus justitiarius fuit, Comitem Conradum de Othingen, dictum Schrimpff, proscripsit, & adeo depopulatus est, ut quasi mendicus peditando venerit in monasterium Caysheim ordinis Cistertiensium, & ibi panem tribulationis & angustiae usque ad obitum suum comedit. Item Eberardum Comitem de Wirtenberg avunculum praedicti Comitis sibi obtemperare nolentem, per Regni Principes, Comites, Barones & per Civitates Imperiales, oppidis & castris fere omnibus, aut destructis aut Imperio subjectis, depauperavit in tantum, ut a Marchione de Baden receptus fuerit in oppido Peseckem super fluvium Necharum: omnia tamen post mortem Henrici recuperavit, & plura oppida & castra emens, ditior factus est, quam prius fuerat: sed beneficiorum, quae a Marchionibus receperat, oblitus, castrum Reisenberg obsedit, à quo per Marchiones & adjutores eorum ignominiose repulsus, prae dolore animi & confusione in Stutgarden lecto decumbens impoenitens obiit, sepultus ibidem anno secundo Regni sui. Henricus Romae a duobus Cardinalibus illuc a Papa missis in Imperatorem coronatus est, cum quo super pontem Tyberis Robertus Rex Apuliae conflictum inivit, sed Imperator gloriose triumphavit, & Robertus fugam dedit. Postea Henricus obsedit Brixiam, ubi lapide grandi ab instrumento percussus est frater ejus Gualtramus Comes; unde Henricus commotus civitate capta totam destruxit. Obsedit etiam deinde altam Senam, ubi cum in die assumtionis beatae Mariae Virginis, sumta Eucharistia, de Calice biberet, Confessor suus ordinis Praedicatorum venenum in potu mixtum dedit: mortuus est in civitate Pisa; Imperatrix vero in civitate Geuuensi, & sepulta in choro fratrum Minorum. Iste Henricus Regem Rhobertum ad se citavit, & non venientem proscripsit bannivitque, sed ipse ad Papam appellavit Clementem Quintum, qui sententionavit, processum Imperatoris nullius esse valoris & roboris, eo quod ad locum tutum Rhobertum non citaverat: unde Papa incoepit persequi Henricum cum fulminante sententia excommunicationis: sed utroque illo anno mortuo discordia illa annihilata est.

Eberardus Comes de Wirtenberg depauperatus.

Eberardi Comitis ingratitudo.

Henricus coronatus est.

Bryxia obsessa, & destructa tota est.

Imperator Henricus intoxicatus est.

Robertus Rex Apuliae proscribitur.

1314. Duo in Regem Romanorum electi.

Discordia Electorum.

Fredericum elegerunt.

ANNO DOMINI MCCCXIV. per discordiam Principum Electorum duo in Imperatorem vel Regem Romanorum electi sunt, videlicet Lodovicus Junior, Dux Bavariae, & Fredericus senior, Dux Austriae: sed Lodovicus praevaluit. Electores Ducis Austriae fuerunt Episcopus

pus Coloniensis, Rudolphus Dux Bavariae, frater germanus Lodovici, Hermannus Marchio de Brandenburg, Henricus Dux Carinthiae, qui se dicebat esse Regem Boëmiae. Lodovicum vero elegerunt Episcopus Moguntinensis, Episcopus Treverensis, Joannes Dux Saxoniae, senior Gualtramus Marchio de Brandenburg & Joannes Rex Boëmiae, filius Imperatoris Henrici praedicti. Tunc Fredericus Rex Eslingam obsedit, quod Lodovicum receperat; nam omnes civitates inferiores usque ab Argentinum pro Rege Lodovicum acceperant, superiores & per lacum Fredericum acceperant; aliae vero omnes Lodovicum acceperunt, excepta Ulma & paucis aliis. Fredericus cum se videret in vanum laborare, & de Eslingen recessit cum potentia sua, Lodovicum contemnens; verum Lodovicus cum copioso exercitu & adjutorio Episcopi Treverensis & Joannis Regis Boëmiae ei occurrens viriliter restitit; accidit autem, ut cum utriusque exercitus bellum inirent juxta fluvium Necharum, multi Nobiles ab utraque parte ceciderint & captivati sint. Anno Domini MCCCXXII. Fredericus contra Lodovicum procedit, Bavariam devastaturus cum magna copia Hungarorum, sed, dum sederet expectans fratrem suum Leopoldum, Ducem de Suevia ad se cum exercitu venientem, in vigilia Sancti Michaëlis Lodovicus cum Rege Boëmiae & aliis Principibus, Comitibus & Baronibus, qui sibi auxilio aderant, imperterrite eum aggreditur, & Hungaris omnibus fugientibus Fredericus capitur, & innumeri occiduntur & captivantur: captus est etiam eo proelio Dux Henricus, frater Frederici, & datus ad depecuniandum Boëmiae Regi, Fredericum vero ipse per tres annos & fere dimidium in castro Trusneck sub forti custodia habuit captivatum. Eodem anno Joannes Papa XXII. Lodovicum ad se citavit Avinionem, sed quia non comparuerat, cum tamen periculo mortis & timore, qui in constantem virum quandoque cadit, illuc venire non posset propter diversorum inimicorum insidias, Papa anno sequenti, scilicet MCCCXXIII. ipsum excommunicavit, & omnes Principes & Nobiles, civitatum & oppidorum Scabinos, Praepositos & Praefectos excommunicavit: totam terram supposuit Ecclesiastico interdicto, & absolvit ab juramento fidelitatis omnes qui Lodovico juraverant. Illi processus a quibusdam stricte observabantur, a multis vero ut invalidi pro nihilo curabantur, quia Bononiae & Parisiis a Doctoribus examinati nullius valoris judicati sunt. Immo Joannem Papam plurimi Theologi scientia & vita probati dogmatizabant esse haereticum, propter oppositiones erroneas, quas fecit & tenuit, ipsas tamen die obitus sui dicitur tepide revocasse, nam & successor illius Benedictus ut haeretica publice damnavit. Sed propter praedictos processus maximum Schisma in Ecclesia factum est, quod duravit usque ad obitum Lodovici, anno Domini MCCCXXV. Lodovicus Mediolanum veniens ibidem die Sanctae Pentecostes corona ferrea solennissime coronatus est, deinde eodem anno Romam veniens corona Imperiali insignitus. Novum Papam, suadentibus Romanis, creavit, qui se Nicolaum Quintum dixit; creavit is plures Cardinales, & multi sibi fave-

Lodovicum elegerunt. *Eslingen obsessa.* 1322. *Pugnant invicem Reges.* *Fredericus capitur.* *Lodovicus a Papa citatur & quod non comparuisset, anno sequenti excommunicatur.* *Tota Germania interdicto supponitur.* *Joannes Papa haereticus censitus.* *Schisma ortum.* 1325. *Lodovicus coronatus.*

Nicolaus se rursus dignitate abdicavit.

bant, qui Papam Joannem haereticum censebant, resignavit tamen Nicolaus ille Papatum, postquam Imperator Lodovicus obiit in Teutonia, & in gratiam Papae receptus, sed postea non comparuit & quid cum ipso Papa fecerit, non est multis certum. Anno Domini MCCCXXV.

1325. Multa gravia bella inter Reges Franciae & Angliae fuerunt.

orta est magna discordia inter Regem Angliae & Regem Franciae, quia Rex Angliae Regnum Franciae ad se haereditario devolutum dicebat, & illum esse invasorem Regni sui. Unde usque nunc multa bella habuerunt, & Rex Angliae semper victor fuit: Regem Boëmiae, Ducem Lotharingiae, & multos Principes, Comites & Barones ac Nobiles plusquam XVIII. millia interfecit, prope Parisias praeliantes, multos etiam captivavit. Rex Franciae Parisias fugit cum exercitu suo, unde Rex Angliae terras, oppida & castra illi multa abstulit, & potenter tenet.

Rex Angliae excommunicatus.

Sed Clemens Papa Sextus in favorem Regis Franciae Anglicum sententia excommunicationis fulminavit, quam ille non curans, ad sanum Ecclesiae caput futurum appellat.

Leodienses multos occiderunt.

Eodem Regi Anglorum Leodienses confoederati, obsessi ab Episcopo suo & aliis complicibus Regis Franciae, occiderunt plusquam XXVIII. millia Nobilium & aliorum inferiorum.

1335. Eduardus Rex Angliae Rom. Imperii Vicarius constitutus.

Anno Domini MCCCXXXV. Lodovicus Caesar Eduardo Regi Angliae confoederatus, ipsum per Flandriam, Brabantiam, Britanniam & Franciam Imperii Romani Vicarium constituit. Rex Franciae ipsum seduxit & a Vicaria commissa absolvit, & ex tunc Lodovicus prosperitatem nunquam habuit. Nam Rex Franciae, qui praestito juramento promiserat, quod eum cum Papa reconciliare velit, nihil fecit.

1344. Lodovicus veniam a Romano Pontifice petit. Attende Ambassatorum nefandam infidelitatem.

Anno Domini MCCCXLIV. Ludovicus Ambassatores suos Romam misit ad Clementem Papam, sic prius saepe fecerat, ad petendum veniam, dans eis plenam potestatem agendi pro arbitrio omnia, pergamenum tribuens imperiali sigillo roboratum, sed inscriptum jubens, ut id intuitu pacis scriberent, quod ipsi cum Papa melius comprobarent, & id ratum esset. Sed illi favorem Papae quaerentes, in illud scripserunt, quod Lodovicus fateretur, se haereticum esse & inique creasse Antipapam, & se intrusum & non canonice electum in Regem Romanorum, quo instrumento Romae in Consistorio publice lecto, Papa

Lodovicus deponitur.

habens intentum suum Lodovicum deposuit, & Electoribus Imperii praecepit, ut in Regem eligerent Carolum Marchionem Moraviae, filium Regis Boëmiae, sed haec potius puto conficta esse.

CAROLUS QUARTUS, filius Regis Boëmiae, ex mandato Papae a Principibus quibusdam in Andernach super Rhenum electus in

1345.

Regem Romanorum, vivente adhuc Lodovico, anno Domini MCCCXLV. regnavit annis XXXIII.; civitates omnes super Rhenum a Basilea usque ad Coloniam, & in Suevia fere omnes cum pro Rege acceperunt, post mortem vero Lodovici haeredes ejus, & Palatini nepotes sui, item Episcopus Moguntinensis, quem Papa deposuerat, elegerunt in

Guntherus Comes de Schwartzenburg Rex eligitur.

Regem Romanorum Guntherum, Comitem de Schwartzenburg, & illum civitates in Westravia, videlicet Francofurt, Fridberg, Wephilar, Gailhusen, & Nurenberg acceperunt. Sed Rex Boëmiae, scilicet Caro-

Carolus, Regnum obtinuit, & amicabiliter cum illo de Schwartzenburg complanatus, mediante Marchione Brandenburgensi, qui etiam ipse & Comites Palatini Rheni cum Rege sunt reconciliati. Dabatur illi de camera Ecclesiae Moguntinensis magnum aes: nam Carolus Rex considerabat, quod nequaquam pacifice & tranquille Regnum possidere posset, nisi se etiam cum Marchione praedicto & fratribus illius, item consobrinis illius, Comitibus Palatinis Rheni, item cum Gunthero ab illis electo composuisset, infeudavit Lodovicum & suos fratres de Ducatu Carinthiae & de Marchionatu Brandenburgensi, quem Henricus miserabili infortunio fere totum intra dimidii anni spacium amiserat: Venit enim ignotus quidam, qui se Volcomarum dicebat esse, filium Marchionis de Brandenburg, & se XXXVI. annis exulasse propter nefas quoddam: sed maxima haec deceptio fuit: dedit quoque Carolus Rex Palatinis Rheni Rhincaugiam terram gratis, quam avus eorum obligaverat olim Archiepiscopo Treverensi. Gunthero vero dedit ad dies vitae suae habendam Lusatiam, opulentam terram, & VI. millia Marcarum argenti. Satisfecit etiam illi de omnibus expensis, quas fecerat pro habendo Imperio; item promisit se procuraturum Lodovico Imperatori defuncto a Papa absolutionem excommunicationis, similiter haeredibus Lodovici & coadjutoribus universis. Hic igitur Carolus quos annis regnaturus sit nescio, quia adhuc vivit: Guntherus vero veneno obiit, sepultus in Francofurt. Anno Domini MCCCXLVII. in die Sancti Calisti Lodovicus Imperator depositus a Ducissa Austriae intoxicatus, obiit in venatione anno Regni sui XXXIII. & sepultus Monaco est in Basilica beatae Mariae Virginis, fuit vir cum omnibus laetus, pacificus, munificus, probus & justus, Judaeorum maximus defensor.

Carolus & Guntherus paciscuntur.

Ducatus Bavariae infeudatur.

Volcomarus quidam Marchionatum invasit.

Rhincaugia.

DE PONTIFICIBUS.

COELESTINUS QUINTUS Papa CXCIV. anno Domini MCCLXXXXII. sedit menses V. probus Eremita fuit, Petrus nomine, deceptus per Cardinalem Benedictum callidum, qui ipsi successit, Papatum resignavit. Fuit iste Benedictus Secretarius Papae, per fistulam Coelestino nocte quadam in aures loquebatur, nisi Papatum resignaret, & Eremum repeteret, quod salvus fieri non posset. Credidit Coelestinus vocem illam de coelo esse, & Papatum mox resignavit, & ad Eremum rediit, ubi in sancto proposito & bonis operibus vitam finivit. Catalogo Sanctorum adscriptus est; nam multis miraculis claruit. Vocatus Sanctus Petrus Confessor, quo nomine antea vocabatur.

1292.

Calliditas Cardinalis Benedicti.

Coelestinus se Pontificatu abdicat.

BO-

1292. BONIFACIUS OCTAVUS Papa cxcv. anno Domini MCCXCII. sedit annis VIII. Hic decepto antecessore suo per fistulam, ut dictum est, per calliditatem est electus; compilavit sextum Decretalium librum quem prioribus quinque subaddidit, in quo multa nova jura statuit, multa innovavit, minuit, mutavit, annihilavit, duos Nobilissimos Cardinales Romanos de Columna deposuit, excommunicavit, & de urbe expulit, eo quod malitiae suae non consentirent; sed illi auxilio Franciae Regis Papam Avinionae captivitantes inter ostium & parietem adeo presserunt, quod die quinto mortuus est. Animam ejus Daemones rapientes per aërem vexerunt, ut nautis in Siculo mari manifestatum est; Daemones enim clamare audierunt: *Aperite, aperite, Bonifacium Papam ad tormenta sempiterna accipite.* De ipso etiam Sanctus quidam dixit; Intravisti ut Vulpes, Regnas ut Leo, morieris ut Canis.

Sextus liber Decretalium conscribitur.
Benedictus capitur.
Anima Bonifacii suppliciis tradita aeternis.
Prophetia.

1300. BENEDICTUS XI. Papa CXCVI. anno Domini MCCC. sedit menses IX. Hic antea Doctor Theologiae fuit ordinis Praedicatorum, non consentiens malitiae antecessoris sui restituit Cardinalatus illis, quibus Bonifacius ademerat. Restituit etiam Regi Franciae privilegia, quae illi praedecessor suus receperat: post mortem hujus Benedicti ex Cardinalium discordia sedes vacabat annum & dimidium.

1301. CLEMENS QUINTUS, de Vasconia Portugallensis, antea Episcopus Berchtrandus nomine, Papa CXCVII. anno Domini MCCCII. sedit annis novem. Publicus fornicator fuit, sedem Apostolicam Avinionem transtulit ubi & hodie est: omnis disciplina & religio a tempore illo in Curia evanuit, & potenter sine palliatione pullulat & dominatur superbia, avaritia, & luxuria. Duos Cardinales Romam misit, ad coronandum Henricum Regem Romanorum, Comitem de Lutzelburg in Imperatorem, sed ante mortem eum graviter persequi coepit. Hic celebravit Concilium generale Viennae, & septimum librum Decretalium edidit, venenosum & laqueis plenum, quem tamen in extremis poenitens revocavit & comburi praecepit: sed Joannes Papa successor ejus hunc denuo confirmavit. Hic constituit, ut Papa moriens inhumatus servetur, donec per successorem suum tumuletur, & propter hanc causam ipse inhumatus jacuit ad tertium annum & dimidium, & candela ardens ante cadaver ejus lapsa, corpus ferme totum consumserat: nam ipso mortuo Papatus vacabat annis duobus & dimidio, Cardinalibus hinc inde dispersis; Philippus vero Franciae Rex eos in Lugduno congregans obtinuit, quod in Papam eligerunt Dominum Jacobum de Cadurco Cardinalem, qui olim paedagogus fuerat Lodovici Confessoris, & Episcopi Tholosani, ordinis Fratrum Minorum.

Publicus fornicator.
Concilium Viennense.
Liber Clementinarum venenosus.
Constitutio sibi ipsi noxia.
Papa insepultus diu jacuit.
Papatus longo tempore vacuit.
Jacobus de Cadurco.

1315. JOANNES XXI. Papa CXCVIII. anno Domini MCCCXV. sedit annis XXII. confirmavit septimum Decretalium, quem Clemens cassaverat, unde ortus est intolerabilis error ex eo, quod multi Clerici male intelligentes capitulum de religiosis Domibus, cum de quibusdam haereticis mulieribus sit, coëgerunt probas Beguinas sive conversas in Regno

Confirmatur septimus liber Decretalium.

Regno Alemanniae deponere haereticum castitatis & matrimonium contrahere. Idem Lodovicum Imperatorem excommunicavit: quod citatus Avinionem non comparuerat, propter quod in Ecclesia grave Schisma surrexit, quod duravit diutius quam xxv. annis, & videtur adhuc plene non esse suppressum. Nam si processus Joannis validi sunt, vix aliquis reperitur, qui non excommunicationis laqueis teneatur. Hic etiam in odium Caesaris, Lithuanis perfidis paganis favens treva cum ipsis facta & ordine Teutonicorum per duos annos; causa fuit, quod diebus illis Lithuanis per terram Dominorum Teutonicorum pacifice transeuntes, in Marchia Brandenburgensi Christianos multos occiderunt, & innumeros captivos utriusque sexus in Lithuaniam ab duxerunt. Tenuit etiam Joannes iste plurimas erroneas opiniones, quas tamen die obitus sui tepide revocasse dicitur, & successor suus diligenti Theologorum discussione praehabita, tanquam pestiferas condemnavit, quia si secus determinasset, tunc ipse Papa per Joannem Cardinalis creatus, & multi alii Praelati in Ecclesia nulli essent, quia quicquid per Haereticum fit, nihil valet.

Ludovicus excommunicatus. *Schisma diutissimum.* *Joannis Papae maximum odium & factum nefandum.* *Marchia a Lithuanis misere populata.*

BENEDICTUS XII. anno Domini MCCCXXXVI. ordinis Cistertiensis, sedit annis sex, Papa in ordine CXCIX. Jacobus de Furno prius vocabatur, & Doctor Theologiae fuit: sub isto conversus & baptizatus est Rex Tartarorum Gangi per fratres Minores, quorsum ad preces Gangi centum missi sunt, quos omnes prius Papa Episcopos ordinavit, & unum inter eos Archiepiscopum Magistrum Nicolaum, Doctorem Theologiae ad convertendum totam terram Tartarorum: Alios Religiosos Imperator Gangi noluit accipere. Eo tempore Soldanus Babyloniae commisit custodiendum sepulchrum Domini in Hierusalem fratribus Minoribus, quorum octo ibidem de consensu Papae continue commorantur. Iste Papa suo ordini, scilicet Cistertiensi, & Hospitalariis nova salubria statuta edidit, sed utrique despiciunt & contemnunt. Anno Domini MCCCXXXIX. circa festum Sancti Joannis venerunt locustae in totam Franconiam, sicut vidi, & in multas alias regiones, ut audivi, in tanta multitudine, ut aërem in modum densae nubis obumbrarent, & superficiem terrae operirent ut nix magna; vastaverunt segetes, gramina, fructus arborum, vinearum & agrorum omnium; rostra habebant dura ut ferrum, quia ego, qui haec scripsi saepius vidi, & licet homines eas interficerent, tollere tamen non poterant; quia de stercore earum aliae nascebantur: tandem post dimidium annum vel paulo post avolaverunt, & quo pervenerunt nemo scit. 1336. 1339.

Gangi Rex Tartarorum baptizatur. *Sepulchrum Domini fratribus de ordine Minorum committitur.* *Nota instituta Hospitalariis & Cistercienfibus data.* *Ingens locustarum vis arborum & agrorum fructus absumit.*

CLEMENS SEXTUS Papa CC. anno Domini MCCCXLII. quotannis sedebit, nescio, cum me ista scribente sanus existens sedit annis VIII., de illo nihil mali affirmo, nec etiam sibi obloquentibus credo. Nam multa mala de eo fabulantur, videlicet quod, quando in die Sancti Marci Evangelistae in summum Pontificem fuisset electus, concubina illi in Vigilia Sancti Georgii Martyris puerum peperat: Item quod filium suum XVI. annorum Cardinalem fecerat, fingens eum esse 1342.

Quibus delictis Clemens accusatus fuit.

filium sororis suae, quod tamen veritati contrarium sonat, quod tam
egregius & per totam Ecclesiam famosus Doctor Theologiae & mul-
tis annis in ordine Sancti Benedicti probatus Monachus, & postea
in eodem ordine Abbas, deinde Episcopus, post haec Archiepisco-
pus, consequenter Cardinalis, ultimo Papa concorditer electus,
adeo perverse vivat, & agat, ego in eum excogitata esse existimo, &
1345. nequaquam vera. Anno Domini MCCCXLV. Rex Apuliae Andreas,
frater Regis Hungariae ambo ex serie pronepotes Sancti Lodo-
vici Episcopi & Regis ordinis Minorum, & Domini Roberti Regis
(Rex Apuliae strangulatus.) Apuliae, & Siciliae Regis fratrum Germanorum, in lecto dormiens
apud uxorem suam strangulatus est, vidente consorte sua: hoc
(Papa suspicione habetur.) flagitium aemuli Papae & quatuor Cardinalibus imponunt: Pa-
pa vero se in Coena Domini publice in Consistorio expurgavit, li-
cet aemuli e contrario dicant, contra eum laborare suspicionis & con-
(Regnum Apuliae & Siciliae sedi Apostolicae pertinere.) trariae praesumtionis argumenta: creaverat enim fratrem suum Regem
Apuliae & Siciliae, dicens, illa Regna ad sedem Apostolicam pertinere,
unde in feudum concessit fratri suo illa Regna; concessit etiam eodem
die, quo se expurgaverat, illi MD. famulos dextrarios cum expensis
(Rex Hungariae Italiam ingressus Apuliam recipit.) copiosis de camera sua de Thesauro Ecclesiae ad expugnandum Regna
praedicta. Hungariae vero Rex, frater Regis occisi, per mare & terras
Italiam intrans Regnum Apuliae manu potenti possedit, fugato fratre
Domini Papae, & multis Principibus captivatis & interfectis. Infelix
& perversa conjux criminis rea confugit ad Papam cum familia sua:
ast Illustris Hungariae Rex Papam, quatuor Cardinales, & sui fratris
relictam cum aliis Principibus, quibus homicidium illud imponebatur,
1344. omnes communiter diffidavit. Anno Domini MCCCXLIV. Papa deposuit
(Lodovicus Imperator falsé accusatus depomitur.) Lodovicum Imperatorem ob crimen inconfessum nec convictum: sed
per ambassatores quibus maxime confidebat Lodovicus, false imposi-
(Carolus Moraviae Marchio Rex Rom. electus.) tum, qui ut supra signatum est, in Pergameno sigillo Imperiali munito
scripserunt, quicquid eis placuit, inscio Imperatore. Anno sequenti ex
mandato Papae quidam Electorum in oppido Rhens prope Andernach
congregati, elegerunt in Regem Romanorum, ut futurum Imperato-
rem, Carolum, Marchionem Moraviae, filium Joannis Regis Boëmiae.
1347. (Pestilentia omnium, quae unquam fuerunt, funestissima.) Anno Domini MCCCXLVII. tanta pestilentia & mortalitas fere in toto
mundo fuit, ut aestimatione fide dignorum hominum vix decimus ho-
mo supervixerit: non diu aegrotabant, sed mox secunda aut tertia die
(Civitates hominibus evacuatae.) obierunt, adeo autem pestis illa saevit, quod multae civitates & villae
totaliter hominibus evacuabantur. In Bononia, Venetiis & Persulano
(Origo tantae pestilentiae.) monte, Avinione, Massyliae, Tholosa, singulis civitatibus communi-
ter una die mille homines obierunt & adhuc valide durat in Francia,
Normannia, Anglia & Hybernia. Istam pestilentiam quidam dicunt ex
corruptione aëris evenisse, alii vero Judaeos totam Christianitatem vo-
luisse veneno extinguere, ubique terrarum puteos & fontes intoxi-
(Judaei puteos infecerunt.) casse. Et hoc Judaci multi tormentati confessi sunt, quod araneas &
bubones nutrierint in ollis & cacabis, & quod venenum de ultrama-
rinis

rinis partibus sibi comparaverint, istudque scelus non omni Judaeorum plebi constare, sed tantum potentioribus, ne videlicet divulgaretur. In evidentiam veritatis tanti criminis dicunt, in multis puteis & fontibus inventos esse sacculos veneno plenos, unde per totam Alemanniam in civitatibus, oppidis & villis, campis & sylvis fontes fere omnes obstructi & clausi sunt firmo aedificio, ne quisquam ex eis biberet aut cibos coqueret. Oportebat tunc homines aut uti aqua fluviali aut pluviali; Deus enim ultionum Dominus Judaeorum malitiam manifestans non passus est, eos id impune transire, ubique per totam Alemaniam, paucis locis exceptis, cremati sunt, multi quoque timore poenae baptisma acceperunt,& vita donati sunt. Factum est illud cum Judaeis anno Domini MCCCXLIX., & adhuc fortiter durat, quia contra eos & defensores eorum multi in diversis Regionibus conspiraverunt, Nobiles & ignobiles, ut nunquam desistant, donec tota Judaeorum generatio deleta sit. Eodem anno videlicet MCCCXLIX. Lodovicus filius Imperatoris Ludovici cum fautoribus suis Palatino Rheni, Henrico Archiepiscopo Moguntinensi, quem Papa deposuit, & cum juniore Duce Saxoniae, ad quem, ut asseritur, electio Regis Romanorum pertinebat, in odium Caroli, quem Papa procurabat in Regem eligi, elegerunt strenuum Comitem Guntherum de Schwartzenburg, sed quomodo cum Carolo complanatus sit supra dictum est. Eodem anno multi Nobiles in Alemania congregati, turmatim terram circuibant, se ipsos usque ad femoralia nudantes, duris verberibus usque ad sanguinis effusionem flagellabant, de quibus diversi diversa sentiunt; ego vero temere nihil de ipsis dijudico: Papa eos excommunicavit, & vitari ubique praecepit.

Putei ubique obstructi sunt.

Judaei ubique caesi &, peremti sunt.

1349.

1349.

Gyntherus Comes de Schwartzenburg in Regem eligitur.

Flagellantes peregrinantur.

Huc usque Author Chronicon hoc suum deduxit: illud quod sequitur, ego MICHAEL EYSENHARD *fideli opera adjeci.*

CONTINUATIO
MICHAELIS EYSENHARD.

1355. Carolus pro corona Imperiali Italiam intravit.

Carolus coronatus est.



NNO Domini MCCCLV. Rex Carolus cum Principibus Alemanniae & Boëmiae, & cum uxore sua in mense Januario Italiam intravit, & benigne ubique acceptus est, in Mediolano corona ferrea coronatur: deinde Romam veniens totum populum obvium habuit, & solennissime susceptus. In die Paschae intra Missarum solemnia ipse cum uxore sua ab Ostiensi Cardinali coronatur. Anno MCCCLVI. Ecclipsis solis fuit, & terrae motus maximus, ut in partibus Rheni plures arces, turres & domus corruerint, secutaque est maxima mortalitas. Eodem tempore condemnatus est Spyra Berchardus Bertholdus Haereticus, qui multa mala seminaverat. Anno MCCCLX. circa festum Sancti Martini Papa Innocentius collectionem omnium fructuum, beneficiorum vacantium & vacatorum in dioecesi Spyrensi per biennium requisivit. Illo tempore magna seditio fuit Nornbergae inter consulatum & artificum collegia, per Carolum tamen sedata est, & collegia illa omnia abrogata sunt, concesso solum quotannis ludo Macellariis, qui uni Carolo & consiliariis adhaeserunt. Anno MCCCLXX. Carolus Imperator Wenceslaus filium seniorem Regem Romanorum nominat, qui cum eo postea annis VIII. regnavit. Promisit Carolus (ut refert Papa Pius) cuilibet Electorum centum millia aureorum nummorum pro consensu, sed cum solvere tantum aes non posset, obligavit eis telonia, vectigalia, oppida Imperialia, proprietates, item & jura multa titulo pignoris. Anno MCCCLXXII. Ulricus de Helffenstein occisus est in castro Nyburg, & civitates quaedam Imperiales mortem illius ulcisci volentes a Duce Wurtembergensi superatae. Anno MCCCLXXV. ex Britannia & Anglia magnus armatorum exercitus venit, qui pene totam Alemanniam vastavit, sed tandem dispersus misere periit. Anno MCCCLXXVII. feria quinta post Pentecosten maxima caedes facta est apud oppidum Reutlingen, & multi Nobiles viri ex parte Ducis Wirtenbergensis ceciderunt, & interfecti sunt ad oppidanis: anno praecedenti Carolus Imperator cum Duce de Wurtenberg obsedit Ulmam, sed nihil effecerunt. Anno MCCCLXXVIII. Carolus Imperator moritur, & reliquit duos filios Wenceslaum & Sygismundum.

1356. Ecclipsis & terrae motus maximus.
Pestilentia.
1360.

Seditio civium in Nornberg maxima.

1370. Carolus filium suum Regem Rom. nominat.

1375. Comes de Helffensteiu occiditur.
1375. Angli Germaniam devastant.
1377. Caedes prope Reudlingen cruenta.
Ulma obsessa.
1378.

DE

DE IMPERATORIBUS.

WENCESLAUS Romanorum Rex, cum jam cum patre annis VIII. regnasset, post obitum patris confirmatus, imperavit annis XXII.: quamvis Imperii coronam non consecutus sit, utpote vir ignavus & patri dissimilis. Sub eo orta est haeresis Hussitarum. Anno Domini MCCCLXXXII. Lodovicus Rex Ungarorum obiit, & sepultus est in Alba regali, in Ecclesia beatae Mariae Virginis; desponsaverat paulo ante duas filias suas, Sygismundo, Caroli Imperatoris filio, unam, alteram Guilielmo Austriae Duci, his pactionibus, ut Sygismundus Regnum Hungariae haberet, Guilielmus Poloniae Regnum, erat enim utriusque Regni Dominus. Est itaque post breve tempus Hedwigis Guilielmo Duci traducta & copulata in civitate Cracoviensi, sed non longe post eodem rursus spoliata, Duci Lithuanorum matrimonio locatur: qua mortua Guilielmus sororem Ladislai, Caroli Siciliae & Apuliae Regis filiam Joannam nomine., uxorem duxit, sed non diu supervixit, unde ipsa in Regnum suum rediit. Anno MCCCLXXXV. Carolus Franciae Rex in Hungaria occiditur & maximus tumultus in toto Regno fuit, in quo etiam occisa est Regina Hungariae, Regis Lodovici relicta, & filia ejus Sygismundo desponsata in Croatiam abducitur, restituitur tamen non diu postea, & Sygismundus Regnum accepit; Concilium apud Budam omnium Procerum convocavit, in quo Regina perfidiam regulorum, qui se Regno privare conati essent, conquesta est, & causa cognita Sygismundus XXXII. regulos securi percussit, sed severitas ista ipsi postea multorum discriminum causa fuit. Captus enim est, & carceri mancipatus mortem vix evasit. Anno MCCCLXXXVIII. conflictus maximus factus est prope Wilam a Duce Wirtenbergensi, & civitatibus Imperialibus post illum, qui factus est prope Reutlingen, in quo LXXII. Nobiles ceciderunt, & ignobiles multi. Tunc civitates Imperiales Sueviae Ligam fecerunt cum civitatibus Imperialibus Rheni, similiter Principes, Dux Wirtenbergensis & Duces Bavariae, adjunctis sibi Episcopis quibusdam, foedus inierunt, factaeque sunt praedae, direptiones, vastationes, caedes & incendia hinc inde. In illo conflictu Principes victoriam obtinuerunt, & de civitatensibus multi perierunt, quamvis & de Principum parte Comites quatuor ceciderunt & Nobiles LX. & alii multi. Anno Domini MCCCXCVI. Turcae Bulgariam ingressi, omnia late devastabant. Sigismundus Rex cum XXXV. millibus Christianorum illis occurrens fere omnes amisit, & ipse adjutorio navis vix salvatus est. Erant in Turcarum exercitu ad ducentena millia: Nec longe post eam cladem Valachia, Transylvania, Moldavia & omnis trans Danubiana Regio, rebel-

Vir ignavus. Haeresis Hussitarum.

1382.

Testamentum Regis Lodovici Hungariae & Poloniae.

Dux Austriae Sponsa sua spoliatur.

1385. Carolus Rex Franciae in Hungaria occiditur. Regina Hungariae occiditur.

Conventus Procerum Regni Hungariae in Buda habitus.

Sigismundus XXXII. regulos Regni sui securi percussit.

1388. Pugna apud Wilam atrox.

Liga civitatum Imperialium.

Liga Principum.

Victoria Principibus cessit.

1396. Turcae Bulgariam devastant. Christiani multi occisi.

Defectio multarum provinciarum.

rebellaverunt, sed a Sygismundo rursus recuperatae sunt, & author
Stephanus Wavioda decollatur. defectionis Stephanus Wavioda securi percussus. Anno Domini
1400 MCCCC. cum jam Regnum Romanum Wenceslaus per multos annos
Wenceslai Regis Rom. mores. tenuisset, nullaque illius actio cerneretur Principatu digna, cum neque Italiam intrare, nec coetera munera Imperii obire curaret, duaeque tantummodo artes essent, una voluptatibus se dedere, altera pecuniarum cumulationi intendere, caetera vero omnia negligere, segniter atque dissolute se gerere; Praelatos etiam & sacerdotes multos sine causa interdum perimeret, & cum haec diutius faceret, ab Electoribus Imperii,
Wenceslaus deponitur. approbante Romano Pontifice, ab Imperio detruditur, domi torpens, & illaudatus reliquum vitae egit.

DE PONTIFICIBUS.

INNOCENTIUS VI. Papa CCI. patria Lemovicensis fuit, Stephanus antea vocatus, Procurator primo, mox Episcopus Claromontanus, deinde Cardinalis, ultimo, anno Domini MCCCLII. Clemente
1352. mortuo, & Avinione sepulto, summus Pontifex factus, sedit annis x.
Vir integerrimus. Vir integerrimae vitae post coronationem multas reformationes a Clemente factis revocavit, mandavit sub anathematis poena, ut beneficiati
Ut beneficiati residerent mandatum. ad Ecclesias suas proficiscerentur: dicebat enim, oves a proprio Pastore custodiri debere. Impensam domesticam tam sibi quam Cardinalibus moderatus est. Praeterea Palatii auditoribus salaria instituit, ne muneribus corrumperentur. Hic Papa composuit Historiam de Clavis &
Historia de Clavis & Lancea Christi componitur. Lancea Christi ad petitionem Caroli Regis Romanorum, & maximas indulgentias dedit celebrantibus & peragrantibus in Regno Boëmiae. Iste Innocentius anno Domini MCCCLX. circa festum Sancti Martini
1360. per literas suas commisit collectionem medietatis omnium fructuum,
Collectio medietatis omnium fructuum in dioecesi Spyrensi requiritur. beneficiorum vacantium & vacatorum in Dioecaesi Spyrensi, Canonico cuidam Spyrensi per biennium, ad Cameram Apostolicam referendam.

1363. URBANUS QUINTUS Papa CCII. anno Domini MCCCLXIII. Innocentio Sexto mortuo, electus est, patria Lemovicensis, Guilielmus antea vocatus, Abbas Sancti Victoris Massyliensis ex divi Benedicti ordine, absens & apud vice Comites in Italia Legatus degens, suffectus
Vir ingenii animi & virtutis singularis. est: sedit annis VIII. mensibus quinque, vocatus itaque Avinionem Pontificatum iniens, vir singularis virtutis, ingentis animi, statim ad libertatem Ecclesiasticam animum convertit. Egidium praestantem vi-
Egidius Legatus. rum Legatum in Italiam misit, qui Provincias, urbes, arces Ecclesiae
S. Brigitta Sueciae Principissa Romam venit. a Bernabove occupatas recuperaret: Ad istum Urbanum beata Brigitta venit pro confirmatione rogans Religionis, quam ipsa viris & mulieribus

bus instituerat, & ab eo benignissime suscepta est, ob sanctitatis famam & prophetiam. Confirmavit Urbanus regulam ipsius. Anno Domini MCCCLXVIII. Urbanus Carolum in Italiam vocavit contra Bernabovem, ecclesiae hostem, quod Carolum promisisse ferunt, verum cum non posset, pacem cum illo fecit contra voluntatem Papae. Anno MCCCLXXI. dispositis rebus Italicis Urbanus crucem praedicari fecit contra Turcas & Passagium ordinavit. Ipse in Gallias profectus Massyliae moritur, vel ut alii volunt in Avinione

Regula S. Birgittae confirmata.

1368.

1371.

Crux praedicatur.

GREGORIUS UNDECIMUS Papa ccii. Avinione electus, Petrus prius vocabatur, Mariae novae Diaconus Cardinalis, sedit annis VII. menses quinque. Hic statim in Italiam misit, ut res Ecclesiasticae recenserentur, cum Bernabove pacem fecit. Erant omnes, praeter Venetos, Vice-comitibus inimici, propter quod multa mala surrexere, urbis injurias vindicare statuit. Per haec tempora ferunt, Carolum Imperatorem a Gregorio Papa exhortatum, ut expeditionem contra infideles faceret, ac Terram Sanctam recuperaret, respondisse dicunt: Se gratia Dei satis posse expeditionem ducere, sed, quia considerarct, quod sine multorum Christianorum clade id fieri non possit, nec etiam si recuperaret eandem manu tenere confideret: ideoque frustra se ad hoc impelli, temeritatis magis esse, quam utilitatis & prudentiae. Anno Domini MCCCLXXVI. Papa Gregorius Curiam rursus Romam perduxit, quae in Galliis LXX. jam annis fuerat. Quibus autem honoribus a Romanis susceptus sit, longum esset ponere. Jam enim civitatis moenia, Basilicae, publica & privata aedificia ruinam ubique minitabantur. Hic Gregorius postulavit ab Alemannis decimam omnium fructuum Ecclesiasticorum, & fuit magna discordia in Clero. Aliqui enim mandato obedierunt, aliqui non: Lata fuit sententia excommunicationis adversus inobedientes; qui nihilominus celebrabant divina, conclusum tamen ultimo est, ut de quatuor marcis quinque floreni Rhenenses darentur, & illos dederunt multi. Anno Domini MCCCLXXVIII. quinto Kalendas Aprilis Gregorius accurate agens omnia, quae ad Pontificem pertinebant, vesicae dolore moritur, sui Pontificatus anno septimo, mense quinto. Sepelitur in Basilica Mariae Novae. Hic in extremis jacens in manibus Sacrum Christi Corpus habens protestabatur coram omnibus, ut caverent ab hominibus narrantibus visiones sui capitis, quod per tales ipse seductus, dimisso suorum bono consilio se dedisset, & Ecclesiam in discrimen Schismatis imminentis. Inductus enim fuerat per Catarinam de senis, quod de Avinone Romam transmigravit, Cardinalibus dissuadentibus, propter quod paulo post ortum est Schisma, quod circiter XXX. annos duravit, & vix tandem in Concilio Constantiensi sublatum est.

Carolus a Gregorio ad expeditionem faciendum adhortatur.

1376.

Curia Papalis de Avinione iterum Romam migravit.

Postulantur ab Alemannis decimae fructuum omnium

Discordia in Clero magna.

1378.

Gregorius moritur.

Visiones narrantibus non credendum.

Catarina de senis.

Schisma XXX. annos durans.

SCHIS-

SCHISMA LONGISSIMUM.

GREGORIO defuncto & ejus exequiis ex more peractis, Clerus populusque Romanus, Cardinales obnixe rogabant, ut Italicum eligerent, qui Ecclesiam Romanam & Rempublicam gubernaret; alioquin de Christiano nomine actum esse; quod ideo fecerunt, ne, si Gallicum eligerent, Romana Curia iterum in Galliam demigraret. Cardinales Romani ad votum eorum facere promittunt, Gallici cogitabant facere Gallicum. Intrantes igitur conclave ad deliniendos Romanos elegerunt Bartholomaeum Neapolitanum, Barensem Archiepiscum ad tempus, donec tutiori in loco illi alium subrogarent; sed unus Cardinalium de familia Ursina ad Pontificatum aspirans, ad populum Romanum defert, Gallicum electum esse. Romani Conclave cum maximo tumultu perfringentes, vix manus a violentia abstinuerunt. Ubi tamen Barensem electum esse audierunt, mitigati abscesserunt, sequentibus diebus Cardinales Principibus & civitatibus per orbem literas, ut moris est, intimaverunt, Barensem Canonice electum esse, qui se Urbanum Sextum appellaret; fuit in homine natura inquieta & dura: post menses tres Gallici culpam in calores urbanos rejicientes, a Pontifice petunt, ut eis proficisci Anagniam cum bona venia liceat, aëris mutandi gratia, sed re vera severitatem Urbani revereri. Nam saepius ad se vocatos admonuit, ne dona acciperent, dum causas agerent, vel Patrocinium suum praestarent, interminatus se acerrime puniturum in Symonia deprehensos, aut injustas causas foventes, atque Papa ostendit, sibi placere & ita velle, ut pompam dimitterent familiarium & equorum, quia in tales sumtus consumerent pauperibus debitum, ac Basilicis restituendum, & quia sentiebat Cardinalis, Gallos de reditu Curiae in Galliam mentionem facere, aperte ostendit, se Romae mansurum, quam dicebat fundamentum Ecclesiae universalis. His moti Cardinales Gallici accepta licentia Anagniam eundi ad fundos, civitatem Apuliae concesserunt octo Cardinales Gallici, Urbanum Papam vi & non libere creatum dicentes, ibi elegerunt in Papam Gebennensem Cardinalem in mense Septembri, eum Clementem Septimum appellantes; is xv. annis sedit. Adhaeserunt Urbano Italia, Germania & Pannonia: Clementi vero Gallia, Hispania, Cathalonia & Britannia; quaelibet suum verum & legitimum Papam esse dicebat, & alterum Apostaticum. Clemens cum obedientia sua in Curiam reversus, Gallicam Avinione residentiam statuit; Urbanus vero Romae sedens multos Cardinales creavit; multiplicavit & Clemens Cardinales. Urbanus per haec etiam tempora interdictum & alias censuras prolatas a Gregorio Undecimo contra Florentinos relaxavit, & pacem cum eis fecit. Non diu postea Urba-

Origo Schismatis.

Archiepiscop. Barensis eligitur.

Tumultuantur Romani.

Urbanus Sextus.

Cardinales Urbani severitatem revereri.

Symonia & Pompa Domestica Cardinalibus prohibitae.

Roma fundamentum Ecclesiae Universalis.

Clemens septimus.

Clemens Curiam suam Avinione locat.

Urbanus Nucertiae obsessus vix evasit.

banus Carolum Franciae Regem processibus persequi coepit: quare ab eo Nuceriae obsessus vix evasit, transportatus est Genuam, ubi quinque Cardinales Nuceriae captos saccis involvit, & in mare demergi procuravit, propter quod duo Cardinales ab ipso clam ad Clementem fugierunt, & ab eo honorifice suscepti sunt, ab Urbano vero execrati & privati. Anno Domini MCCCLXXXIX. controversia orta est inter Cives & Urbanum, quod Papa Senatorem creaverat populo non placentem, sed concordati rursus sunt. Eodem anno moritur Urbanus, veneno ut creditur extinctus, paucis ejus obitum, utpote hominis rustici & inexorabilis, deflentibus.

Urbanus quinque Cardinales demersit.

1389. Discordia inter Urbanum & Romanos suos.

BONIFACIUS NONUS Papa, Patria Neapolitanus, Petrus antea vocatus, Romae consensu omnium Cardinalium creatus, anno Domini MCCCXC., XXX. aetatis suae annum vix agens, vixit tamen adeo caste, ut nulla libido ei objici possit, & licet scientiae minus peritus esset, prudentiae summae erat. Praeterea tanti animi fuit, ut primus populi Romani potestatem omnem in Pontificem transtulerit; creatis suo nutu omnibus magistratibus. Munivit Sancti Angeli arcem & pontem, sedit annis XV. Tempore ejus valde infamis Curia Romana fuit de labe Symoniaca, quod beneficia non tam meritis quam pecuniam offerentibus darentur. Et replevit orbem terrarum indulgentiis plenariis, ita ut parvae etiam Ecclesiae in certis festivitatibus eas obtinerent pronae in subsidium ipsis largientibus. Sed revocavit eas circa finem Pontificatus sui eo praetextu, ut Eleëmosynae, quae datae essent Ecclesiis, sequenti tempore converterentur ad reparationem Ecclesiae Sancti Pauli Romae, quae tunc corruerat. Habuit Bonifacius tres Germanos, quos multum exaltavit, filii tamen eorum postea ad maximam pervenerunt egestatem. Anno MCCCXCIII. Romani insurrexerunt adversus Bonifacium, fuissetque haud dubie interfectus, nisi Ladislaus, qui ab eo Rex Siciliae & Hierusalem contra Lodovicum Andegaviae Ducem coronatus fuerat, tunc Romae fuisset & cum protexisset. Eodem anno in mense Septembri obiit Clemens Antipapa Avinione, cui per electionem Cardinalium ibi existentium successit Petrus de Luna, consanguineus Regis Arragonum & vocatus est Benedictus XIII. Hic mansit usque ad Concilium Constantiense, licet mox post electionem suam literis per orbem significavit, se paratum renunciare juri suo, ad tollendum Schisma, sed contrarium fecit. Nam cum anno MCCCXCV. Oratores Regum Franciae & Angliae, ac aliorum Principum ad eum venissent exhortantes ut renunciaret, ipse respondit; Se hoc facturum, dummodo Romanus Pontifex prius cederet, aliter ad hoc induci non posse. Item vocatus ad Constantiense Concilium, obstinato animo venire renuit. Anno Domini MCCCC. Jubileus in Urbe celebratus est & eo religionis causa innumera hominum multitudo ivit. Tunc Bonifacius Annatarum usum primus Ecclesiasticis beneficiis imposuit, ut videlicet, qui beneficium consequeretur, dimidium annui proventus fisco Apostolico penderet. Quidam vero hoc inventum Joanni XXII. ad-

Jovenis Papa & castus.

Potestas Romanorum omnis in Papam data.

Curia Romana omnino Symoniaca & infamis fuit.

Indulgentiae plenariae exiguis Ecclesiis concessae.

1395. Tumultuantur Romani.

Obstinatio Benedicti.

1400. Jubileus Romae celebratus.

Annatarum usus primum excogitatus.

adscribunt. Anno Domini MCCCCIV. Bonifacius Papa moritur, & populus
1404. Romae ad arma concurritur. Romanus ad arma concurrit per civitatem, seditiones & homicidia perpetrans.

DE IMPERATORIBUS.

1400. RHOBERTUS Bavariae Dux & Comes Palatinus Rheni anno Domini MCCCC. ab Imperii Electoribus Rex Romanorum electus, Coloniae Agrippinae ab Episcopo Coloniae corona decoratus est: homo sane Christianissimus, justitiae cultor, a Bonifacio Romano Pontifice confirmatus, imperavit annis X. Hic ex uxore sua Elisabeta filia Burggraphii Nornbergensis multos haeredes genuit. Rhobertus & Fredericus ante Patrem obierunt, superstites reliquit Lodovicum, Stephanum, Joannem, Othonem, inclytos Duces: filias quoque tres, quarum una Duci Austriae Frederico, de Athesialia Comiti de Cleve, quem Sigismundus postea Ducem fecit, Tertia Margareta Duci Lotharingiae matrimonio junctae sunt: ipse cum filiis sub obedientia Gregorii Papae permansit. Anno Domini MCCCCX. Concilio Pisano habito Rhobertus Rex in Oppenheim obiit, & Heidelbergam portatus ad Sanctum Spiritum sepultus est. Sunt qui eum cum exercitu copioso aliquando Italiam intrasse scribunt, pro Imperiali Benedictione consequenda, sed iter & conceptum suum non peregisse. Anno Domini MCCCCV. in Urbe inter Pontificem & populum Romanum tantae exortae sunt turbae, quod Papa Urbem exire coactus fuit: sed cum Viterbio diutius resideret, Romani poenitentia ducti ipsum revocant, & Urbem reddiderunt: sed ipse recusavit, donec Joannes de Columna, author seditionis, sibi traditus fuisset: illo tempore Veneti Pataviam obtinuerunt, & paulo antea Veronam per Carrarienses, & Florentini Pisas.

Rhoberti Regis liberi.

1410. *Rhobertus Rex Romae obiit.*

1405. *Turbae inter Papam & Romanos maximae.*

Patavia a Venetis capta.

1410. SIGISMUNDUS Caroli Quarti, Romani Imperatoris, filius, natione Boëmus, origine Teutonicus, Hungariae atque Boëmiae Rex, defuncto Rhoberto Rege, anno Domini MCCCCX Francofordiae ab Electoribus Rex Romanorum electus imperavit annis XXVII. Princeps singulari prudentia, animi magnitudine, beneficentia & liberalitate insignis, corporis quoque majestate & decore illustris erat, clara facie inclytus, specioso & robusto corpore. Is suscepto Imperio mox cum comitatu maximo universam ferme Galliam Cisalpinam componendae pacis causa percurrit; & cum multa ejus praeclara facinora memoriae tradita sunt, inter ea tamen illud praeclarissimum est, quod Ecclesiam Catholicam in tres partes divisam, coacto Constantiae Concilio, ad unitatem perduxit, Italiam, Galliam, Angliam, propter hoc peragratus. Post & Basiliensi

Sigismundi mores & egregia facinora.

Sigismundus discordantem Ecclesiam ad unitatem perduxit.

siliënsi Conciliò satis adhaesit. Anno Domini MCCCCXIV. Concilium generale in urbe Constantiae ad Schisma tollendum, quod supra XXX. annos jam duraverat, Sigismundi Imperatoris jussu & industria, Joannis quoque XXIII. authoritate, coeptum est celebrari. Interfuerunt huic Concilio Joannes Papa, Imperator Sigismundus, quatuor Patriarchae, Cardinales XXIX. Archiepiscopi XLVII. Episcopi CLX Secularium quoque Principum, Comitum, & Baronum tanta multitudo, quod saepius uno tempore Constantiae aderant XXX. millia equorum. Tunc ibi Papa Joannes ad preces Regnorum Succiae, Daniae, & Nortvegiae Sanctam Brigittam canonizavit. Est in eo Concilio dogma & haeresis Joannis Wiclesi damnata. Joannes Hus, & Hiëronymus, quod revocare nollent combusti. Anno Domini MCCCCXVII. Octavo Pascae Fredericus Burggraphius Nornbergensis factus & creatus est Marchio Brandenburgensis, & paulo post Adolphus de Cleve Dux factus. Circiter annum Domini MCCCCXXXI. Sigismundus ad coronam Imperii suscipiendum Italiam intravit, & eam potenter permensus Romam venit, ubi maximis honoribus a Pontifice populoque Romano susceptus, Imperii Corona & Benedictione donatus est. In reditu Joannem Franciscum Mantuae Dominum, Marchionali dignitate & Imperii signis exornavit. Anno Domini MCCCCXXXVI. nona Septembris Sigismundus Pragam in Boëmiam venit, & eam iterum ad obedientiam cepit. propulsatisque haereticis Christianos ritus introduxit: sequenti anno Sigismundus Pius Princeps Znomiae obiit, in festo conceptionis beatae Mariae Virginis, anno aetatis suae septuagesimo, Regnorum suorum Hungariae LI. Romanorum XXVII.. Imperii vero anno quinto, Boëmiae XVII. qui postmodum in Hungariam deportatus in Ecclesia Varadiensi honorifice est sepultus.

1414. Concilium Constantiense.

Qui Principes & Praelati Concilio Constantiensi interfuere.

Sancta Brigitta canonizata.

Haeresis Joannis Wiclesi damnata.

Joannes Hus cum socio combustus.

1417. Burggraphius Nornbergensis. Marchio Brandenburgensis.

1431. Sigismundus Italiam pro coronatione intravit.

Mantuae Dominus Marchio creatus.

1436. Sigismundus Imperator Pragam recepit. Sigismundus obiit.

ALBERTUS AUSTRIAE Dux, post obitum Sygismundi soceri sui, Hungariae atque Boëmiae Regnis sublimatus, anno Domini MCCCCXXXVIII. tredecimo Kalendis Aprilis Rex Romanorum eligitur; regnavit annis fere duobus: vir optimus. Is primo apud Albam Regalem Kalendis Januarii coronatus est, cum conjuge sua Elisabeth, Rex Hungariae, inde pridie nonas Maji Rex Boëmiae designatur. Inter haec Electores Imperii apud Francofurt congregati Romanum Imperium ei commendaverunt, quod tamen absque consensu Baronum Regni Hungariae ipsi acceptare haudquaquam licebat, quibus haud ex usu videbatur suum Regem Teutonibus imperare, quod Sigismundus Romanae rei consulturus, Italiam, Germaniam ceterasque Provincias peragrans, Hungariam Turcarum direptioni reliquisset. Atque ob eam rem Albertum jure-jurando obligarunt, ne suo injussu vacans Imperium acceptaret: vocati tamen ad Regem, qui tunc Viennae fuit, Hungari multa in utramque partem tractarunt. Victi tandem precibus Frederici Ducis Austriae adolescentis assensum praebuerunt, & sic Imperium cum summa Germanorum gratulatione ab Alberto susceptum est, sed vix annos duos administravit. Nam cum anno Domini MCCCCXXXIX.

1438. Vir optimus. Albertus Hungariae atque Boëmiae Rex, & brevi etiam postea Romanorum electus.

Alberti brevis administratio.

1439. MCCCCXXXIX. Budae esset, dissenteria laborare coepit, & Viennam petens ex continua equitatione magis ac magis debilitabatur: praetergressus itaque Strygonium, ubi praegnantem uxorem reliquit, ipse ultra procedens in villa, quae longa dicitur, decumbens sexto Kalendas Novembris obiit, & in Alba Regali pompa est funeratus.

DE PONTIFICIBUS.

INNOCENTIUS SEPTIMUS Papa, prius Cosmus de Sulme Cardinalis Bononiensis vocatus, sedit annis fere duobus, ante electionem istius juraverunt omnes Cardinales, ut quicunque ex eis eligeretur, operam daret possibilem ad Schisma tollendum. Primo anno Pontificatus sui inter ipsum & populum Romanum tanta discordia exorta est, ut coactus fuerit ex urbe discedere, cum autem Viterbio moraretur, Romani poenitentia ducti Urbem Pontifici reddiderunt, ac multis legationibus missis ipsum revocaverunt, quod & tandem fecit, & reversus Romam plures Cardinales elegit. Lodovicum nepotem suum Agri Piceni Marchionem creat, Principemque constituit, ipse deinde Romae moritur, sepeliturque in Basilica Sancti Petri, anno Domini MCCCCVI. in mense Novembri. Hoc tempore floruerunt Viri Graeca & Latina lingua eruditi Guarinus Veronensis, Victorinus, Philelphus, Ambrosius Monachus, Leonardus & Carolus Aretini, Petrus de Aliaco & Joannes Gerson.

Discordia inter Pontificem & Romanos gravissima.

Agri Piceni Marchio creatus.

1406.

Viri scientia clari.

GREGORIUS DUODECIMUS Papa, post honorabiles exequias Innocentii electus est, Patriarcha prius Aquilejensis fuit, Venetus Patria, vocatus Angelus Coranus, vir a pueritia magnae sanctitatis & sapientiae. Hic electus denuo juravit, omnia sibi possibilia facere ad unionem Ecclesiae faciendam, de quo Principes quiquam plurimum exhilarati sunt. Scripsit Benedicto Antipapae, benigne eum ad pacem invitans, & ad resignationem mutuam. Benedictus vero eisdem fere syllabis rescripsit, eademque invitatio fuit. Tractatum saepius de loco ubi convenirent fuit, sed processum habere non potuit propter suspicionem, quam mutuo alter de altero habebant. Cardinales igitur videntes Gregorium & Benedictum invicem colludere, & nolle Ecclesiae unionem quaerere, prout uterque promisisset, iterum ad eos mittunt ad unionem adhortantes, sed cum nihil impetrare posset, ambobus pertinaciter obstinatis, Concilium Pisis congregant, in quo post legitimas citationes Gregorium & Benedictum non comparentes sed contumaces deponunt, & privant, tanquam Haereticos & Schismaticos, prohibentes Christianis omnibus, ne quem eorum de caetero Papam dicerent, aut ulli ut Romano Pontifici obedirent. Quibus

Angelus Coranus magnae sanctitatis vir.

Colludunt invicem Papae.

Concilium Pisis habitum, in quo Gregorius & Benedictus depositi sunt, & Alexander electus.

bus peractis ad electionem alterius Pontificis processerunt, & intrantes Conclave more solito elegerunt Petrum de Candia.

ALEXANDER QUINTUS, Papa in Concilio Pisano electus est: prius Petrus de Candia appellabatur, & Cardinalis Mediolanensis fuit ordinis Minorum, sedit annum unum: adeo munificus fuit & largus erga pauperes, ut nihil sibi reliquerit; unde per jocum dicere solebat: Se divitem Episcopum fuisse, Cardinalem pauperem, Mendicum Pontificem esse. Hic in fine primi anni Pontificatus sui graviter aegrotare coepit, & cum sentiret mortem sibi imminere, Cardinales ad se vocavit, testatusque est per mortem instantem, & quam se non reformidare dixit, conscientia bene actae vitae, quod existimaret & crederet omnia, quae in Concilio Pisano Decreta fuissent, recte atque integre facta sine dolo & fraude: & cum talia dixisset, lachrymantibus cunctis qui aderant, illud Salvatoris verbum aegre protulit: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*, statimque moritur, & sepultus est in Ecclesia fratrum Minorum.

Petrus de Candia vir optimus.

Quid Alexander morte instante egit.

Verbum Salvatoris.

JOANNES XXIII. Papa Alexandro Quinto defuncto Bononiae electus est, prius Balthasar Cossa vocatus, & Cardinalis Diaconus Sancti Eustachii. Fuit vir in Temporalibus magnus, in Spiritualibus vero nullus & ineptus. Dives fuit, & Cardinales pauperes nimia largitione ad votum suum traxit, quatuor annis sedit. Confestim post Electionem suam Oratores ad Electores Imperii misit oratum, ut Sygismundum Hungariae Regem, virum strenuum, & ad omnia fortiter agenda promtissimum, Imperatorem crearent, quod & fecerunt, postea de Schismate tollendo ipse & Sygismundus agere coeperunt, & Concilio Constantiae indicto ad id ambo venerunt, anno Domini MCCCCXIV., & quia unio in Ecclesia fieri nulla potuit, nisi tres Pontifices Maximi se dignitate abdicarent, Joannes voluntarie cessit; verum poenitentia ductus clam aufugit, sed ex fuga retractus, in vincula conjectus triennio detentus est in Manheim, sine cubiculario famulove Italico, cum quo loqui posset. Abdicavit se etiam per Carolum Malatestam Pontificatu Gregorius, & propter hoc Piceni Agri legatus designatus est: tactus tamen introrsum animi dolore non longe postea moritur, & in Recanensi Ecclesia sepultus est. Benedictus autem a Concilio monitus, ut id ipse pro salute Ecclesiae faceret, quod Joannes & Gregorius jam fecissent, moveri a proposito suo nullo modo potuit, sed dicebat; Se verum Dei Vicarium esse: Concilium super hoc multa attentavit, demum XVIII. die Mart. accensis candelis, & pulsatis Campanis eum anathematizavit, rejectisque rationibus eorum, qui cum eo sentiebant, Pontificatu privatur, ac ut Haereticus & Schismaticus a cunctis habendus declaratur: quo facto de eligendo novo Pontifice sermo est habitus; ordinatum est, Spiritu Sancto disponente, ut Cardinalibus, qui de triplici obedientia erant, scilicet Gregorii, Joannis & Benedicti, adderentur ex qualibet natione quinque Praelati, qui cum Cardinalibus vocem in electione haberent: isti ergo Conclave ingressi unanimiter ele-

Balthasar Cossa.

Orat Sygismundum eligi in Imperatorem.

1414.

Quod Joannes se dignitate privasset, poenitentia ductus aufugit, & captus iterum detentus est.

Gregorius se dignitate abdicans fit Piceni Agri Legatus.

Benedictus cedere nolens excommunicatur.

Papa novus eligitur.

Otho de Columna. elegerunt Othonem Cardinalem de Columna, vocatusque est Martinus Quintus.

1414. MARTINUS QUINTUS Papa, natione Romanus, ex familia Columnensium, in Concilio Constantiensi eligitur, sedit annis XIV. Is a teneris annis cura parentum moribus & literis bonis imbutus, jure Pontificio Perusii operam dedit. Diaconus & Cardinalis postea ab Innocentio Sexto creatus, nec ab eam rem a natura sua discessit, humanior quam prius fuit factus, patrocinium suum omnibus praestitit, ita tamen quod rebus publicis se non nimium immisceret. In Concilio Constantiensi in altercatione medium quoddam semper tenuit, communi utilitati consulens. Hanc ob rem Cardinalibus & Imperatori gratus Pontifex creatur: Ejus sermo plenus sententiis erat, excidebat nullum verbum tam crebro, quam justitiae nomen: ad suos saepius conversus dicebat; Diligite justitiam, qui judicatis terram: deinde ipso Italiam intrante, cum Florentiam pervenisset, quatuor Cardinales, qui cum Petro de Luna adulterino Pontifice senserant, ad eum veniunt, & dignitatem suorum titulorum retinuerunt. Ferunt etiam Balthasarem Cossam e Palatini Comitis carcere liberatum ad Martinum venisse, & ab eo in Cardinalium numerum ascitum Episcopum Tusculanum creatum esse: sed diu non supervixisse, obiisse ex animi perturbatione; deinde post tempora aliqua mortuus est & Petrus de Luna in Peninsula. Tunc ne aliquid deësset, quod non Ecclesiam vexaret, duo Anti-cardinales Alphonso suadente AEgidium Canonicum Barchinonensem Pontificem deligunt, CLEMENTEMQUE OCTAVUM appellant, qui statim & Cardinales creavit: verum cum Alphonsus cum Martino in gratiam rediisset, AEgidius, Alphonso jubente, statim omnia Pontificatus jura deposuit, quod & fecerunt Cardinales ab eo creati. Priores vero duo Cardinales in carcerem conjecti sunt, & sic Schisma undique sublatum est. Anno Domini MCCCCXXX. Martinus Papa Cardinalem Julianum Basileam misit, ut Concilium inchoaret, praecipue contra errores Boëmorum, & ipse paulo post apoplexia Romae moritur, sepultus in Basilica Constantiniana ante capita Apostolorum, comitante & deflente Clero, & omni Populo non aliter quam charissimum Patrem.

Martini mores. — In Concilio Constantiensi altercando medium tenuit. — Balthasar Cossa. — Petrus de Luna. — Novum Schisma oritur. — Clemens Octavus Anti-papa. — Schisma sublatum. — 1430. — Concilium Basiliense incoeptum.

1431. EUGENIUS IV. Patria Venetus, de familia Condelmeria, Romae Papa creatur, anno Domini MCCCCXXXI., quinto nonas Martii, sedit annis XV. statim ad Sanctum Petrum comitante Populo & Clero perducitur, ubi accepta corona Pontificia, visaque de more Basilica Sancti Joannis Lateranensis, in Vaticanum rediens, Consistorium generale proposuit; constituta die, qua certe tanta multitudo adfuit, ut cum trabes deficerent ejus loci, trepidatum sit adeo tumultuose, ut in ipsa fuga Senogalliae Episcopus, civis Romanus, obtritus perierit: dimisso Consistorio Eugenius tumultus deinde ex industria vitavit. Creatus Pontifex mox Julianum Caesarium, Sancti Angeli Cardinalem, quem Martinus Basileam ad Concilium Legatum direxerat, ad extirpandam Hussi-

Senogalliae Episcopus obtritus.

Hussitarum haeresin sua autoritate confirmavit. Postea maximas cum Columnensium familia discordias habuit, & ab ea & fere tota civitate persecutus est, & mutato habitu sumtoque monastico cucullo, urbe excessurus naviculam cum Arsenio Monacho intravit, & cum per Tyberis ostia veheretur, Romani cognita ejus fuga eum lapidibus sagittisque incessunt, quo ita expulso ipsi se in libertatem vendicabant, sed quinto mense postea sub jugum reversi sunt. Interea Eugenius nitebatur Concilium à Basilea ad Bononiam transferre, aut saltem dissipare, ne Schisma novum oriretur, sed nihil efficere potuit. Nam quod citatus non venerat, ut se de criminibus quibusdam objectis expurgaret, ab his qui adhuc Concilio aderant, multi enim recesserant, Pontificatu privatur. Subrogato illi Amadaeo Sabaudiae Duce, qui se Felicem Quintum dixit, & novem annis sedit. Hic Amadaeus Primus Dux Allobrogum, sic enim dicti sunt, qui nunc circa Rodanum Sabaudienses appellantur, erat, & annos circiter XL. in florentissimo Principatu vixerat. Subiit inde rerum humanarum taedium, instituitque Eremiticam vitam, sumpsit & pallium Eremiticum, per quod magnum erat sanctitatis nomen adeptus, tum ad honoris hujus culmen aspirans, Basileam cum filiis duobus profectus est, pallio & barba depositis, seculari se reddidit religioni. Sed electus in summum Pontificem, magnam obedientiam non habuit, quia neutralitas & Schisma fuit in majore parte, adhuc Eugenio adhaerente. Tandem defuncto Eugenio ratione unionis Nicolao cessit, & factus est Legatus Franciae & Cardinalis Sabinianus. Hic Monasterium Ripalense prope lacum Lausanensem magnifice restauravit, ibique post obitum sepultus est. Anno Domini MCCCCXXXIX. unita est Graeca Ecclesia Romanae, & promulgatis unionis Decretis, actae sunt Deo Optimo Maximo gratiae. Anno Domini MCCCCXLIII. Eugenius Romam revertitur, & a populo honorem nullum accepit, propter duplicatum tributum, & vectigal novum vino impositum, quo etiam anno Nicolaum de Tolentino catalogo adscripsit. Anno Domini MCCCCXLVI. Eugenius moritur Kalendis Martii, vir ingenio & gestis rebus insignis, & in beati Petri Basilica sepelitur sepulchro marmoreo.

Discordiae inter Papam & Romanos maximae.

Papa fugiens lapidibus & sagittis insequitur.

Schisma ortum.

Felix Quintus Sabaudiae Dux.

Amadaei vita & mores.

Neutralitas & Schisma.

Monasterium Ripalense.

1439.

Orientales & Occidentales Ecclesiae uniuntur.

1443.

Eugenius Romam revertitur.

S. Nicolaus de Tolentino.

1446.

DE IMPERATORIBUS.

FREDERICUS TERTIUS Ernesti Ducis Austriae filius, Austriae, Styriae, Carinthiae Dux, & Comes Tyrolis, Alberto Rege e vita sublato, anno Domini MCCCCXXXIX. tertio Kalendas Aprilis communi Principum Electorum voto Rex Romanorum electus est, inde coronam Regni Germanici apud civitatem Aquensem summo honore 1439.

Fredericus anno Domini MCCCCXXXVI. Hierusalem invisit.
Mores Frederici laudabiles.
1440.
Rochezana Rex Boëmorum electus.
Hussitarum haeresis iterum attollitur.
Vladislaus Lythuaniae Dux.
Discordia in Regnis Boëmorum & Hungarorum magna.
Turcae potenti manu Hungariam intraverunt.
Joannes Huniades.
1440.
Imprimere libros primo repertum.
1444.
Delphinus Franciae Alsatiam devastat.
Civitas Metensis obsessa.
1448.
1449.
Bella civitatum Imperialium.
Principes victores fuerunt.
1452.
Fredericus Rex Italiam petit.
Leonora Lusitaniae Regis filia Frederico desponsata.
Fredericus & uxor sua Romae coronantur.
1453.
Constantinopolis a Turca capta est.

nore suscepit, & imperavit annis LIII.: ivit Hierosolymam priusquam imperaret, felicemque reditum cum gloria habuit. Princeps totum Catholicus fuit, & pius, aetatis floridae, & quam sapientia, gravitas & vitae integritas comitabatur: corpore strenuus, vegetus, ac robustus, sobrietatis cultor praecipuus. Anno Domini MCCCCXL. Boëmi celebri conventu habito, Rochezana, qui diu exulaverat, sibi in Regem deligunt, & ille reversus in patriam, pretiosissimum Christi Sanguinem parvulis ac dementibus indifferenter praebuit: Sacerdotes suae temeritati adversantes domo pepulit, popularibus communionem sub specie vini recusantibus Ecclesiastica sepultura interdicit: redeunt damnata tempora. Hungari Vladislaum Lythuaniae Ducem, Regis Polonorum fratrem pro Rege petunt. Sed postquam Elisabetha Regina, quae ventrem portabat, quando Rex Albertus obiit, filium & haeredem pepererat, gravis & magna discordia in utroque Regno orta est. Fredericus Imperator illum tutoris nomine una cum matre accepit, & Regni haeredem & dominum suum designavit. Per id tempus Imperator Turcarum cum centum millibus pugnatorum Hungariam intravit, obtinuissetque haud dubie Regionem, nisi commeatus penuria per eum annum obstitisset, Joannes Huniades saepius cum ipsis prospere certavit, postremo & ipse victus, & a Despota captus vix redimitur. Circiter annum Domini MCCCCXL. ars Impressoria librorum apud Moguntiam Germaniae urbem reperta est, non minus utilissima quam ingeniosissima. Anno Domini MCCCCXLIV. Delphinus Franciae cum XXX. millibus armatorum Alsatiam intravit, & multa damna fecit: Verum, non sine strage suorum, in propria reversus est. Carolus Rex Francorum, & Pater Delphini exercitum duxit in Lotharingiam, & civitatem Metensem obsedit per quinque menses, tandem recessit per compositionem. Anno Domini MCCCCXLVIII. Rex Franciae Carolus fecit ordinari in Regno suo, ut deinceps perpetuo unaquaeque Parochia haberet unum armatum, qui ut melius illi rei inservire posset constituit, ut esset liber ab omni exactione. Anno Domini MCCCCXLIX. gravia bella exorta sunt in superiori Germania, inter Principes quosdam & civitates Imperiales, & duraverunt duos annos. Novem praelia habuerunt, in octo Principes victores fuerunt, suntque tandem pacem ex sententia consecuti. Anno Domini MCCCCLII. Fredericus Rex Romam petiit ad coronam & benedictionem Imperialem percipiendum. Nam etsi longe antea electus fuerat, impediente tamen schismate usque ad Nicolaum Quintum coronari distulit. Hic cum Senas pervenisset, Leonora filia Regis Lusitaniae seu Arragonum sibi desponsata ad eum venit & Romam dehinc una perventi mirifica Romanorum pompa & laetitia suscepti sunt: XVIII. die mensis Martii Imperiali benedictione & dignitate ambo sublimati, post paucos dies urbe digressi Neapolim contenderunt. Anno Domini MCCCCLIII. quarto Kalendas Julias Constantinopolis civitas Orientis a Mahometo Turcarum Principe ultra quinquaginta dies obsessa, expugnata est, & Christiani omnes aut

aut caesi aut capti: anno Domini MCCCCLVIII. decimo Kalendas Decembris hora duodecima noctis Ladislaus Alberti Imperatoris filius, Hungariae & Boëmiae Rex, & qui diu sub tutela Frederici Caesaris fuit, aegrotare coepit, & intra XXXVI. horas extinctus est. Juvenis Princeps Decimum Nonum annum aetatis agebat. Circa haec tempora Albertus & Sigismundus Austriae Duces contra Fredericum Imperatorem fratrem suum conspirantes, illi in Vienna civitate Austriae insidias machinantur: sed praeventum a fidelibus civibus est. Anno Domini MCCCCLXI. Theodoricus de Isenberg, Archiepiscopus Moguntinus a Papa Pio deponitur, & Adolphus de Nassaw ei subrogatur, unde in Dioecesi Moguntinensi discordia maxima fuit, & multis annis duravit. Sequenti anno Adolphus Moguntiam cepit XXVII. Octobris hora quarta post medium noctis. Anno MCCCCLXIII. Fredericus Imperator obsessus est in arce Viennensi a civibus & fratre suo Alberto Austriae Duce, unde coactus fuit auxilium a Boëmiae Rege implorare, qui etiam veniens eum liberavit. Anno Domini MCCCCLXVIII. Imperator Fredericus voti solvendi gratia iterum Romam ivit, & a Paulo Papa honorificentissime susceptus est. Sollicite cum eo egit de bello Turcis inferendo, sed effectum habere non potuit, discordantibus ubique Principibus. Anno Domini MCCCCLXXII. Cometes longis crinibus & nigris per LXXX. dies apparuit in Occidentem vergens, & secuta est anno sequenti inaudita prius siccitas, deinde pestilentia & bella plurima. Anno MCCCCLXXIV. Carolus Dux Burgundiae Nussiam Coloniensis agri urbem obsedit, ad quam liberandam Fredericus Imperator cum magno exercitu descendit, & pacem cum eo fecit: duravit tamen obsidio ista per annum integrum. Anno Domini MCCCCLXXV. Jubilaeus Romae celebratus est, & eodem anno Symon puer Tridentinus a Judaeis martyrizatus. Anno sequenti in Francconia Joannes de Niclaushausen, Tympanista, maximum accursum habuit per duos menses, & ductus Herbipolim combustus est. Anno Domini MCCCCLXXVII. Carolus Burgundiae Dux ab Helvetiis & Lotharingiae Duce Renato in cruento bello occisus est prope Nansium oppidum. Eodem anno Maximilianus, Imperatoris Frederici filius sibi Mariam Caroli Ducis Burgundionum filiam in uxorem desponsavit, & ad inferiores partes cum maximo exercitu descendens, soceri Ducatum assumsit & maxima bella gessit. Eodem anno universale studium Tubingae institutum & Apostolica auctoritate confirmatum est. Tunc etiam Rhodii a Turcis graviter oppugnati sunt. Et apud Suitenses Montanos frater Nicolaus floruit. Anno Domini MCCCCLXXXII. Maria. Maximiliani uxor inpregnata ab equo in venatione lapsa est, & calce jacens percussa post undecimum diem XXVII. mensis Martii ex hac vita emigravit.

1458 Ladislaus Boëmiae & Hungariae Rex veneno infectus obiit.
Frederico Imperatori a fratribus insidiatur.

1461. Maxima discordia in Dioecesi Moguntinensi.
Moguntia capta.

1463. Fredericus obsessus Viennae.

1468. Fredericus ex voto Romam petiit.

1472. Cometes horrenda apparuit, & multa mala secuta sunt

1474. Nussia obsessa.

1475. Jubilaeus Romae celebratus.
Symon puer Tridentinus martyrizatus.
Tympanista Johannes de Niclaushausen.

1477. Dux Burgundiae occiditur.
Maximilianus Imperatoris filius uxorem ducit Mariam Caroli Ducis filiam.
Gymnasium Tubingense constitutum.
Rhodii oppugnantur.

1482. Mariae Burgundicae casus.

V. DE

DE PONTIFICIBUS.

1447. NICOLAUS QUINTUS Papa anno Domini MCCCCXLVII. pridie nonas Martii eligitur, humili loco ex familia natus, sedit annis VIII. vir certe Principatu dignissimus adeo humilis fuit, ut cum se Magistratu indignum existimaret, omnes Cardinales suppliciter oraverit, ut Ecclesiae Dei melius providerent. Verum Tarentino Cardinali eum adhortante, ut ordinationem Spiritus Sancti non impediret, victus assumsit. Hic & Graecas & Latinas literas, quae jam pene intercide-rant, rursus erexit, & doctos homines multa largitione & humanitate fovit. Pacem & favorem cum omnibus Principibus per orbem servavit. Audientiam tantam a principio die noctequе cunctis dedit, requiem sibi necessariam subtrahens, ut pene debilitatus, postea parum subterfugit. Visitatus est a Principibus & Communitatibus multis ipsi congratulantibus: quamvis Sabaudiae Duces non nihil resisterent: post duos vero annos, Frederico Caesare procurante, Amadaeus per nuncios renunciavit omni juri, quod haberet vel habere praetenderet, hac conditione, ut Cardinalis remaneret & Legatus per Germaniam & Regionem suam. Et sic Ecclesia & ab illo Schismate liberata est anno Domini MCCCCXLIX. Sequenti anno more Patrum jubilaeus celebratus est, & Romam tanta hominum multitudo venit, ut multi oppressi sint. Anno Domini MCCCCLV. XXV. Martii Nicolaus Pontifex, sive perturbatione animi post amissam Constantinopolim, sive febri & podagra, qua potissimum vexabatur, Pontificatus sui anno VIII. moritur, sumtis devote Sacramentis, & exhortatione prius ad Cardinales facta, sepelitur in Basilica Sancti Petri.

Vir dignitate dignissimus.

Literae & Graecae & Latinae rursus erectae.

Nicolaus cum omnibus pacificus fuit.

Sabaudiae Duces.

Ecclesia Schismate defungitur. 1449.

Jubilaeus celebratus. 1455.

Nicolaus P. moerore animi obiit.

1455. CALISTUS TERTIUS Papa anno Domini MCCCCLV. Romae canonice electus: prius Alphonsus Aragonus Cardinalis dicebatur, sedit annos circiter tres: vir magnae justitiae in Jure expertus fuit. In coronatione sua publicum votum fecit, quod quantum in se sit velit reprimere conatus Turcarum, & terras ab illis occupatas recuperare. Primo Pontificatus sui anno Papalem decimam ab omni Clero, & personis Ecclesiasticis postulavit in subsidium expeditionis maritimae contra Turcas. Constituit multos, qui discurrerent & praedicarent Crucem, hortarenturque plebem ad contribuendum ad tam necessarium opus. Concedens indulgentiam plenariam peccatorum contritis, & confessis semel in vita & semel in mortis articulo omnibus, & singulis eleemosynam quinque ducatorum contribuentibus. Legatos suos ad illud efficiendum ad omnes nationes misit. Anno sequenti ipse festum transfigurationis Domini celebrari instituit sub duplici festo, per totum orbem, sexto die Augusti, tot indulgentias ad id tribuens quod festum corpo-

Alphonsus Borgia.

Papalem decimam ab omni Clero postulavit.

Plenariae indulgentiae ad omnes nationes missae.

Festum transfigurationis Domini institutum.

corporis Christi haberet. Anno Domini MCCCCLVIII. Calistus ex hac luce migravit ipso die Sancti Sixti, in quo festum transfigurationis Domini instituit, anno tantum uno elapso. Vir integerrimus habitus, & magnus eleëmosynarius. Centum & xv. millia aureorum numerum reliquit, quos ad usus bellicos contra Turcas compararat. 1458.

Calistus vir integerrimus atque optimus.

PIUS SECUNDUS Papa anno Domini MCCCCLVIII. XIII. Kalendas Septembris concorditer electus, prius AEneas Picolhomineus de Senis vocabatur, Vir de Nobili, & antiqua familia natus. Amator pacis, & fidei Zelator, unde mox post coronationem verbo & opere expeditioni contra Turcas coepit intendere; die noctuque cogitavit, quo modo recuperare possit terras ac civitates Christianorum in Europa amissas. Conventum Principum Mantuam vocavit: ubi multa cum eis super hoc tractavit, & ad bellum adhortatus est: descendit deinde Anconam, ibi praestolaturus Venetorum Ducem belli socium: sed ibi febribus laborare coepit; a quibus non longe post extinctus est; anno Pontificatus sui sexto. Hic in exstremis constitutus Cardinales ad se vocavit, & constanti animo ad concordiam in eligendo adhortatus est: Ecclesiam atque suos illis commendavit, petiit sponte Sacramenta omnia. Orationes Canonicas non intermisit: Symbolum Athanasii constanter pronunciavit: mortem non exhorruit: non perturbationis aut inconstantiae signum ullum dedit; extinctus magis, quam mortuus: ut corpus suum Romam deportaretur mandavit, quod & factum, & in Basilica Sancti Petri ad altare Sancti Andreae sepultus est, cujus caput ipse nuper a Peloponeso allatum illic locaverat. Hic Catharinam Senensem Catalogo Sanctorum adscripsit. Fuit hic AEneas magnus Orator, & Poëta Laureatus, Caesaris Frederici ambasiator longo tempore. 1458.

Vir eruditissimus, eloquentissimus, prudentissimus.

Conventus Principum Mantuae habitus.

Magna Pontificis in morte constantia.

Caput S. Andreae

Catharina de Senis canonizata.

PAULUS SECUNDUS, Papa anno Domini MCCCCLXIV. pridie Kalendis Septembris eligitur, Barbo antea vocatus. Patria Venetus, Sancti Marci Praesbyter Cardinalis, sedit annis fere septem. Is ubi Pontificatum iniit statim, sive quod ita pollicitus erat, sive quod Pii Decreta & Acta oderat, omnes Abbreviatores, quos Pius in ordinem redegerat, tanquam inutiles & indoctos exautoravit, eos bonis & dignitate, non praedicta causa, spoliavit, quos potius magnis praemiis advocare debuerat. Erat quidem istud collegium resertum bonis ac doctis Viris, Divini & humani Juris peritis. Inerant Poë ae & Oratores, quos omnes Paulus tanquam inquilinos, & advenas e possessione pepulit: Canonicos Regulares, e Sancto Joanne Laterano a Calisto Pontifice pulsos, restituit. Anno Domini MCCCCLXXI. ipse Apoplexia moritur, secunda hora noctis in cubiculo, nemine vidente, cum eo die laetus etiam Consistorium habuisset, Pontificatus sui anno sexto, mense decimo, quinto Kalendas Augusti. Fuit in eo, quantum ad corpus, majestas Pontifice digna, de apparatu Pontificio curiosus erat, in colligendis pecuniis diligens, ut fere semper beneficia & Episcopatus conferret his, qui officium aliquod venale haberent, unde elici munus pos- 1464.

Magni animi & prudentiae vir.

Abbreviatores omnes exautoratos & spoliatos urbe expulit.

1471.

Apoplexia moritur.

Pauli Pontificis mores.

ſet, omnia officia ſub eo venalia erant, redimendarum quoque penſionum uſum non improbavit. Perniciis illis interdum etiam ad liberalitatem utebatur & pauperes juvabat: Aedificavit ſplendide. Hominem die dormientem aut noctu vigilantem, & attrectantem margaritas & gemmas difficile erat.

1471. SIXTUS QUARTUS, Papa anno Domini MCCCCLXXI. quinto Idus Auguſti eligitur. Fuit Ligur natione ex Savona urbe maritima, Franciſcus vocatus, ordinis Minorum generalis Miniſter, ſedit annis XIII. vir ingenio clarus, doctrina praecipuus, fuit vitae continentis, in pauperes religioſoſque munificentiſſimus, in amicos & familiares jucundus, in delinquentes clemens, Principes & Nobiles Patria extorres, praeſertim Paleologorum filios, Boſniaeque Reginam a Turca pulſos, pecuniis adjuvare non deſtitit. Rhodiorum etiam milites ac Ferdinandum Apuliae Regem, a Turcis vexatos incredibili pietate fovit. Eodem anno Bernardus Juſtinianus, Venetorum Orator, ad eum venit, dicens: Turcam Chriſtianitati abſtuliſſe intra paucos annos duo Imperia, quatuor Regna, XX. Provincias, CC. Urbes, populumque abſque numero: hortabatur ipſum ut ad reſiſtendum ſe diſponeret.

Vir ingenio clarus pius atque devotus.

Sixti Pontificis mores.

Bernardus Juſtinianus.

1482. Anno Domini MCCCCLXXXII. Sixtus Papa, Dominica in albis apud Sanctum Petrum, Bonaventuram inter Sanctos retulit. Eodem anno fames atque peſtis in Suevia fuit: vendebatur maldrum ſiliginis tribus florenis. Oma vero vini Tubingenſis tribus libris Halienſibus.

Bonaventura canonizatur.

Fames in Suevia.

1484. Anno Domini MCCCCLXXXIV. Sixtus Papa febribus decubuit, & cum pacem inter Venetos reliquoſque Potentatus audiviſſet factam, confeſtim vitam exhalavit. Habuit hic Papa Sixtus omnes Principes totius orbis adeo obſequentiſſimos, ut quos voluit depreſſerit, quos voluit exaltaverit. Suis multa beneficia contulit, eis Divina humanaque contribuens, praeter Dei & Romanae Eccleſiae dignitatem, in quem ſane errorem multi recidere: duos nepotes ſuos Leonardum & Joannem ſucceſſive urbis Praefectos conſtituit: multa bella non ex juſtitia ſed multorum perſuaſione accepit, unde poſtea multos detrectatores habuit, quamvis vir optimus fuerit. Urbem Romam decentiſſime inſtauravit, ac adornavit, ob quod Novus Urbis Conditor appellari meruit. Cum obiiſſet anno Pontificatus ſui XIII., Julianus Sancti Petri ad vincula Cardinalis, qui ex fratre nepos ejus fuit, corpus Pontificis apud Sanctum Petrum in Vaticano ſepeliri fecit.

Sixtus obiit.

Pontifex iſte amicis multa Eccleſiae tribuit.

Sixtus Novus Urbis Conditor vocatus.

DE IMPERATORIBUS.

MAXIMILIANUS Austriae Archi-dux cum patre suo Frederico Romano Imperatore anno Domini MCCCCLXXXVI. die XX. mensis Januarii Francofordiam ad Principum Electorum conventum venit, & postea XVI. die Februarii peracto Sacro in Basilica Sancti Bartholomaei, Electores ad formam Bullae ipsum in Regem Romanorum elegerunt, postea eodem anno die X. mensis Aprilis, in civitate Aquensi cum maxima pompa Corona Caroli Magni de Nornberga allata coronatus est. Vir summa virtute, rei militaris scientia insignis, in quo relucet justitiae fervor ac zelus singularis, benignitas atque clementia, cum vitae tum morum observantia, quibus Regiis virtutibus ornatus ex Regia domo nulla ex parte majorum suorum laudibus inferior evasit. Eodem anno Fredericus Imperator edictum proclamari fecit per totum Regnum de pace, per integrum decennium servanda: cunctis mandans, ut nemo alterum nec in persona nec in rebus offendat. Unde sequenti anno Sueviae civitates, & Principes quidam cum ipsis ligam, & confoederationem ineunt, quod mutuis auxiliis invicem manu tenerent, contra quoslibet illius decennalis pacis violatores, & illa Suevica confoederatio adhuc hodie durat & multis formidabilis est. Anno Domini MCCCCLXXXVII Sigismundus Austriae Dux bellum cum Venetis habuit, & eorum Ducem Severinatem interfecit. Anno eodem Maximilianus Romanorum Rex in urbe Brugk a civibus capitur, & pater ejus Fredericus descendens eum liberavit. Eodem etiam anno Matthias Hungariae Rex Viennae moritur, quam urbem annis praecedentibus cum nova civitate Frederico bello ademerat: Sed Maximilianus post obitum illius patri omnia recuperavit. Anno Domini MCCCCXCI. Maximilianus conventum Principum Nornbergae habuit, quo tempore per Legationes ei desponsatur illustrissima Britonum Ducissa, quod Carolus Franciae Rex moleste ferens, Maximiliani filiam repudians, Britonum Ducatum cum satis valida manu intravit, & Ducissam in potestatem redactam sibi copulavit. Anno Domini nonagesimo secundo Ferdinandus Hispaniae Rex Granatae Regnum e Maurorum manibus obtinuit, Mele Rege in potestatem suam redacto. Per haec etiam tempora nigra Legio, reliquiae exercitus Mathiae Regis Hungariae, extincta est, quae plurima damna longo tempore Moraviae & Austriae intulerat. Eodem anno miraculum factum est circa venerabile Sacramentum Corporis Christi in Sterneberg Magnopolensium Principum, & Judaei XXX. flammis traditi, qui illud acubus pupugerant. Sacerdos qui eis vendidit degradatus primo, candentibus pectinibus laceratus, etiam in cinerem combustus est. Item ex tota Hi-

1486.

Maximiliani virtutes & mores.

Edictum Frederici Caesaris.

Liga seu confoederatio Sueviae incoepta.

1487.

Sigismundus Dux Austriae cum Venetis litigat.

Maximilianus in Brugk captus.

1491.

Conventum Principum Nornbergae habitum.

Britonum Domina Maximiliano desponsata.

1492.

Regnum Granatae Christianis armis cessit.

Nigra Legio extincta.

Miraculum circa venerabile Sacramentum in Sterneberg factum.

Judaei omnes ex Hispania fugai
1493.
Fridericus Imperator obiit.
Turcae Croatiam devastant.
Maria Blanca Maximiliano in Insprucḣ traditur.
1495.
Conventus Principum in Wormatia.
1499.
Bellum Helveticum.
Sanguineae Cruces in vestimentis.
1501.
Basilea Suiceris confoederatur.
Itali in Germania peregrinantes.
1502.
Pestilentia in Germania.
Rustici adversus Dominos multi conspirant.
1503.
Aestas dura & sicca
Georgius Bavariae Dux obiit.
Bellum Bavaricum valde cruentum & calamitosum.
Boëmi MDC. caesi.
Rhobertus & uxor sua obierunt.

Hispania discedere compulsae sunt eodem tempore CXXIV. Judaeorum familiae, relicta ibi omni pecunia & gemmis. Anno Domini MCCCCXCIII. in vigilia nativitatis beatae Mariae Virginis, in Lintz Fredericus Tertius Romanorum Imperator obiit, & corpus ejus Viennam Austriae portatum honorificentissime ibi sepultum est. Eodem anno Turcae Croatiam invadentes maximam hominum stragem in ea fecerunt, & omnibus vastatis cum divite praeda retrò abierunt. Isto anno Maria Blanca, illustrissima virgo, filia Galeatii Mediolanensium Principis, Maximiliano Regi jam diu desponsata in Inspruck nuptiali & Christiano ritu traducitur. Anno Domini MCCCCXCV. conventus Principum Wormatiae fuit, in quo Dux Eberardus Barbatus de Wirtenberg, ex Comite Dux factus est a Rege Maximiliano. Anno Domini MCCCCXCIX. bellatum est cum Helvetiis in superiori Alemannia à Rege Maximiliano, & caesa referuntur diversis locis, & pugnis ab utrisque XX. millia pugnatorum; Sunt illis temporibus in Germania hinc inde multa horrenda monstra nata, & sanguineae Cruces in vestimentis apparuerunt. Anno Domini MDI. Boppardia a quodam Equestris ordinis Johanne de Eltz obtenta est: Item Basilea ab Imperio praevaricans, se Suiceris adjungit. Hoc tempore viri quidam ex Italia in Germaniam peregrinantes, venerunt nudipedes, & capita laneis inducti, ligneam crucem in manibus singuli portantes, jejunabant omni die, nihil comedebant praeter herbas, nihil bibebant praeter aquam: duravit ista peregrinatio septem annis, & fuerunt Clerici & Laici. Neminem a suo comitatu excludebant praeter mulieres & monachos. Anno Domini MDII. magna ubique per totam Germaniam pestilentia grassabatur, & multa millia hominum per regionem absumpsit: istam pestilentiam quidam cruces, quae antea in vestes ceciderant portentisse credunt. Eodem anno rustici quidam in dioecesi Spyrensi contra Dominos suos conspiraverunt, quibus nisi mature itum fuisset obviam, maximam cladem & perniciem toti Germaniae attulissent: Anno Domini MDIII. aestas dura & sicca fuit, per spacium enim quadrimestre integrum non pluerat: unde gramina & fructus agrorum omnes exaruerunt. Eodem anno obiit Georgius Bavariae Dux, Elisabetam unicam filiam relinquens, quam ante annos quatuor nepoti suo ex sorore Rhoberto, Philippi Palatini filio, matrimonio locatam, testamento haeredem omnium bonorum suorum constituerat: quare gravia & maxima bella postea in Bavaria & Dominio Ducis Palatini exorta sunt. Nam Albertus proximior haeres Ducatum ad se trahebat, & testamentum Georgii veluti nullum reclamavit; Maximilianus vero Romanorum Rex eos pacisci & concordare volens varios conatus habuit, quos tamen omnes Rhobertus, & pater suus Philippus Palatinus Rheni despexerunt; quare commotus Maximilianus exbannitos, & rebelles Duces ipse cum Suevica liga & multis aliis Principibus bello persecutus est, & multa damna intulit. Caesi sunt in eo bello una occisione mille sexcenti Boëmi, stipendiarii Ducis: Rhobertus vero una cum con-

conjuge, bello adhuc durante, prae animi nimia moestitia, alii veneno putant, mortem obiit, juvenis & solers Princeps. Anno Domini MDV. Maximilianus congregatis Principibus Coloniae pacem inter discordantes Principes reformavit; Deinde ipse in Getriam navigat, Ducem debellaturus. Eodem anno Cometes apparuit inter Occidentem & Septentrionem, cujus aspectus multos terruit, quia valde terribilis fuit. Anno MDVI. oppidum Muhlhusen Ducum Austriae ad Suiceros defecit. Eodem anno Reutlingen Regale oppidum incendio deturpatur. Anno Domini MDII. Nornbergenses, cum Marchione Frederico disceptantes, eum ad Ecclesiae cujusdam dedicationis diem invitant, ad quam Casimyrus Frederici filius cum valida Franconum manu venit, & ultra DCCC. occisione occidit, quamvis etiam de suis multi ceciderunt. Hoc etiam anno instituitur Gymnasium universale Francofurdiae in Marchia, & Julius Secundus confirmavit. Tunc inter Septentrionem & Orientem Cometes apparuit sub Ursa majori, & statim postea obiit Philippus, Maximiliani Imperatoris filius, Castellae & Legionis Rex. Anno Domini Maximilianus conventum Principum ad Urbem Constantiam vocavit, imploravitque auxilium pro corona Imperiali Romae ferenda, quod etiam singuli promittunt, fuissetque res ad exitum perducta, nisi Veneti itineribus omnibus praeclusis, Regem ab incoepto avertissent: propter quod Rex Venetis bellum indixit, quod fere annis decem continuis duravit non sine maxima partium ambarum caede & damno. Eodem anno Kalendis Julii in nocte tantus ventorum turbo venit, quod homines diem extremum venire putarent, tegulas de domorum tectis projecit, arbores radicitus evulsit, & longe projecit domos, & horrea plurima prostravit. Sunt etiam hoc anno vineta & segetes in Ducatu Wirtenbergensi grandine periclitata, quae tam vehemens & magna fuisse dicitur, quod fenestras & domorum tegulas comminuerit. Anno Domini MDVII. Philippus Comes Palatinus Rheni obiit tertio Kalendas Martii. Et mox postea Kalendis Aprilis Albertus Bavariae Dux. Obierunt etiam eodem anno duo Archiepiscopi & Electores Moguntinus & Coloniensis. Anno Domini MDIX. circa festum Sancti Gregorii maxima seditio, & tumultus civium Erfordiae fuit. Eodem anno in Berna Helvetiae combusti sunt quatuor Praedicatorii ordinis. Prior Lector Sub-prior & Custos conventus loci ejusdem, propter dolosas & impias quasdam machinationes, quibus probare volebant opiniones suas, quas tenent circa conceptionem immaculatissimae Virginis Mariae. Eodem anno terrae motus factus est tantus, ut in multis locis turres & aedificia corruerent. In Constantinopoli quinque turres, totum murum ad mare cum suis propugnaculis, Sanctae Sophiae templum quassavit, & multa millia hominum necavit. Tunc ex Marchia expulsi sunt omnes Judaei, XXXVIII combusti ob venerabile Sacramentum Corporis Christi, quod a Sacrilego quodam emptum multis injuriis affecerant. Anno Domini MDXI. Felix Comes de Werdenberg Andream Comitem de Soneberg venantem & inermem

1505. Conventus Principum in Colonia.
Cometa apparuit.
1506. Mulhusen oppidum Ducum Austriae ad Suiceros defecit.
Marchio Brandenburgi cum Nornbergensibus disceptavit, & multos occidit.
Gymnasium Francofurtense instituitur.
Cometes visa.
Philippus Maximiliani filius obiit.
Conventus Principum in Constantia.
Bellum Venetum incoepit.
Ventus validissimus.
Vinea & segetes calamitate protrita.
1507. Multi Principes obierunt.
1509. Seditio Erfordiae fuit inter cives maxima.
Monachi quatuor combusti.
Terrae motus maximus.
Constantinopolis omnis ruit.
Judaei ex Marchia omnes pulsi.
1511. Comes de Werdenberg Comitem de Soneberg occidit.

Constantia deficere voluit. mem armatus occidit. Eodem anno Senatus Constantiensis urbis ad Suiceros deficere volebat, sed a piscatoribus ejusdem civitatis impeditus, qui rem ad Maximilianum confestim detulerunt. Anno Domini MDXII. conventus Principum in Treveri fuit, & jussu Imperatoris Maximiliani summum altare Ecclesiae Sancti Petri apertum, in quo inventa est tunica Christi inconsutilis, cum multis aliis Sanctorum reliquiis. Illo anno circiter festum Sancti Joannis Baptistae magna seditio Spyrae inter Cives & Senatum exorta est, & vix per Caesarem sedata: tunc expugnata & destructa est in triduo arx opinione totius Germaniae fortissima & altissima a Suevica liga Hohenkraw in Hegaw: anno Domini MDXIII. tumultus & seditio inter plebem, & Senatum Coloniae Agrippinae fuit, in qua quatuor senatoriae dignitatis viri capti capite caesi sunt, & caeteri multi proscripti. Similis non diu post Wormatiae pullulare coepit, sed Senatus fuga sibi salutem nactus, apud Caesarem, & Cameram causam suam egit & obtinuit, suntque ex plebeis seditionis authores tres capite truncati. Similes seditiones & in aliis Imperii civitatibus sub illo tempore fuere, ut Hallis Sueviae, Ulmae, Ratisbonae, Nornbergae, Suinfordiae, propter gravamina & exactionationes, quae in dies magis miseris civibus imponebantur; fuit etiam tunc inter filios Alberti Ducis Bavariae de Principatu contentio, sed Caesare patruo eorum interveniente complanata est. Eodem quoque anno in Ducatu Wirtenbergensi adversus Ducem, & in Hungaria contra Regem populus plebejus se erexit, & facto agmine jam cunctis Potentatibus manifesto exitium minitabatur, & jam procedere coepit, sed ab Equestri ordine in utrisque territoriis dispersus poenas dedit. Anno Domini MDXIV. magnus accursus fuit ad fontem quendam in Bavaria non procul a sacro monte: ex illo balneabantur, qui Gallico morbo laborabant, & plurimi curabantur. Eodem anno nimium frigida hiems fuit. Anno Domini MDXV. Hallis civitas, quae dives vocatur, clara die incendio deflagravit, similiter & Waidhesen. Eodem anno in vigilia Sanctae Crucis occisi sunt a Lancеariis stipendiatis Regis Franciae in Insubria circiter XX. millia Suicerorum. Anno sedecimo Dux Wirtenbergensis Ulricus in venatione Johannem de Hutten, Equestris ordinis Franconem interfecit, & infixo in terra pugione eum ad illum cum cingulo suspendit: propter quod adversus ipsum tota fere Franconiae Nobilitas concitata, sequenti anno cum mille quingentis equis se Wembdingen locavit; homicidium tetrum ferro & flammis ultura. Adduxisset haud dubie Ducatum Wirtenbergensem in maximum discrimen, nisi Caesar Maximilianus multis minis & mandatis ipsum ad concordandum cum ea compulisset. Adjuvabatur enim Franconius equitatus ab Guilielmo Bavariae Duce, qui etiam tunc cum Wirtenbergo diffidebat propter sororem suam illius conjugem, male & inhoneste habitam, & quae ob eam causam paulo ante in Bavariam ad eum confugerat. Anno Domini MDXVI. oppidum Bibrach semi-exustum est, & eodem anno Dux Wirtenbergensis supra dictus arcem Comitum

Marginal notes:

1512. Conventus Principum in Treveri fuit. Seditio inter cives Spyrae.

1513. Seditio inter cives Coloniae.

Seditio inter cives Wormatiae.

Seditiones in multis civitatibus.

Seditio inter fratres Duces Bavariae. Seditiones inter Principes & subditos.

1514. Fons in Bavaria miraculosus. Hiems frigida.

1515. Hallis deflagrat. Helvetii plurimi a Rege Franciae occisi.

1516. Johannes de Hutten a Duce Wirtenbergensi interficitur. Franconiae omnis Nobilitas in armis fuit.

Guilielmus Dux Bavariae cum Duce de Wirtenberg diffidet.

1516. Bibrach deflagraivt.

tum de Helfenstein Hiltenberg succendit. Anno sequenti idem Dux Diethero Speth, Equiti Nobili, quod uxorem ei abduxerat & maledictis adhuc prosequeretur, quatuor arces & pagos duos combussit: fuit annus iste valde calamitosus vineae ubique locorum jam florenti.

DE PONTIFICIBUS.

INNOCENTIUS VIII. Papa anno Domini MCCCCLXXXIV. Idibus Augusti creatur. patria Genuënsis, familia mediocri, Joannes Baptista antea vocatus, Cardinalis Praesbyter Sanctae Ceciliae, sedit annis VIII. Hic propter humilitatem cum caeteris patribus pauperior esset, Pontificum munus obire meruit: fuit illi Pontificatus per duos annos plurimum inquietus, propter plurima sibi exsurgentia bella, pacem tamen deinde cum omnibus fecit: deinde anno Domini MCCCCXC. Principes Romam vocavit, cum quibus de expeditione contra Turcas tractavit. Raimundum Archi-diaconum in Germaniam cum plenariis indulgentiis misit ad sumptus colligendum, & auxilium contra Ecclesiae rebelles. Fuit Innocentius constantissimus justitiae cultor, & pacis amantissimus, sedatis ingruentibus bellis peculiares Ecclesiae populos quam felicissimos exoptavit. Multa circa Pontificiam dignitatem & Rempublicam Christianam ordinare proposuit, sed morte praeventus consumare non potuit. Exultavit vehementer, cum ad majores dignitates Viros efferret Eruditos & probos. Fuit erga pauperes misericors, afflictorum non minus consolator, quam Principum susceptor liberalis; Dei ac Sanctorum piissimus venerator. Sanctum Leopoldum Austriae Ducem inter divos retulit: Pontificale Palatium sumtuoso opere exornavit, morbos aliquot patientissime pertulit, adveniente tandem hora mortis, sumptis Sacramentis, intrepide Deo spiritum dedit, anno Pontificatus sui VIII. anno Domini MCCCCXCII. vicesima sexta Julii.

1484. Justitiae ac pacis cultor constantissimus. 1490. Conventus multorum Principum Romae habitus. Raimundus in Germaniam missus. Innocentii mores. Leopoldus Austriae Dux inter Sanctos relatus. 1492.

ALEXANDER SEXTUS Papa anno Domini MCCCCXCII. creatus est, & ad Sanctum Johannem Lateranensem XXVI. die Augusti coronatus; natione Hispanus fuit ex Valentia urbe, Rodoricus antea nominatus, Episcopus Portuensis: vir magni animi magnaeque prudentiae; in adolescentia Bononiae studuit. Calistus Tertius adolescentem adhuc inter reverendissimos Cardinales constituit, unde non multo post Vice-cancellarii locum sortitus aemulator avunculi sui Calisti per omnia factus, nationem, patriam familiamque illustrans. Sedit annos XI., quo anno Granatae Regnum, in Betica ulterioris Hispaniae, Ferdinandus Sarracenis abstulit & Christianis recuperavit. Anno Domini MCCCCXCVIII.

1492. Vir magni animi magnaeque prudentiae. Granatae Regnum. 1498.

Frater Praedicatorii ordinis combustus. MCCCCXCVIII. Florentiae combustus est frater Hieronymus de Ferraria, Praedicatorii ordinis propter haereticam pravitatem. Anno Domini MD. Jubilaeus Romae celebratus est per integrum annum, & ivit illuc

1500. Jubilaeus Romae celebratur. multitudo peregrinorum maxima. Anno Domini MDI. Alexander Raimundum Cardinalem Sanctae Mariae novae Episcopum Gyrcensem

1501. Cardinalis Raimundus. Indulgentiae plenariae in Germaniam missae. cum gratia, & indulgentiis Jubilaei in Germaniam, Daniam, Sueciam & Prussiam Legatum a Latere misit, qui per Tridentinam vallem Germaniam ingressus ad Caesarem Maximilianum in Insspruck venit: deinde Nornberg & postea ad Coloniam Agrippinam descendit. Anno Domini MDIII. XVIII. die mensis Augusti Alexander Papa Romae mo-

1503. Alexander toxico obiit. ritur anno Pontificatus sui XI. ad Sanctum Petrum solenni pompa sepultus: dicitur venenato obiisse poculo, quod Valentinus filius ejus Cardinali cuidam paraverat, quem voluit insidiose necare: verum errore ministri factum, ut Papa intoxicatum ebibisset poculum; unde turgentibus visceribus mortem obierit.

1503. PIUS TERTIUS Papa, unanimi Cardinalium electione electus anno Domini MDIII. prius tituli Sancti Eustachii Diaconus Cardinalis: Senensis patria fuit, nominatus Franciscus Picolhominaeus; sedit diebus tantum XVI. vir certe ingenio clarus, doctus & longa rerum experientia venerandus, Pii Secundi ex Laodomia sorore nepos. Hic Pontificatum ut mox adeptus fuit, coepit in Gallos conspirare, graviter ferens, eorum tyrannidem in Apulia, Longobardia & Italia adeo praevaluisse: tentasset praevenire eorum motus, nisi morte sublatus fuisset.

Vir ingenio clarus, doctus & expertus. Gallorum tyrannus.

1503. Vir strenuus & exercitatus. JULIUS SECUNDUS Papa, anno Domini MDIII. patrum suffragio electus est, vocabatur ante Julianus Cardinalis Praesbyter Sancti Petri ad vincula, Ostiensis Episcopus, sedit annis X. Vir strenuus & longo tempore in Curiae negotiis exercitatus. Hic Ecclesiam Sancti

Concilium Lateranum. Petri Romae sumtuosissime construere, ac generale apud Lateranum Concilium celebrare coepit: bella quoque contra Venetos & alios Ec-

1509. clesiae hostes plurima gessit. Anno Domini MDIX. Ravennam & totam pene Romaniolam e Venetorum manibus eripuit, & Roma-

Clerus Wormatiensis receptus. nae Ecclesiae restituit. Eodem anno Clerus Wormatiensis, qui jam decem annis exulaverat ratione privationis Ecclesiasticae libertatis, concordatus intra urbem receptus est. Anno Domini MDX. fratres militiae

1510. Teutonicorum, qui Prussiam & Livoniam inhabitant, in subsidium contra frequentes Tartarorum & Ruthenorum incursiones Cruciatam

Indulgentiae plenariae a Dominis Teutonicis circumferuntur. cum indulgentiis Jubilaei praedicant per diversas Germaniae dioeceses, & non parvam pecuniam colligunt. Anno Domini MDXII. octavo Kalendas Augusti sum ego, MICHAEL EYSENHARD, beneficio a Dominis de Confutatu provisus, Rotenburgae super Tuberum. An-

1511. Ecclesia ad Schisma spectabat. no Domini MDXI. parum abfuit a Schismate Romana Ecclesia, ex inobedientia Bernardini Cardinalis Sanctae Crucis: sed Julii prudentia

Concilium Lateranense. suppressum est, qui conciliabulum, quod ille cum complicibus suis Pisis habebat, dissipavit, & aliud apud Lateranum Romae in sequen-

tem

tem annum celebrandum indixit. Anno Domini MDXIII. vicesima prima die mensis Februarii Romae Julius moritur, Pontificatus sui anno x. durante Concilio, per eum in Laterano inchoato. Hic depositis contra Venetos armis, reversus in Urbem sumtuosissimas apud Sanctum Petrum incoepit structuras, sed morte praeventus non consumavit. 1513. Pontifex obiit.

LEO UNDECIMUS Papa, defuncto Julio canonice electus est. Anno Domini MDXIII quarta die mensis Martii, Florentinus patria, vocatus Joannes de Medicis, Cardinalis Diaconus Sanctae Mariae. Hic statim altera die post electionem suam in Missa populum benedixit. LEO DECIMUS inscribitur, quod tertius, qui id nomen arripuit, Pontificum Catalogo adscriptus non sit, propter violentam sui intrusionem. Maxima & gravissima bella cum Ducibus Urbini & Ferrariensi anno Domini MDXVII. habuit, sed semper victus succubuit. Eodem anno in Vere tres soles clare splendentes in coelo a multis conspecti sunt. Tam validus & horridus ventus in aestate fuit, ut in Rhetia (id est, Jin Riesz) tantum plusquam mille tecta dejecta referantur. Ecclesiam Parochialem veterem extra muros in Nortlingen omnino prostravit, arbores longe lateque radicitus evulsit. Tunc etiam grando cecidit, quo non modo segetes in terram usque protritae sunt, sed pecudes etiam in pascuis exanimatae, fenestrarum vitra in plurimis locis comminuta: Ovorum Gallinorum magnitudine ejus lapides fuisse referunt. Henricus Episcopus Augustensis eadem aestate vita defunctus est, de familia Lichtenaw fuit. In mense Augusto conventus Principum Imperii Moguntiae fuit, in quo Moguntinensis, Treverensis & Coloniënsis Archiëpiscopi, Sacri Romani Imperii Archi-cancellarii, una (ni fallor) cum Comite Palatino Rheni foedus inierunt, quod Rhenum socialibus armis ab hostium incursionibus tutum conservare velint.

1513. Bella. Tres soles apparuerunt. Ventus validissimus. Grando maximus. Conventus Principum Moguntiae.

DEO GLORIA.

DANIELIS GEORGII MORHOFFII

DISSERTATIO

DE

Hiſtoria ejusque Scriptoribus.

Quandoquidem hiſtoriarum cognitio lata eſt atque diffuſa, operae pretium facturi nobis videmur, ſi omnem illam doctrinam ad certos quosdam fontes deductam proponamus, quam & in hiſtoriis legendis & ſcribendis, atque adeo univerſa doctrina civili rectius rem aggrediamur. Eſto itaque

CAPUT I.

De Hiſtoria Univerſali.

Hiſtoriae univerſalis ſcriptionem, opus arduum atque difficile, e veteribus etſi pauci ſunt, qui tentarunt, tamen non perfecerunt, quod vix unius hominis & aetatis eſt. Eſt vero Hiſtoriae Univerſalis nomine non intelligenda diffuſa illa omnium rerum, ſcientiarum, factorum enarratio, quam ſuaſit *Chriſtophorus Milaeus Lib. V. de ſcribenda univerſitatis rerum hiſtoria*. Eſt enim ſeparanda hiſtoria rerum in Societate Civili geſtarum ab hiſtoria ſpeciali hujus vel illius artis aut ſcientiae: ita enim Chaos quoddam formabimus ex diplomatibus & hiſtoria mixtum. *Milaeus* itidem ſub titulis 5. (1.) *de Natura* (2.) *de Prudentia.* (3.) *de Principatu.* (4.) *Sapientia.* (5.) *Literatura*, omnem in univerſum doctrinam & doctrinae hiſtoriam comprehendere laborat; ſed irrito, ut ego quidem arbitror, conatu. Longe enim harum partium diffuſior eſt hiſtoria, quam ut modico aliquo libro comprehendi poſſit, multarum rerum cognitio manca atque mutila erit. Rectius itaque fit, ſi ad ſuas diſciplinas hiſtoria illa rejiciatur, quarum partem conſtituit, cum ad ſpeciales objectorum ſuorum tractationes aptae deſcendant. Eſt ergo *Hiſtoria Univerſalis*, communi ſenſu accepta, *quae agit de actionibus in Societate Civili omnium regnorum, ac rerumpublicarum ab orbis initio ad noſtra usque tempora.* Hanc in animo habuit *Polybius* Hiſtoricus Πολιτικώτατος, qui ipſe rebus gerendis admotus perſpicaciſſimi judicii fuit, ut patet ex initio *operis ſui hiſtorici*, quod eleganti Commentario illuſtratum dedit *Iſaacus Caſaubonus*, ac nuper ſingulari Diſſertatione de utilitate ex Hiſtoriae Univerſalis Compoſitione capienda ornavit *Boeclerus*, qua non pauca com-

 pre-

prehenduntur, quae ad rationes componendi historiam universalem spectant. Illi tamen *Diodorus Siculus* in multis praeferendus videtur, ut patet ex ipsius scriptis superstitibus, quæ si extarent integra, magnum sane haberemus antiquitatis & doctrinae civilis thesaurum, cui operi ille 30. annos impendit. *Apollodori Bibliotheca*, ut ex *Vossio* discimus, hujus quoque argumenti est, sed industria & judicio auctor ille longe minor est prioribus, ut ex tribus illis libris, qui supersunt, facile judicare est. Inter Latinos *Trogus Pompejus* hanc etiam telam texuit, & iniquitate *Justini* factum, ut libri illius tantum epitomen habeamus. E Christianis scriptoribus etiam non paucos habemus, qui historiae universalis consilium susceperunt, ut qui hac via expeditius procederent quam Ethnici, Codicem enim Sacrum habuerunt, cujus notitia non erat illis, sed plurima vel omnia illorum scriptorum non praestant, quod promittunt, ac multa etiam ex illis periere successu temporis: multos habuimus monachos, homines invenustos & inscitos, quorum diligentiam non est ut magnopere laudemus; plane enim ab omnibus subsidiis non satis instructi, ad tam arduum opus processere. Strictiorem eorum censuram vid. apud *Vossium* & *Boeclerum*. Usi sunt singuli fere singulari methodo, ac paene de omnibus universalis historiae Scriptoribus illud Horatianum verum est:

Amphora caepit institui, currente rota,
vix urceus exiit.

Quamquam enim titulus saepe universale quid mentitur, res omnis tandem in specialem gentis unius historiam exit, & ne illam quidem satis laudabilem, quibus interdum laciniae quaedam e caeterarum gentium historiis inseruntur. Laudat e recentioribus qui Compendia scripsere (praeter illa enim nihil amplius in historia universali habetur) *Boeclerus Chronicon*, quod vulgo *Carionis* vocatur, a *Melanchthone* compositum, a *Peucero* continuatum; cui subjungit *Gothofredi historiam universalem*. *Cluverus* ad historiam Ecclesiasticam magis aptavit historiam universalem. *Reineccii Syntagma historiae universalis* facile aliorum labores vinceret, si ad finem perducere potuisset. *Micraelii Syntagma historiae universalis* eleganti methodo conscriptum est: sed multi sunt in illo libro errores, tam chronologici, quam etiam rerum ipsarum. E Compendiis Historiae universalis *Bunonis idea* laudari meretur, quae succincta brevitate, quoad ejus fieri potuit, res plurimas complectitur. *Sleidanus* cum *Meibomii* notis pauca, praestantiora tamen complexus est. Sed ad universam historiarum cognitionem isti auctores nihil conferunt, nisi quod brevis quædam ac generalissima temporum, personarum, ac rerum ex illis cognitio habeatur. Nam quod Polybius intendebat, vinculum, id & nexum rerum in omnibus Rebuspublicis gestis, qui ex occulta consiliorum, artium, foederum intelligentia provenit, tamen abest, ut ex illis quis addiscat, ut nihil eorum scriptores illi assequantur, nec assecutus in universum est ipse Polybius, quanquam ingenio & judicio rerum ac θησαυρῶν πολιτικῶν instructissimus: rei enim difficultate & amplitudine superatus, tantum scriptis exsecutus est, quantum assequi diligentia sua potuit. Quare cum historiae universalis opus inter difficillima ac pene ἀδύνατα censerent viri eruditi, historias universales certorum temporum scribere maluerunt, quam tam vasto Oceano se committere, quod fecerunt numero, tempore lau-

laudabili industria non pauci tam Latina, quam exoticis linguis. *Ludovicus* quidem *Guicciardinus* sui temporis historiam universalem conscripsit, ea tamen ratione, ut rebus bellicis praecipuum locum daret, exterarum tantum assumeret, quantum sine veritatis detrimento ac secure scribere posset. *Julius Caesar Bulengerus historiam* itidem *universalem* suorum temporum scripsit. Eundem laborem suscepit *Natalis Comes* Venetus in *historia temporis sui universali* ab anno 1546. usque ad 1581. scribenda, sed fuit ille vir plane ad laborem hunc ab ingenio non compositus, judicio quoque debiliori, adeo, ut non satis inter res narratas discerneret: ac volupe est sane intueri *Historiam Thuani*, cum in tempora illa, quae Natalis tractavit, incidit, adeo hic verum est *Terentianum* illud: *Dii boni, homo homini quid praestat.* Nam adeo accurata rerum intelligentia, adeo exquisito & πραγματικῷ judicio versatur in iis Thuanus, omnium recentiorum Historicorum sine controversia Princeps, vir doctus, ingenuus, eloquens, in palaestra Politica praeterea exercitatissimus, adeoque diligens, ut nescio pene, quid ille memoratu dignum in historia tam Gallica quam extera praetermiserit, longo certe post se intervallo reliquit *Grammondum.* Ad Historiam Universalem Scriptores pertinere mihi videntur illi, qui nunc *Mercurios temporum* scribunt. Sed tamen abest, ut illos scriptores salutare queamus, ut potius inter fabularum aut narrationum Scriptores narrandi sint. Nihil enim in illis eximium est, nisi quod e literis privatis ambigua fide, nullo judicio excerpserunt, atque in rudem indigestamque molem congesserunt. Quare ridet illos *Victorius Syrius*, Scriptor Italicus ingeniosissimus & judiciosissimus, qui gentis suae lingua *Mercurium suorum temporum* scripsit, in cujus Praefatione exagitat atque ad examen vocat caeteros Mercuriorum Scriptorculos.

C A P U T II.

De iis,

Qui Historicorum Catalogos scripserunt.

Post Historiae Universalis Scriptores narratos recensebimus eos, qui Bibliothecas Historicorum scripserunt, qui subjungi Historiae Universalis Scriptoribus debent, cum ex specialiorum Historicorum notitia ipsa universalis historia dependeat. Quod quidem in omnibus disciplinis fecit *Labbaeus*, ita & in Historicis notitia ejus habenda est. De Scriptoribus historicis tam Graecis quam Latinis veteribus ante *Vossium* quidem aliqui, sed non magni momenti scripsere, quos enarratos vide tam apud ipsum *Vossium*, quam apud *Labbaeum* in *Bibliotheca Bibliothecarum. Vossii* vero liber magnae lectionis opus est, summo judicio atque industria conscriptum, quo carere non potest, qui in historia paululum ultra quatuor Monarchias sapere vult. Nam de omnibus accurate judicat tum quod historiam ipsam, tum quod dictionem atque alias ἰδιώματα spectat. Praetermissa tamen ab illo non pauca sunt,

quae supplevit *Bernhardus Mallinkrot* in *Paralipomenis* suis *de Historicis Graecis*; sed illa in altera editione Vossiana pleraque notavit ipse Vossius. quae ad Mallinkrotii manus non pervenere, antequam supplementum suum publicavit: Idem quoque in fine Paralipomenorum suorum habere se paratas annotationes memorat ad Historicos Graecos a Vossio enarratos, sed quae hactenus, quod sciam, non sunt editae. Est & alius quidam *Ludovicus Jacobus a S. Carolo*, qui Paralipomena quaedam ad Vossium sub manu habuit teste *Labbaeo* in *Bibliotheca Bibliothecarum p.* 118. sed vereor, ne & una cum reliquis ejus viri scriptis interciderint. Scripsit & nuper quoddam supplementum *Haller Vordius*, Regiomontanus, sed cum illud non legerim, de eo ferre judicium nequeo. Romanorum historiarum Scriptores cum delectu illorum atque judicio plures commemoravit *Bonifacius* ab urbe condita ad Caroli M. aetatem, *Carolus Sigonius*, *Philippus Glasserus*, *Dagoreus Whear*, & *Stephanus Praetorius*. Non contemnendus etiam est labor *Mathaei Vaigerii* in praecipuis Historicis Graecis & Latinis, de quibus singularem librum conscripsit. Nec praetereundi hic sunt Catalogorum accuratiorum Scriptores, de Bibliothecis singularibus, quorum in cognitione non exigua latet rei literariae utilitas. Non autem intelligo hic quosvis officinales, sed a viris scientissimis collectos. In Bibliothecae historicae Catalogis referendus præ caeteris est *Bibliothecae Cordesianae Catalogus*, quae pene solis Scriptoribus Historicis constat: laudari autem adeo meretur Catalogus, qui adornatus sit a *Naudaeo*, Cardinalis Mazarini Bibliothecario, viro rei Bibliothecariae peritissimo, tum quod eleganti ordine digestus sit ab ipso Bibliothecae hujus possessore, ac solet ille in Gallia ipsa esse rarissimus. *Pauli Bolduani Bibliotheca Historica* sane locupletissima est. Nam & Historicos & Geographos & Vitarum & Genealogiarum Scriptores diligenter recenset, quem librum priori jungendum arbitror, atque ita habebimus Nomenclatores Historicos absolutissimos. Nam quae in *Gesneri Pandectis* & *Israëlis Spachii Nomenclatore Philosophico* sunt praetermissa, in *Bolduani* & *Cordesianae* Bibliothecae Catalogo omnia reperiuntur.

C A P U T III.

De Subsidiis, quae Philosophia Moralis ad historiam tum legendam, tum scribendam conferat.

Quandoquidem historicus interiora Civilis Prudentiae nosse debet, illa vero a Philosophia Morali in multis dependeat, cum scilicet judicare Historicus debeat de actionibus, earumque causis ac fine, quorum cognitio e Philosophiae Moralis praeceptis petenda est; videbimus, qua in re subsidio illa esse possit. Nec subsistemus hic tantum in Ethica, quae in exemplis virtutum ac vitiorum consistit, cujus differentiam ab Aristotelica & dogmatica illa peculiari Dissertatione tradidit *Henricus Stephanus*, sed altius illa repetemus. Nam cum actiones civiles a Characteribus passionum magna parte ducantur, magnam hac in re lucem nobis afferet ista doctrina. Ac

Ac in genere *Theophrastus* Philosophus Peripateticus, in *Characteribus* suis, aureo libro, doctrinae Ethicae in Politicis ac Historicis usum abunde ostendit, qui liber quantum conferat ad secretiorem sapientiae civilis usum dici vix potest.

Commendandi quoque hic sunt rei Physiognomicae Scriptores, non tam illi, qui ad ineptas planetarias abeunt, quam qui ex actionibus hominum naturalibus externis de interioribus animi propensionibus judicant. Quo in argumento si ab Aristotele discesseris, e recentioribus *Scipio Claramontius* libro *de conjectandis cujusque hominis moribus & latitantibus animi affectibus*, præ caeteris laudandus est. Recudi illum fecit Helmstadii *Hermannus Conringius* cum Præfatione sua, qua eleganter disserit de utilitate hujus studii in doctrina civili. Jungi illi possunt alii, ut *Camillus Balbus* in libro *de propensionibus hominum*, *Bononiae* 1657. impresso, qui ad Physiognomica artis Commentarium scripsit, tum & Dominus *de la Chambre* in libris Gallice scriptis *de Characteribus passionum animi* & *de arte cognoscendi homines*. Ad populos integros si veniamus, illorum propensiones atque inclinationes elegantissimo libro descripsit *Barclajus* in *Icone animorum*. Ex illis, si qui praeterea nobis domi nascuntur, vel ex peregrinatione & observationibus notantur, primae quasi ideae resultant habitus illius, quo judicium de populorum actionibus earumque inventis formamus. Atque hic nosse oportet non modo tantum confuso sed distinctissimo quarumcunque in Societate Civili personarum, qui Reipublicae gerendae praesunt, animorum propensiones, e quibus longe felicius judicatur de eventibus, quam ex axiomatibus politicis regni hujus vel illius. Nam quanquam Politicus vere ac cum ratione conjiciat, quae ex axiomatibus istis deducuntur, ac ipsa forte constitutio Reipublicae istius tale quid sibi velit, evenit tamen saepe, ut inexpectati eventus sequantur, rerumque momenta, alio trahentibus Magistratuum inclinationibus, ac studiis privatis. Plus itaque hic interdum valet judicium ex opinione, quam ex veritate. Fiet hinc, ut rectius judicent, qui ex hominum animis Rempublicam quasi Rempublicam ex se ipsa aestimant. Quare commendatissimum sit tam politico quam historico studio, quod praecipue e conversatione cum gentibus peregrinis discitur, vel potius cum illis, qui in gente illa negotia publica gerunt. Hinc inter praecipua Legatorum officia est, non tam Reipublicae leges & commoda; quam Magistratuum animos explorare, quod factum etiam videmus in Relationibus illis de Rerumpublicarum statibus, quas Legati sagaciores publicarunt, quasque ego omnibus descriptionibus aliis praeferendas puto, etiam a domesticis scriptis, qui in suis rebus non adeo lyncei sunt saepe, ac in illis peregrini, omnia & minima aucupantes, saepe etiam metu scribendi arcana deterrentur. Illustre talis laboris exemplum habemus in relatione cujusdam Legati Veneti, de notabili Aula Romana, quam ex Italico sermone in Latinum convertit quidam, qui se *Achatum securum* nominat. In ea relatione primum auctor ab ipso Pontifice Alexandro VII. incipit, caeterosque Cardinales omnes ad examen vocat, eorum vitia, virtutes, propensiones, simultates, commoda mutua tam erga se, quam erga alios Reges describit. E quibus omnibus in unum collectis judicium format, quid sua Respublica ab hoc vel illo sperare habeat, quid metuere debeat, quae consilia in hunc vel illum eventum formanda. Haec velim diligenter aliquis legat, & videbit, quam sit ex usu Historici & Politici, ita homi-

num animos exploraſſe. Inter veteres Hiſtoricos lucem in illa doctrina nobis praefert *Vellejus*, qui ubique caracteres illuſtrium virorum in Republica Romana narrationibus ipſis miſcet, de quo *Boeclerum* conſulas velim in Diſſertatione *de Caracteribus Vellejanis.* Inter Recentiores exemplo ſuo nobis praeit *Thuanus*, egregius actionum ex ingeniis aeſtimator. De hoc negotio velim legas, quae Boeclerus ex Epiſtola magni cujusdam Politici *p.* 37. *Diſſertationis* laudatae excerpſit. Prudentia illa explorandi animos, uti diximus, potiſſimum conſiſtit in converſatione cum viris illuſtribus rerum gerendarum peritis, ac ipſam Rempublicam adminiſtrantibus.

Converſationes illae regulas capiunt primum generales ex doctrina morali, quas ſubminiſtrat virtutum homileticarum, ut vocantur, conſideratio. Specialia ipſa conſiſtunt vel in ipſa converſandi prudentia, e regulis iſtis generalibus acquiſita, aut ſpecialibus quibuſdam obſervationibus inſtituta, vel in exterioribus quibuſdam ritibus nonnullis & ceremoniis cuique genti vernaculis conſiſtunt.

Et ſpecialis quidem iſta prudentia vehementer valeat, ſecundum hominum propenſiones, ſecundum nationum mores: quae omnia perſpectiſſima debent eſſe illi, qui cum exteris converſabitur. Nationum mores tum ex principiis generalibus, tum ex ſpecialibus illis cognoſci poſſunt, ſuntque multi in Gallico, Hiſpanico, Italico idiomate libri de hoc argumento ſcripti, quos recenſet *Naudaeus* in *Bibliographia ſua Politica.* Eſt & ex Italico ſermone nuper quidam liber in Latinam linguam converſus, cui titulus; *Converſatio ſeu Praecepta, in quibus ratio tractandi negotia & inter homines verſandi modus* traditur. Cum vero converſatio etiam varia ſit pro ſocietatibus, in quibus vivunt homines, proque ordinibus (alia enim converſatio eſt in aula, alia inter cives) ſuis quibuſdam modis & rationibus in ſingulis converſatio inſtituenda eſt. Quorſum ſpectant elegantes quidam libelli de argumento illo conſcripti, quales ſunt; *Inſtitutio Aulica a Joachimo Paſtorio* edita, qui e Gallica lingua librum vertit, tum & Inſtitutio viri privati, viri publici, viri aulici, e Gallica lingua, Italica & Hiſpanica in Latinam converſa, quae uno Volumine Francofurti edita ſunt. Quod ad ritus ſpectat & ceremonias, plus interdum in illis ſitum eſt, quam in accuratiore rei civilis cognitione; illorum enim ſedulus obſervator eſſe debet, qui res civiles geret, ſuaſerimque ego, ut eorum quis locos communes aliquos congerat, non e libris, ſed ex ſua obſervatione notatos, qua methodo rerum civilium peritiſſimos uſos ſcio. Utilitatem hujus rei Boeclerus propoſuit ſingulari *Diſſertatione de elegantia moris civilis & aulici.* Gallicos ritus, qui pene ſingulis annis variant, nuper aliquis ſingulari quodam libro deſcripſit, qui & in Germanicum converſus eſt. Qui opus rituum generale aliquod confecerit, hactenus nemo eſt, niſi quod viderim *Wagenſeilii*, Profeſſoris Altorfini, opuſculum aliquod Manuſcriptum privatis Lectionibus tractatum. Quod quidem omnibus numeris abſolutum non eſt, magno interim ſubſidio eſſe poteſt non peregrinaturis tantum, ſed & cum viris illuſtribus converſaturis, Legatis quoque, quibus maxime iſtae minutiae obſervandae.

C A-

C A P U T IV.

De Subsidiis, quae confert ad Historiam Politica.

Philosophiam Moralem excipit Doctrina rerum civilium, quae ita est necessaria ad historiam vel legendam, vel scribendam, ut sine hujus adjumento historiam legere aut scribere sit sine alis volare, sine pedibus ingredi. Praesupponit itaque historia Politicam.

I. *Dogmaticam*, quae solo *Aristotele* discenda est, viro divini in rebus gerendis judicii, unde omnem suam prudentiam hausit Orbis domitor Alexander. Qui ante Aristotelem quicquam scribere de sapientia civili conati sunt, confuse omnia agunt, & respublicas quasdam sibi fingunt, potius speculando, quam ut, quomodo Respublicae illae dari possint, praecepta tradant. De Interpretibus Aristotelis videatur *Conringius* in peculiari libro sive *introductione in Politicam Aristotelis*. Inter Interpretes recentiores *Piccartus* optimus habetur; *Heinsiique* in Aristotelis Politicam paraphrasis ad intelligentiam textus prae caeteris commendari debet. Institutiones Politicas qui scripserit perfectas omnibusque numeris absolutas, nemo est, nisi quis *Arnisaei Doctrinam Politicam* isto salutare velit titulo. Sed multa etiam illo libro desunt, quae notavit *Conringius* in capite ultimo libri sui de Civili Prudentia. *Kippingii*, qui isthoc titulo prodierunt, ejus mensuram non implent. Sunt enim potius Loci quidam Communes Politici, quam ipsa doctrina politica, justa quadam methodo, practicis disciplinis conveniente, extructa atque elaborata. Inter compendia *Boxbornii institutio Politica* caeteris praeferenda videtur, ac praetulit etiam *Conringius*, qui tamen & *Cellarium* non improbat. Mihi hic placeat sequi solum Aristotelem, & quidem methodo vulgari didactica, quam, ut instituit *Golius* per Erotemata, ita vestigia Aristotelis in omnibus sequitur, quae si quis probe cognoverit, non opus est multum de methodo dispicere. Qui diversa ab Aristotele methodo incedunt, vel ratione ordinis tantum, vel ratione principiorum differunt. *Bodinus*, quem ubique magnum atque acutum Politicum crepat Naudaeus, non habet, quod triumphet prae Aristotele. Minutiae enim sunt & λεπτολογίαι, in quibus admodum discrepat, nisi quod civilem doctrinam multum ex historia illustret. *Tholosanus* prolixior in rebus non necessariis est, ac inter Locorum Communium Scriptores potius numerandus, quam inter illos, qui justa methodo doctrinam civilem tractarunt. *Hobbesius* lib. *de Cive* a se scriptis, de se ipse inepte gloriatur, neminem quicquam Politicae rei ante se demonstrasse, quae hominis istius superbia ab ipsorum dogmatum suorum stultitia non est aliena: neminem ante eum ita delirasse puto, quanquam nunc non pauci sint, qui cum isto adeo flagitiose sapere volunt, nemini tamen bono unquam absurdas suas probavit sententias, quarum princeps est, natura inter homines non societatem, sed discordiam esse institutam, vel ut ipse loquitur, singulorum in singulos bellum. Pertinet huc II.) Politica *Axiomatica*, quae eo magis historico prodest, quia collecta est ex ipsis historiarum Scriptoribus. Non pauci illorum sunt, sed non pari omnes ingenio atque judicio in hoc argumento versantur. Neque enim ita paedagogico more tractare volo, sed tali, qui ex ipsis doctrinae civilis penetralibus effluit. Quare nec dogmati-

ci

ci tantum Politici ad hunc laborem cum fructu instituendum sufficiunt, sed tales, quibus ex ipsa actionum civilium luce nascitur ista experientia. Magnum enim discrimen est inter Politicum theoreticum, ut ita loquar, quam qui actione ipsa prudentiam civilem exercet. Ac quanquam ex historiarum lectione ultra dogmaticae Politicae indolem amplius quid sapiat, non judicii practici vis ita firmatur, quam si quis in rem ipsam venerit, atque ad negotiorum civilium tractationem communibus istis axiomatibus instructus accesserit. Inter tales Politicos Axiomaticos omnibus palmam praeripuit *Christophorus Forstnerus*, vir ipse Πολιτικώτατος ad res gerendas adhibitus: Is in luculentis suis *Commentariis super Tacitum* demonstravit, quam sit historiae ac Polititices intima societas. Nam ex actionibus enarratis ita communia deducit axiomata, ut semper e ratione circumstantiarum examinet, semper notet, in quo deficiant, in quo procedant, quae continuo illustrat Parallelismo historiarum recentiorum, praecipue Italicarum. Nam prae caeteris gentibus Itali doctrinam civilem altius perscrutantur, atque in ipsis negotiorum momentis adhibent. Post illum *Scipioni Amirato* locum concedimus, qui in Italica primum lingua *Dissertationes in Tacitum* edidit, in Latinam postea linguam conversas, *Hannibal Scotus* ac alii axiomatum Scriptores, ut sunt plurimi Italica, Gallica, Hispanica lingua scripti, ad illorum judicium non accedunt, atque inter communes Communium Locorum Scriptores tantum referendi. Praeferendae tamen illis *Boecleri Dissertationes ad Tacitum & Suetonium*, quibus ostendit vir extra negotia civilia constitutus, quid in ipsis negotiis civilibus judicandis valeret. Non praetereundus etiam hic *Zevecotius*, qui in *Dissertationibus in Suetonii Julium Caesarem, ac in Suetonium* ipsum interiorem civilem prudentiam ex actionibus civilibus emanentem investigat. Qui axiomata alias scripserunt, ut *Georgius Richterus*, *Chokierius* aliique, rejici ad Communium Locorum Scriptores debent, quales colligere quilibet industria sua potest. *Chokierius* alicujus pretii est: *Richterus* cumulat multa, citra tamen judicii accuratioris censuram. Medullam talis axiomaticae Politicae, praesertim quae ad Principatum spectant, suppeditavit nobis *Lipsius*, in quem utilissimas notas dedit *Berneggerus* & *Johannes Ludovicus Praschius*, de quo opere Lipsii Boeclerus peculiari Dissertatione legendus est. Ex historia Italica Italus aliquis opus illud illustravit, additis perpetuo exemplis, qui magno esse usui potest tum ad historiam legendam, tum ad ipsam civilem prudentiam acquirendam. Spectant huc etiam exemplorum & monitorum Politicorum Scriptores, inter quos praecipuus est *Lipsius* singulari *monitorum Politicorum* opusculo. Non praetereundi etiam hic sunt arcanorum Politicorum Scriptores tam generales quam speciales, & quidem de arcanis dominationis in genere qui accuratissime scripserit, neminem habemus. Neque enim *Clapmarii* opus, nec Commentatores ejus *Sagittarius* & *Scioppius* pro dignitate argumenti doctrinam hanc persecuti sunt; neque enim arcana illa sunt, sed vulgo cognita, & quae necessario omnem Regiminis formam comitantur. *Cyriacus Lentulus* in arcanis Regnorum & Rerumpublicarum sub specioso titulo Locos Communes scribit. Accuratius aliquid de eo argumento commentari incepit *Gabriel Naudaeus* libro Gallice scripto, sub titulo: *Considerationes Politicae super artes status*, in Germanicam linguam nunc converso. Laudat illum *Cardani* † *Proxeneta*, sive ut nunc inscribunt *Arcana Prudentiae Civilis.*

† Cardanus fuit morosissimus, nec quocum conversatus est: in res morales tum

&

& Politicam se diffundit tanto ingenio, ut ei vix aliquis similis. In Proxeneta docet, quomodo cavendum sit, ne circumveniamur, omnesque artes recenset, quas *Hippolitus a Lapide* in praeceptis male ponit. Recusus est Helmstadii, quae Academia bene meretur de Morali & Civili Philosophia, Auctore Conringio.

Ad hanc classem referri etiam quodam modo possunt Auctores, qui Rationes Status scripserunt, tam generatim, quam in specie, sive de axiomatibus fundamentalibus Regnorum atque Imperiorum. Qui generatim scripserunt de hoc argumento, non pauci sunt, e quibus tamen omnium optimus videtur *Ludovicus Septalius*, quem ex Italico Sermone in Latinum convertit *Joh. Garmerus*. Quamquam enim plures hic sunt, qui rem illam tractarunt, non pari tamen omnes diligentia ad rem illam tractandam accesserunt, non pauci judicio practico instructi, sed e generalibus istis Scriptoribus non multum quis proficiat, nisi junxerit speciales rationum status scriptores, quos ego voco, qui Regnorum & Rerumpublicarum mutationes & obligationes, commoda & incommoda, foedera, jura & quicquid eo pertinet, descripserunt. Quale opus, ut non est ad quosvis humeros aptum, ita fuere perpauci, qui vel tentaverint aliquid super hoc argumentum, quod per se ejus indolis est, ut cum saeculis non tantum, sed annis, cum personis, matrimoniis similibusque actionum nostrarum circumstantiis variantibus subjectum sit. Hinc fit, cum temporarium sit illud studium, quod huic negotio impenditur, nemo facile sit, qui suscepturus illud sit, quod insperate temporum atque rerum momenta facile eludant, neque de periculo dicam, quod res illas comitatur, cui se non facile subjiciet homo ad res gerendas adhibitus, & ad arcana aularum admissus. Caeteri enim extra chorum suum saltabunt, ac ludibrio viris peritioribus erunt, quare videas hinc errores illos, quos admittunt viri extra negotia civilia interiora constituti, qui mera conjectura assequuntur, si quid talium rerum proferunt, ac in vulgus edere laborant. Certe Gallus ille, qui nuper gentis suae lingua rem istam tractavit, in libro, *Maxime & l'Interest des Royaumes du Monde*, vehementer a scopo aberravit, nec in ipsa patria sua valde est oculatus. Solus in hoc argumento operae aliquod pretium fecit suo tempore *Dux Roannaeus*, in libro, qui inscribitur, *Trutina Statuum Europae*. Illic enim & Regni Gallici statum describit, aliosque cum illo statu contulit profunde satis atque ingeniose, sed fortasse verum est *Boineburgii* judicium, quod ex epistola ejus affert Boeclerus, Dissertatione de utilitate ex historia universali capienda: magis illum status Europae respexisse e sua natura & rei veritate, quam earum utilitates apparentes, e quibus rectius quis judicare de statu praesentis temporis potest, quam ex ipsis regulis Rerumpublicarum fundamentalibus. Cum ergo difficultatis plenissimae opus sit, de omnibus in universum Rebus-publicis judicare, consultius quis facit, si istius Reipublicae statum, in qua quis vivit, probe pernoscat, ex aliarum vero cognitione tantum assumat, quantum ad suam pertinere judicaverit pro ratione vel viciniae, vel cognationis, vel commerciorum, vel similium negotiorum ac obligationum, quae mutuae solent esse inter Respublicas. Hic experientiam suam domi sequatur, quam ex ipsorum negotiorum tractatione, vel conversatione cum viris illustribus, qui rempublicam regunt, vel qui monumenta ac instrumenta publica conservant, acquirat. In caeteris vel ex aliorum relationibus, vel ex Rerumpublicarum descriptionibus specialibus sapere suf-

B ficit.

ficit. Qui de Scriptoribus Politicis ampliorem aliquam notitiam cupit, adeat *Hugonis Grotii* epistolam *de Autoribus Politicis* scriptam, ut & *Coleri* de eodem argumento *dissertationem*, quemadmodum & *Naudaeus* in *Bibliographia sua Politica*, qui diligentissime eam rem tractavit, quae opuscula junctim edita sunt a *Buchnero*. Nec praetereundus est *Conringius* in extremo capite *de civili Prudentia*, ubi post caeteros de Scriptoribus Politicis tam antiquis quam recentioribus agit, judicio suo ubique interposito.

C A P U T V.

De Rerumpublicarum Scriptoribus.

Postquam vidimus Auctores Politicos generaliores, ad eos nos convertemus, qui Respublicas speciales describunt, qui ut Politici instituto prae caeteris serviunt, ita & historico studio sunt accommodatiores, cum περιστάσεις illas tam Rerumpublicarum quam actionum in Republica pensius considerent. Atque inter veteres facem praetulit maximus doctrinæ civilis Magister Aristoteles, qui cum præcepta illa communia tradidisset, eaque manca futura facile videret, illustrare hanc suam doctrinam voluit exemplis Rerumpublicarum suo sæculo florentissimarum: neque enim aliter institutio doctrinæ Politicae formari poterat. Sed dolendum est tam præclari operis non nisi fragmenta quaedam ad nos pervenisse, quae collegerunt Literatores nonnulli, praecipue *Isaacus Causabonus* ex Grammaticis potissimum Scriptoribus depromta, quae non multum rei politicae continent. Scripserat vero *Aristoteles*, si *Diogenem Laërtium* audimus, 150. *Respublicas*, si alios 250, vel 255. De hoc opere videatur *Petrus Nunnesius* in notis ad *vitam Aristotelis* a se editam *n.* 44. videndus etiam est *Vossius lib. IV. de Historicis Græcis cap. 9.* & *Conringius* in introductione in *Politicam Aristotelis pag.* 372. In novissimis editionibus Politicorum annexa plerumque fragmenta illa habemus. Est & inter veteres *Heraclides Ponticus*, scholae primum Pythagoricae, post Peripateticae auditor, qui librum περὶ πολιτειῶν scripsit, quo de variis Scriptorum Rebuspublicis, earumque disciplina, institutis, moribus, legibus, regimine, mutationibus agit. Nec supersunt hujus Autoris praeter pauca quaedam fragmenta, Graece Latineque tum seorsim a *Nicolao Cragio*, tum ab *Heinsio* aliisque cum Politicis Aristotelis edita. Haec sunt, quae a duobus praeclarissimis veterum Philosophis restant vestigia, sed habemus tamen ante utrumque *Xenophontem*, qui eodem instituto Atheniensium & Lacedaemoniorum Respublicas duobus libellis descripsit, qui hodie quoque inter opera ejus supersunt. Verum nullum est dubium, Aristotelicum opus longe fuisse eo perfectius, forte & Heraclidis illud. quod post Aristotelem scriptum est. Sed nunc inopiam nostram superstitibus ex isto naufragio tabulis solamur. Praeter illos nemo, quod sciam, e veteribus fuit, qui argumenti hujus tractationem susceptt, nisi forte quis *Pausaniam* & *Strabonem* illorum numero accenseat. Sed illi scopum talem sibi non praefixerant, quanquam enim non pauca apud illos reperiantur, rerum etiam Politicarum in istis Rebuspublicis documenta, non tamen eo ordine & consilio rem illam tractarunt, quo tractare solent Politici ac debent,

debent, qui Reipublicae Analysin ad Politices regulas sunt instituri: quare inter Geographos potius quam inter Politicos referendi sunt, qui cum Rempublicam aliquam describunt, illa tantum, quae περὶ τὰ ἔξω sunt, inspiciunt, interiora vero status non satis accurate rimantur, id enim jam extra Geographi munus est. Similes Scriptores recentiores multos habemus, quorum prostant itineraria, sed e quibus Rerumpublicarum interiorem cognitionem non facile discas. Sunt & e recentioribus nonnulli, qui veterum Rerumpublicarum statum, quantum e monumentis illorum, quae passim ab historicis traduntur, assequuntur, collegerunt: inter quos *Antonius Thysius*, qui celebriorum veterum Rerumpublicarum memorabilia scripsit. Similiter & *Ubbo Emmius* veteres Respublicas Graecas illustravit: *Nicolaus Cragius* Rempublicam Lacedaemoniorum, quod opus denuo in Belgio prodiit: *Meursius* in multis etiam Graeciae Rebuspublicis ac in Specialioribus etiam, quae ad Sacra, Magistratus & Leges pertinent in universa Graecia. *Carolus Sigonius*, *Bertramus*, *Cunaeus*, *Menochius* in *Republica Hebraeorum*, *Brissonius* in Principatu *Persarum*, cui tamen non magnas laudes defert *Josephus Scaliger*, in excerptis illis, quae fratres Puteani consignarunt. Ac est sane liber ῥαψωδικὸς, non magno judicio confectus, ac multa sunt in illo plane falsa, ut docuerunt accuratiora postmodum itineraria, qui e statu, qui tunc temporis fuit, multa animadverterunt, perperam a Brissonio de statu veteri dicta. De Romana plurimi egerunt, tam universim, quam speciatim per singula Romani status capita, sed de his omnibus non multum habet, quod sibi promittat doctrina civilis. Quandoquidem enim e quibusdam tantum monumentis ac fragmentis judicium de universo statu inire debent, non fieri aliter potest, quin saepe numero ipsi fallantur, aut ex conjectura aliquid reponant, quod re ipsa aliter se habuit, ne quid dicam de hominibus illis, in re politica saepe inexercitatis, qui illud potius agunt, ut Locos quosdam Communes rituum & antiquitatum nobis colligant, & ne illos quidem interdum satis accurate, omne vero illud πρακτικὸν judicium, quod ex forma illius Regiminis nascitur, vel omittant, vel aliis relinquant. Sed de Romana nolo hic prolixior esse; satis enim cognita sunt, quae hic ab antiquis nobis relicta sunt monumenta, vel libri recentiorum isto in argumento occupati. Veniamus nunc ad illos, qui hodiernas Respublicas descripserunt, ex iis alii junctim plerasque aut saltem plures, alii singulatim aliquos descripserunt. Ad primum ordinem pertinent *Franciscus Sansovinus* in *libris XXII. de Regimine & Administratione diversorum Regnorum & Rerumpublicarum*: qui opus eruditum Italica lingua conscripsit, quo veterum quoque Rerumpublicarum statum examinat, ac cum hodiernis confert: liber est diligentia sic satis accurata & raritate sua commendabilis. Superabat tamen hunc autorem *Joannes Boterus* Italus, qui de *universi orbis Rebuspublicis* opus conscripsit, quod in Latinam ut & Germanicam linguam conversum est. Editus & Gallica lingua liber est de omnibus Rebuspublicis totius Orbis, qui deinde in Latinam linguam transversus est sub titulo *Archontologiae Cosmicae*, editus a *Joh. Ludovico Gotofredo*, quem accessionibus quibusdam *Guilielmus Christophorus Heinius* auxit. Hunc Scriptorem, si diligentiae & fidei plus adhibuisset, Gabriel Naudaeus in Bibliographia Politica instar omnium esse potuisse putat. Sunt & alii in Gallica lingua libri, ut *Petri D'Aviti* opus, quod inscribitur: *Le monde*, quod V. Tomis prodiit 1643 quibus ante annos aliquot Sextus accessit, de quo quid pronunciare debeam, non liquet, cum

 non

non legerim, Conringio quoque lectum esse non apparet. *Bosius* in *notitia orbis* opus vocat ob eruditionem ac diligentiam singularem merito suo magni aestimandum. Est & alius liber Gallicus sub titulo *Theatri universi* editus *Parisiis* 1646. Sed Compendium tantum illud esse apparet, & e prioribus concinnatum. *Lucae de Linda*, Borussi, *Orbis descriptio omniumque Rerumpublicarum* 1655. *Lugd. Batav.* excusa, quae anno quoque sequenti Germanica lingua, dissimulato Auctoris nomine, sub titulo; *Orbis lumen & Atlantis juga tecta retecta* Francofurti prodiit, aliquo numero haberi debet. Optima enim optimis e Scriptoribus congessit, quaedam etiam aliis neglecta addidit: Latinis sane omnibus in hoc argumento Scriptoribus praeferri debet, omnibus tamen numeris absolutus non est. Nam nec ad Boteri judicium & industriam comparari non potest; nec alio, quam Breviarii nomine salutari debet. Post Boterum in hoc quidem genere meliorem laborem non habemus, quam varias illas relationes, quae primum Italica lingua editae sunt, hinc in Latinam conversae *a Casparo Ens*, sub titulo, *Thesauri Politici*, publicatae, quas iterum alio titulo variarum historiarum Dissertationum edidit *Nicolaus Bellus*. Idem opus & Latine & Italice prodiit cura alicujus Philippi Honorii: atque hae Relationes omnes consignatae fuerunt a Legatis, Venetis potissimum: iis enim in mandatis semper dat Magistratus, ut loci, in quo vivunt, statum accurate conscribant, ac descriptionem illam domum mittant, ubi anxie custodiuntur, nisi quod interdum per scribas unum vel alterum exemplar ad manus peregrinas pervenerit. Hinc sunt apud Venetos multi Italicarum rerum thesauri, unde facile est nobis, statum perdiscere vel intra privatos parietes. Nam peregrinationibus plerumque abstinent Veneti, quod consilium etiam Romani Legati imitantur. Non contemnenda etiam est opera *Elzeviriorum*, qui in minori forma Rerumpublicarum descriptiones ediderunt, quarum quaedam sunt egregiae, inprimis quae a *Johanne Laeth*, & aliae. Meliores hic caeteris judicat Conringius *Rempublicam Hispaniae*, *Galliae*, *Angliae*, sed tertiae editionis, libellum *de Principatibus Italiae* secundae editionis, (sed hodie extant accuratiores quaedam descriptiones Principatuum Italicorum Anglica lingua editae a Legatis nonnullis, quas ut recentiores & a viris accuratis scriptas illis ego praetulerim,) Rempublicam Persiae, sed hodie ex itinerario *Petri de Valle*, *Thevenotii* etiam qui Persicas res illustravit, accuratius res Persicae cognoscuntur: *Regnum M. Mogolis*, quae cum omnes Joh. de Laëth debeantur, meliores sunt & accuratiores. Laudat & Conringius *Simleri* libellum *de Republ. Helvetorum*, qui illi magnae vir prudentiae audit, nec immerito. Et commendari profecto debet labor iste viri celeberrimi Conringii, quod Respublicas omnes totius orbis extra Germaniam enarravit, privatis quidem & extemporalibus lectionibus, sed e quibus plus prudentiae Civilis reperies, quam e tricubitariis aliorum commentariis. Ut enim vir magnae lectionis est, profundi in doctrina Civili judicio, magnae quoque illae experientiae, qui & negotia familiarius civilia interdum admissus tractavit, facile potuit subitaneis etiam Dissertationibus ea docere, quae alii magno labore & industria non confecerunt. Sed desiderare tamen in illo quis recentiorum ac exoticorum Scriptorum lectionem potest: illa enim tunc temporis nondum edita, haec fortassis non visa. Quae si conferre vir ille in utilissimum hunc laborem velit, ultimaque manu expolire, magnas illi profecto gratias agere deberemus Habemus & a Viro clarissimo *Joh. Andrea Bosio* notitiam Orbis sive imperiorum, *pri-*

privatis

vatis lectionibus traditam, sed is in generalibus tantum subsistit: e specialibus non nisi Hispaniae imperium pertractavit, ac generalem quidem tractationem plenius dedit; quam Conringius, sed & multa a Geographicis assumsit, quae non adeo ad hanc doctrinam spectabant. Specialia Conringius omnium optime tractavit. Adjungere Politicis Rerumpublicarum Scriptoribus & Geographicos possumus. Solent enim pluscula etiam politicarum rerum admiscere, quod e veteribus fecit *Strabo*, quem Geographiae fines egressum eam ob causam existimat Conringius. Nostro tempore speravimus magnificum illud *Bernhardi Varenii* opus, qui in Geographia generali sua elegantissimo & perfectissimo opere omnes totius orbis Respublicas pari diligentia se tractaturum promisit. Non enim Geographica in iis proponere tantum voluit, sed omnem earum statum veterem recentemque describere. Sed habemus ab eo unius tantum Japoniae descriptionem, reliqua intempestiva viri mors nobis eripuit. *Pauli Merulae* Cosmographia elegans liber est multae doctrinae ac prudentiae, sed absolvit ille non nisi Respublicas speciales, Hispaniam, Galliam & Italiam. In quibus ea diligentia versatus est, ut reliquarum desiderium apud omnes viros eruditos reliquerit. *Atlantis a Mercatore* primum conscripti, post *a Jacobo Hondio*, *Johanne Jansonio* varie aucti & continuati, vasta ut ut volumina, praeter Geographica, & ne illa quidem satis solida, Politicae quaedam res admixtae nonnunquam, sed illa tantum quasi locorum communium more scribuntur, nec magna rerum civilium cognitio inde haberi potest, quae saepe pro veris falsa suppeditant. Non exspectet hic quis a nobis, ut compendia Geographica recitemus, quae nihil ad doctrinam conferunt, quae legi possunt in notitia orbis cap. V. *Claudii Morisotti orbis maritimus*, quaedam, quae ad commercia Rerump. spectant, promittit, sed non praestat; non enim adeo cum cura scriptus liber, ut forte nonnulli crediderunt. Huc quoque referri possunt Topographiae Specialiores, ut & Auctores Chorographici, e quibus inter Germanos laudandus est *Mart. Zeillerus*, cujus habemus *descriptiones Hungariae*, *Poloniae*, *Sueciae*, *Daniae*, *Belgii*, *Decem Circulorum imperii Germanici*.

Sunt & diversis voluminibus publicatae tales descriptiones praecipuorum locorum Germaniae: sed ex his Politica ex accidenti tantum tractantur, rectius in illis dicuntur, quae ad situm loci pertinent, quaeque ex eo colligi possunt de commerciis, monumentis, proventibus agrorum & similibus. Nec sunt itineraria hic negligenda, quorum si quis accuratam inierit censuram, rem nobis ultissimam praestabit. Quemadmodum enim peregrinatores non ejusdem sunt conditionis ac prudentiae omnes, ita magna est scriptorum istorum differentia, quorum Autores eam ab causam magna cum cautione legendi sunt, quod inculcat in eruditissima Dissertatione *de Peregrinatione Germanica Boeclerus*. Non enim adeo perspicaces omnes sunt, ut interiora status penetrent. Quidam lucro inhiantes (nautae ac similes homines,) ea potius spectant; quae ad commercia pertinent, caeterarum rerum negligentes. Inter veterum itineraria, optimum est, quod inscribitur: *Arriani Periplus Pontus Euxini & maris Erythraei a Johanne Guilielmo Stuckio* prolixis Commentariis illustratum & *Lugd.* 1577. fol. editum. Caetera, quae sunt ultra situm & nomina Regionum nihil memorabile suggerunt. E recentioribus magna est talium librorum silva, sed non pari judicio omnia ab omnibus tractantur. Atque ut sunt optima itineraria, in omnibus tamen quaedam deficiunt, imprimis si loca intersunt remotiora, quorum status non adeo

perdisci potest, & in quibus multa relinquuntur unius Scriptoris fidei. *M. Pauli Veneti*, *Haitoni Armeni*, e recentioribus primorum Scriptorum prae caeteris laudanda est diligentia. *Thomae Herberti Itinerarium per Asiam & Africam* optimum inter recentiores est, sed legi debet lingua Anglica vel Italica & Gallica; quod enim in Batava lingua prodiit, mancum & mutilum est optima sui parte, ea scilicet, qua statum civilem Rerumpubl. istarum describit. *Petrus della Valle*, Italus, vir illustris, Persiae finitimarumque Regionum statum, qualis suo tempore fuit, sic satis bene descripsit. Sed & hic vehementer variat Italica editio a Belgica. Multa enim omissa sunt, nescio quo, corrupto interpretis judicio, quae non frustra posuerat Autor in autographo. Habemus & *Andreae* Scotti *Itinerarium Italicum*, bene scriptum & ad sui temporis rationes & statum sic satis accommodatum. Sed eorum omnium censuram fieri difficile est; neque sunt ea hujus loci, aliqua ex parte illud praestitit autor Anglus *Eduardus Leigh*, qui brevem *Commentationem de Itinerariis* edidit, sed ille tantum gentis suae Scriptores recenset, vel interpretes tantum, caeteros sibi non visos praeterit. De commodis & incommodis peregrinationis *Matthaeus Veierus* in *exemplis Gall. 6. & 7.*

C A P U T VI.

De Notitiarum, Memoriarum & Epistolarum Scriptoribus.

Pertinent ad praecedens caput Notitiarum quoque Scriptores, quos certo tantum consilio a Scriptoribus Rerump. sejunximus. Qui enim notitias scribunt, non omnia certo ordine persequuntur, quemadmodum Rerump. Scriptores; sed exemplorum instar sub quibusdam locorum communium titulis res suas proponunt. Ac quanquam cum illis confundi posse videantur, qui relationes scripserunt, ut Boterus, Legati Veneti (quorum relationes collegit *Caspar Ens*) Legati Romani, (quorum relationes junctim non ita pridem editae sunt lingua Italica) methodo tamen omnino distinguendi. Relationum enim Scriptores omnium accuratissime Rerump. statum sui temporis persequuntur, cum Rerump. Scriptores Geographica Politicis misceant, nec intimium statuum specialia scrutentur. Notitiarum vero Scriptores ῥαψῳδῶν instar colligunt, tum e lectione historicorum, tum e relationibus aliorum, partim quoque e suis observationibus, tum Geographica, tum Politica, ut quaecunque ulla ratione ad comparandam imperii alicujus notitiam faciunt. Ex iis facem nobis praetulerunt, qui notitias imperii Orientalis & Occidentalis nobis reliquerunt *Bodinus*, Pancirollus, Bulengerus, praecipue vero *Gutherius*, in libro *de Officiis Domus Augustae*, in quo Imperium Romanum, quale sub Imperatoribus fuit, in Notitia Magistratuum descripsit. Qui libri magnopere ad historiam Jurisprudentiae, & Juris & Imperatoribus lati prosunt. Ad eorum formam Regni Galliae notitiam descripsit *Limneus*, quod utilissimum est ad res Gallicas noscendas Opus, quanquam illic ut in omnibus Limnaeanis operibus multa sunt praeclara congesta, ad quae si quis accedat, qui prudenter digerere possit, magno cum fructu hoc labore utetur. Sub certis enim titulis omnia, quae ad statum Galliae spectant, ex omnibus historicis antiquis, & recentibus comportavit. Ac isto quidem

dem modo, cum peregrinari omnes non possimus, Statuum atque Imperiorum cognitio acquirenda est. Adornandi enim nobis libri sunt, quos ego Locos Communes Notitiarum appellarim. *Conringius* adversaria appellat, qui & ipse vehementer operam istam laudat. Ita enim de se ipso; Ad hunc modum ego admodum adolescens mea adversaria institui, & alios id etiam docui, qui deinde magnas mihi egere gratias, & novi ego, qui hoc modo sibi compararint ingentem & mirandam omnium Rerump. cognitionem. Compingatur liber; Charta munda distinguatur secundum regna, & respublicas, unum quodque regnum, vel respublica secundum capita generalia politica, Sacrorum, Jurium, Magistratuum, Foederum, Simultatum, Commodorum, Commerciorum & similium, qualia usus ipse facile suppeditat. Idem consilium *Grotius* olim dedit de Politices studio consulenti. Ad notitiarum Scriptores referendi etiam illi sunt, qui nostro saeculo Memorias scripserunt; qui a Notitiarum Scriptoribus in eo differunt, quod illi Rerumpublicarum notabilia ex aliorum suisque observationibus colligant. Hi certi alicujus temporis Historiam congerant, resque illas consignent, quae suis auspiciis consiliisque gestae sunt. Scribuntur enim tales libri non a quibusvis, sed ab iis, qui rei gerendae praesunt, quorum idcirco major fides ac autoritas est, quam aliorum, qui alienam fidem sequuntur. E veteribus Autoribus praeivit illis *Caesar*, qui rerum gestarum historiam peculiaribus libris complexus est, quos Commentarios vocat. Quod nimirum etiam Galli hodie sua lingua imitantur, qui ista Ministrorum Scripta vocant Memorias (*Memoires*). Facile igitur hinc colligere possumus eorum Scriptorum praestantiam, qui rebus gerendis admoti talia saepe produnt sui temporis arcana, quae frustra quis ab Historicis exspectet. Praeferendae igitur sunt Memoriae, quae a Ministris Primariis, quos barbaro nomine nunc *Ministrissimos* vocamus, scripta sunt. Ac docuit nos singulari ac erudito libro Gallus quidam *Sillon*, qui de *ministris status* peculiarem librum scripsit, quanti usus tales libri sint; sed non solent illi temere publicari, nisi fato functis autoribus, ac ubi rerum temporumque momenta effluxerunt. Non vero illi frequentiores sunt, quam apud Gallos, qui rerum suarum non adeo invidi sunt celatores, quam aliae gentes. Ex Hispanicis praeter unum non mihi est cognitus, qui est *Antonius Peretius*, Secretarius ut vocant, status, qui patria lingua Relationes quasdam & Memorias sui temporis conscripsit, in quo non pauca occultiora consilia deteguntur; liber oppido rarus est. Galli longe plures habent, ut pene integram earum Bibliothecam adornare quis possit. Veteris historiae Gallicae memorias scripsit *Du Plays*, sed illae non tam memoriae sunt, quam collectiones quaedam rerum, vetustate ipsa reconditarum. Hinc sunt complurium Regum Historiae a talibus memoriarum Scriptoribus congestae, ut memoriae *Ducis Nevers*, *Ribierti*. Memoriae *Villaregii*, Secretarii status, optima & civili prudentia instructissimae, in cujus vitam considerationes Politicas scripsit *Petrus Matthaeus*, quas in linguam Latinam convertit *Joachimus Pastorius*. *Memoriae* Cancellarii *de Chivernii*, Ducis de Suillii; *Negotiationes Praesidii Jeanini*, *Memoriae Regiminis Reginae Mariae de Medicis*. *Bassompierrius* scripsit *Memorias rerum*, quae spectant ad Regem Ludovicum XIII. Scriptae etiam sunt *Memoriae* cujusdam, qui se literis initialibus vocat *M. D. L. R.* de iis rebus, quae post mortem Ludovici XIII. *gestae sunt*, de bellis civilibus, de Incarcerationibus Principum. Sed eae in Belgio prodierunt, in Gallia vendi prohibitae

tae. Multa enim in illis sunt de Statu illorum temporum arcana detecta, multa etiam satyricè & injuriose scripta in personas nonnullas & actiones: sed illae eam ob caussam majoris aestimari debent, cum in istis libris acerbitas linguae saepe quaedam effutiat, quae cordatiores Scriptores dissimulare solent. Bene igitur faciunt, qui scripta talia custodiunt, qualia plerumque emanare in publicum solent, cum bella geruntur, cum singularia consilia ineunter, quae spargi interdum data opera ab ipsis ministris solent, praesertim si sententiis & consiliis inter se differant, aemulatione mutua incitati, quod sub ipsis belli hujus Gallici initiis factum videmus, ac usu saepe venire solet. Cum enim Consiliorum propalatio ea quasi enervet, fit saepe, ut alia suscipiantur, quae ex voto ejus sunt, cujus artificio talia propalata sunt, vel ipse Magistratus sponte sua in contrarium eat, cum similia sentire aliquis ex ipso populo videt. De rebus, quae hujus Regis tempore contigerunt, Memoriarum libri hactenus nondum sunt editi satis pleni, nisi quod quosdam collegit quidam *de S. Lazaro*, quos post mortem ejus continuavit Dominus *du Verdier*: sed loquaciora credo habebimus de illis postera saecula. Prae caeteris omnibus commendandae sunt in historia Gallica recentiorum temporum *Memoriae Cardinalis Richelii*, aliquot voluminibus in folio editae, quas postea minori forma in Belgio ediderunt Elzevirii, quibus addendae sunt illae, quae sunt Mazarini nomine editi. Magna est in illis libris cognitio tum rerum Gallicarum istius temporis, tum earum, quae extra Galliam gestae sunt per totam Europam, in qua tum scena magnarum mutationum adornabatur. Liberrime de Principibus Germanicis, rebus, eorumque actionibus censurae instituuntur. Miror eorum Scriptorum mentionem non facere *Sorellum* in *Bibliotheca sua Gallica*, eo praesertim loco, ubi de historiae Galliae Scriptoribus agit. Non praetereundi hic sunt Epistolarum Scriptores, quibus familiariter nonnunquam recensentur arcana, inprimis, si scripta sunt a viris, qui etiam in Reipublicae functione constituti sunt. Quamdiu enim in omni re literaria magnus epistolarum usus est, ad notitiam magnam & reconditam sibi comparandam, eas commendare prae reliquis Scriptoribus soleo: multa enim in illis occurrunt judicia, multae de libris, personis, actionibus hominum censurae: praecipue elucet τόπος, nescio quid πρακτικὸν, quod mirifice ingenii solertiam acuit. Prae caeteris vero in Epistolis Politici argumenti major est ad prudentiam Civilem comparandam copia. Epistolographorum Politicorum perpaucos habemus, qui tamen editi sunt diligenter sunt legendi, ineditae epistolae, si quae haberi possunt, studiose colligendae. Talium epistolarum, quae a Grotio scriptae sunt, sed ineditae, vastum exstare volumen audio in Bibliotheca Senatoris cujusdam (*Bierenclau*) Regni Suecici, quod opus ille, dum vixit, magnum fecit. Qui enim legit, affirmavit mihi, res gravissimas Politices, de quibus ille ad illustres Viros scripsit, illuc fuisse reconditas Habemus inter editas epistolas Italicas Principum ad Principes, uti & virorum illustrium epistolas in Belgio publicatas. Sunt & Hugonis Grotii quaedam editae, sed non politici argumenti omnes. Scripsit & *Forstnerus* doctissimus ille Commentator Taciti *super negotio pacificationis Osnabrugensis epistolas* politicas. Res quae saeculo XIV. & XV. gestae sunt, cognosci possunt e *Petri Martyris* & *Ferdinandi de Bulgar epistolis*, quarum illae Latine, hae ex lingua Hispanica in Latinam conversae prodierunt apud Elzevirium *Amstelodami* 1670. *in folio*. *Martini Zeilleri*, Germani, *Epistolae* locis communibus tantum sunt refertae. Huc

Huc quoque referenda sunt Acta publica, Instructiones Legatorum, & alia hujusmodi, quibus ordo rerum gestarum & civilium negotiorum accuratius exponitur; ad Notitias enim & Memorias talia quoque scripta pertinent. De Relationibus Legatorum etiam diximus, quarum (ut hoc nunc addam) integra volumina manuscripta Parisiis extare creduntur in Bibliotheca Seguiniana. Pertinent huc quoque *Paparum Conclavia*, libri, quibus continetur Historia Electionis Pontificiae. Talia plerumque post mortem Pontificis electi publicari solent, ac habemus eorum aliquot, quae posteriorum Pontificum historiam continent. Libri isti, uti dixi, utilissimi ad res Romanas pernoscendas omniumque Regum & Principum, quibus commercia cum aula Romana intercedunt. Multae quoque artes ex illis edisci possunt, quibus astuti homines utuntur in confundendis aliorum consiliis, in comparandis amicitiis, in suffragiis vel exorandis vel extorquendis, vel emendis, vel oblique impetrandis. Quod Germanica attinet, referenda hic sunt tum *Melchior Goldastus*, quae hic collegit in variis operibus, tum *Christophorus Lehmannus* in *Actis de pace publica: Lundorpius* in *Actis publicis*; *Hortlederus* in voluminibus *de causis belli Germanici*, quibus addi possunt *Theatrum & Diarium Europaeum*, qui posterior liber necessarius est Viro Politico, rerum Germanicarum historiam pernoscere cupienti. Spectant huc omnes illi tractatus, quibus continentur articuli pacis, induciarum, confoederationum, variae pacificationes, quae simul Noribergae sunt editae. In rebus Belgicis novissimis meliorem non habemus quam *Leonem ab Aitzema*, qui & ipse Vir ingenuus fuit, & ad res gerendas adhibitus, Civitatum Hanseaticarum Agens (Agent), qui diffusis voluminibus in folio Acta publica Belgarum magna diligentia conscripsit. Videas in hoc Autore historiam commerciorum Batavorum, Regiminis formae & multa alia arcana. Videas quae ipse in Belgis probet, quae improbet.

C A P U T VII.

De Vitarum Scriptoribus.

Subjungimus Memoriarum ac Notitiarum Scriptoribus Autores, qui de Vitis Virorum illustrium scripserunt, quorum vastissimus est numerus, si quis omnium clarissimorum Virorum historiam velit. Atque hic in genere sciendum illud est, nihil esse in re literaria, quod majori cum fructu legere quis possit, quam opera talia, inprimis si scripta sint a Viris doctis & multarum rerum peritis; Quanquam enim haec historia singularis sit (circa singulos enim personas occupatur) cum vero historiae munus sit, de rebus nos certiores facere, ab uno vero illustri Viro multae res tam in re literaria, quam in Republica geri possint, possumus interdum in unius Viri illustris historia multarum rerum complexum discere: estque id peculiare in Vitarum descriptionibus, ut quasi in rem praesentem deducamur, ac τὸ ἦθος illum πραγματικὸν, qui ex negotiis illorumque πρᾶξεσι ducet, plenius deprehendere possimus, quam ex historia, quae generalius magis in iis rebus versatur, nec adeo ad se pertinere existimat, quae Vitarum Scriptores diligentius indagant & examinant; qua ratione etiam Epistoliographis praeferendae sunt. In illis enim particularis est tantum

rerum cognitio non satis cohaerens, ac quasi per lacinias colligenda: hic vero uno obtutu omnia, quae ad unius Viri ejusdem negotia spectant, exhibentur, sive ille in dignitate civili constitutus, sive re literaria clarus. Suaserim itaque quam maxime illis, qui elegantiores literas amant, ac paullum diligentius literarum studiis incumbunt, ut prae caeteris sibi colligant apparatum autorum, qui de Vitis Virorum illustrium scripserunt, unde multa ad omnem tam sapientiam, quam prudentiam depromant, quae usui in omni vitae genere esse possunt. Nam pro ratione studii, quod aliquis sibi elegit, legere Scriptores potest, qui Vitas Virorum iisdem studiis deditorum plenius exsecuti sunt. Quod sane non exiguum est πολυϊστορίας praesidium. Ac novi ego Virum magnae eruditionis (*Marquardum* nempe *Gudium* Consiliarium Principis Holsatiae) qui vastam ex iis autoribus Bibliothecam congessit, quam ille inter rarissima sua munera numerat. Nec credo deesse illi facile quosdam autores, magna enim diligentia conquisivit. Qui si junctim aliquando ederentur aliquot voluminibus, opus sane haberemus vehementer studiis olim nostris profuturum. Distinguendi tamen sunt a Scriptoribus Vitarum *Elogiorum Scriptores*, quorum non paucos habemus. Illi enim non tam veram aliquam historiam scribunt, quam res gestas laudant. In quibus multum interdum datur affectui, & inani quodam fuco eloquentiae adumbratur. E veteribus facem praetulerunt in hoc scribendi genere *Plutarchus* & *Cornelius Nepos*: ille de Graecis & Latinis Viris illustribus per comparationem egit Graeco sermone: hic de Imperatoribus Graecis Latino. Atque hi e veteribus sunt, qui Vitas Virorum Politicorum Veterum, & quidem multorum uno volumine congesserunt. *Laërtius*, *Eunapius*, *Philosophorum veterum* Vitas collegerunt, utilissimas quidem ad cognitionem rei literariae, sed instituto nostro non accommodatas. Inter recentiores, qui plurium Vitas descripsere, non pauci, sed non pari omnes diligentia in hoc argumento versantur. Aliqui contenti sunt, generalia quaedam scripsisse Elogia, ac paucula quaedam de illorum universa Vita delibasse. Aliqui nomina tantum ac opera recensent, qui ad Bibliothecarios rejiciendi sunt, quorum non exiguus est numerus. Aliqui enim de Viris illustribus scripserunt specialis cujusdam gentis, Germanorum, Anglorum, Italorum; alii de Scriptoribus certi cujusdam loci collegerunt: Aliqui de Scriptoribus certarum Professionum & Disciplinarum. Sed de iis singulares libros conscripserunt *Philippus Labbaeus*, qui in *sua Bibliotheca Bibliothecarum* omnes illos autores recensuit, qui de Autoribus eorumve scriptis scripserunt: qui libri ad omnem rem Bibliothecariam ac literariam sunt utilissimi: quanquam non pauca sint, quae in eo desiderare quis possit, quae suppleri privata industria possunt. Cui Scriptori jungi potest *Henrici Vogleri introductio universalis* in *notitiam cujuscunque generis bonorum scriptorum*, qui luculentius additisque judiciis argumentum hoc persequitur, quanquam multa huic scripto desint. Nam Autor ejus, ut apparet, ne quidem Labbaei Bibliothecam Bibliothecarum ipse vidit. (Nuper tamen accessere notae & augmentum.) Item *Meibomii* de *Scriptoribus Ecclesiasticis* legendi sunt libri, quos nuper edidit *Joh. Andreas Bosius*, qui Schediasma de *comparanda notitia Scriptorum Ecclesiasticorum* publicavit, similia in Geographicis, Politicis ac Historicis praestiturus. Sed, ut dixi, ii autores extra scopum nostrum sunt constituti. Aliqua ex parte prosunt, qui Vitas Autorum praecipue Politicorum strictim recensent, ac qui Elogia scripserunt. Quo in genere laudari possunt *Antonii*

nii Verdierii Prosopographia Virorum illustrium, opus tribus voluminibus Gallica lingua scriptum. *Elogia Massonii*, *Elogia Laurentii Crassi*, Italica lingua scripta, *Miraei Elogia bellica*, *Staravolschii Elogia Scriptorum Polonicorum* ut & *bella*, *Scaevolae Samarthani Elogia*, *Museum Imperiale Johannis Baptistae*, *Laurii Theatri Romani Orchestre: Erythraei Pinacotheca*: *Daniel Urbeus* de *illustribus Aquitanicae Viris*: *Julii Caesaris Capaccii Elogia Virorum & Mulierum illustrium*, & si qui praeterea sunt, qui vel Latina vel exoticis linguis opera similia scripserunt. E Gallicis Scriptoribus addi possunt *Thevetii Elogia hominum illustrium Gallicorum*. Tum belli Ducum, tum Virorum in Magistratu constitutorum Historiam non pauci scripsere. *Ministrorum Galliae historias* scribere incepit Comes *D'Eotevil*; Vitas *Cardinalium* Dominus *de Aubery*, *Cardinalium Gallicorum* Dominus *Buschet* descripsit. Nec minus conferunt huc Historici, qui de Vita & Morte illustrium Politicorum scripsere, quales non paucos habemus lingua Gallica, qui & in Belgicam & Germanicam conversi sunt. Germanorum Vitas illustriores conscripsit *Melchior Adami*; sed unde plus ad historiam literariam, quam ad civilem commodi referas. Qui singulorum Vitas scripsere longe plures sunt. E veteribus habemus *Vitam Attici* a *Cornelio Nepote*: *Vitam Agricolae a Tacito*, vel ut quibusdam videtur *a Quintiliano*, quibus egregiae continentur ad omnem civilem prudentiam praecepta, quae ex ipso illo τύπῳ πρακτικῷ subnascuntur. Qui inter veteres Caesarum Vitas atque historias consignarunt, ut *Suetonius*, ac *Augustae Historiae Scriptores* non ista diligentia versantur in argumento suo, quam qui unius historiam descripsere. Suetonius tamen caeteris praeferendus, cujus si Julii Caesaris Vitam legeris, non pauca observabis arcana convertenda in Monarchiam Reipublicae, quae ille Scriptor stricte persequitur, & quasi digito monstrat. Uberius persequitur & *Jacobus Zevecotius*, eleganti *in Vitam Julii Caesaris Commentario*. Post veteres illos recentiores videamus, qui ista quidem diligentia in hoc historiae genere versati sunt, ut vel veteres ipsos facile superent. Principem hic locum dabo *Thomaso di Tomasi*, qui Vitam *Borgiae* scripsit, qui Dux Palatinus postea vocatus est. Eo in libro Italica lingua scripto, invenias incredibilia sophismata Politica, artes mirabiles tam licitas, quam illicitas, quibus vir ille astutus, fraudulentus, & ad omnem simulationem compositus, usus est in parandis sibi hominum favoribus, in aditu ad dignitates maximas terrae, quas ille omnes e schola Machiavelliana duxit; hujus enim ille non degener fuit discipulus. Hodie etiam in Gallicam linguam conversam habemus ejus Vitam. Habemus in Gallica praesertim lingua magnam eorum Scriptorum copiam, quae gens prae caeteris studiosa semper fuit in perquirendis Ministrorum ac belli Ducum actionibus. Nam si ipsi non descripserunt Ministri res suas, quas gesserunt, libris illis, qui Memoriae vocantur, nunquam defuerunt alii, vel ex eorum Secretariis, qui res dominorum suorum consignarent, vel ex aliis quibusdam observationibus, qui nonnunquum in interiora istorum hominum penetrarunt, & majori diligentia in lucem protraxerunt. Habemus inter illos, qui Regum suorum Vitas singulatim scripserunt; Sic *Vitam Regis Henrici* IV. *Perefixius* Advocatus Parlamenti Parisiensis descripsit, in quo quidem libro, qui & in Germanicam linguam conversus, non pauca continentur, quae ad historiam hujus Regis spectant. Verum non adeo laudatur iste Autor ab ipsis Gallis, qui praeferunt illi ejusdem Regis Vitam ab *Harduino* Archiepiscopo Parisiensi conscriptam, quorum librorum differen-

ferentiam & censuram vide apud *Sorellum* in *Bibliotheca Gallica*, capite de Historicis Regis Henrici IV. Ita Vitam *Ludovici Magni* descripsit *Abbas* quidam *de S. Dionysio*. *Petrus Matthaeus* Vitam Ludovici XI. in cujus Regis historia elegantissimas, doctissimasque additiones scripsit *Gabriel Naudaeus*, Cardinalis Mazarini Bibliothecarius. *Vitam Ludovici XII. Joh. de S. Gelasio. Caroli IX. Vitam Guilielmus de Gilini*. Nec desunt in Anglica lingua eximii quidam commentarii super Vitas Regum & Virorum illustrium, e quibus prae caeteris omnibus laudari debet *Verulamii Vita Henrici VII.* opus admirabili prudentia civili refertum, quo nomine etiam vehementer Boeclero commendatur: quod ille opus vel eam ob caussam praecipue scripsit, ut obtrectatoribus suis ostenderet, quidnam artis & lacertorum in doctrina civili haberet. Habemus & in eadem gente nuper publicatam *Ducis Monckii* Vitam; liber versus est in Gallicam & Germanicam linguam. Sunt & apud Gallos longe plures Biographi, quos recensere omnes nostri non est instituti. Nobis sufficiat praecipuos illorum indicasse. Nec omnes recensuit ipse Sorellus in Bibliotheca sua Gallica capite singulari de Vitis hominum celebrium, neque ista diligentia, qua poterat ac debebat, hoc argumentum persecutus est. Vitam *Villaregii*, praecipui Galliae Ministri a Pastorio in Latinam linguam conversam prae caeteris commendamus, cujus & mentionem superiori capite fecimus. Supersunt in re ac historia literaria non pauci Biographi, quos magno cum fructu legere possis, quos obiter tantum hic notabimus. Habemus *Joh. Vicentii Pinelli Vitam*, librum utique rarum, quo continentur non pauca, quae ad rem literariam pertinent. *Vitam Peirescii* habemus a *Gassendo* scriptam, qua continentur curiosissima rei literariae monumenta, Physica imprimis & Mathematica. Ab eo etiam Autore scriptas habemus Vitas *Copernici*, *Brahaei*, *Regiomontani*, Mathematicorum insignium, unde multa, quae ad res Astronomicas praecipue spectant, discas. E Vita *Philippi Melanchtonis* a *Camerario* scripta statum Religionis ac renascentium tunc literarum cognoscere possumus. Ex *Auberti Miraei* Vita *Justi Lipsii*, *Simleri Vita Gesneri*, *Ludovici Regis Vita Guilielmi Budaei*, *Flayderi Vita Grüteri*, similibusque autoribus, quos omnes recensere nobis non vacat, plurima ad rem Philologicam, librorum notitiam, varias eorum editiones spectantia observes. Sunt & alii Vitarum Scriptores, qui non adeo integram atque continuam Vitae historiam persequuntur, sed eam vel ex autorum ipsorum scriptis, vel ex aequalium testimoniis concinnant, ad Notitiarum Scriptores potius referendi, nisi subactiore quodam judicio e collatione suffragiorum edocto, perspicacius omnia nectant atque ratiociniis suis illustrent. Eo modo habemus veterum Vitas non paucas conscriptas. Ita *Meursius Solonis*, *Pisistrati* aliorumque Virorum illustrium Graecorum memorabilia congessit. Ita *Aristotelis* ipsius Vitam a quibusdam interpretibus descriptam, a *Nunnesio* notis illustratam, ab *Andrea Scotto cum Demosthenis Vita* comparatam habemus. *Pythagorae Vitam* Graece *Jamblichus* & *Porphyrius* (cui addi debent *notae Holstenii*) Latine *Joh. Donatus Ferrarius* descripsit. *Socratis Vitam* e Platonis potissimum scriptis Gallica lingua eleganter concinnarunt *Balsacus* & *Charpentier*, *Ciceronis vitam Fabritius*, & eo luculentius *Sebast. Corradus* e Scriptis Ciceronis collegit. Qui libri multum faciunt, tum ad historiam temporum eorum elucidandam, tum ad rectius intelligenda loca Ciceronis nonnulla, praecipue in Epistolis ad Atticum, quibus secretiora quaedam continentur, quae nonnunquam forma sermonis aenigma-

nigmatica proponit. Ea quoque ratione *Caeſarum nonnullorum Vitam & res geſtas Dietericbius* congeſſit, Auguſti ſcilicet, Tiberii & Neronis. Ex omnibus enim Hiſtoricis Romanis quaſi συνόψει complexus eſt omnem illorum hiſtoriam, ita tamen, ut in civilibus argumentis non multum operae ponat, nuda contentus plerumque hiſtoria. Ante illum *Matthias Berneggerus* ſimilia pene in Suetonii Caeſaribus tentavit. *Boeclerus* vero majori diligentia ac judicii ἀκριβείᾳ circa negotia civilia idem negotium tractavit. Notitiarum enim Scriptores, uti diximus, qua tales, locorum communium congeſtores ſunt, ſive circa ſingulorum Vitas verſentur, ſive circa integras Reſpublicas, vel Magiſtratuum munera, de quibus judicium vide *Joh. Andr. Boſii cap.* I. *Introductionis in Notitiarum Scriptores Eccleſiaſt*: ubi quaſi per indicem quendam pleroſque Notitiarum Scriptores recenſet.

Ad Vitarum Scriptores referendi ſunt etiam Familiarum Scriptores, quorum numerus non eſt exiguus. Suntque inter illos quidam, qui Nomenclaturas Familiarum atque ſtemmatum perſequuntur, magno ad hiſtoriam adjumento. Inter quos praecipuus eſt *Henningius*, qui vaſtum *opus Genealogicum* publicavit praecipuorum Regum ac Principum, e quò Compendia nonnulli fecere, vel e recentiori hiſtoria addiderunt, ut *Albitius* & *Rittershuſius*, *Spenerus*, qui Theatrum Nobilitatis non ita pridem ſcripſit. Sed hi generales Scriptores ſunt. Specialium magna eſt farrago, quas recenſere noſtri non eſt inſtituti; videri poteſt *Bolduani Bibliotheca hiſtorica*, in qua de Genealogiarum Scriptoribus agitur. Praeter illos ſunt, qui Familiarum facta, fortunas ſpecialibus libris perſecuti ſunt, non tantum Nomenclatorum inſtar, ſed ita, ut ad momenta Moralis & Civilis prudentiae animum adverterent. Antiquorum Romanorum Familias utiliſſimo libro complexus eſt *Glandorpius* in *Onomaſtico hiſtoriae Romanae*, & in *ſtemmatibus Familiarum Romanarum*, cum praefatione Reinerri Reineccii *Francofurti* 1589. *in fol.* editis, ſed ille ad hiſtoriam Romanam legi quidem poteſt, rerum autem civilium parum habet. *Carolus Sigonius* de *Scipionibus* quaedam ſcripſit. *Bulengerus* aliis etiam in Familiis veterum Romanorum aliquid praeſtitit, ſed & plures alios omni in gente recenſere operis noſtri non eſt. Notari tamen poteſt labor *Biſſelii*, qui ut *illuſtrium Rerump. interitus*, ita & Familiarum nonnullarum deſcripſit. *Familiam Medicaeam Erycius Puteanus* publicavit. Sed nos ad alia pergimus.

C A P U T VIII.

De Scriptoribus Politiae Eccleſiaſticae.

Ad profundiorem hiſtoriae ac doctrinae civilis cognitionem pertinet omnino accuratior notitia Status Eccleſiaſtici tam in genere quam in ſpecie. Maxima enim rerum civilium momenta in Religionis regimine ſita ſunt. Unde incrementa ſua ac decrementa ſua ſumit Status Politicus, quibus eo ſtudioſius invigilandum eſt, quo tectior eſt omnis Politica, quam cucullus & infula velant. De Religionibus ſingulatim ſcripſere *Brerewodus* in *Scrutinio ſuo Religionum*; *Alexander Roſſaeus* idem argumentum prolixius tractavit ſingulari libro, qui Anglica quidem lingua ſcriptus, poſtea

vero in Italicam, Gallicam, & Germanicam linguam conversus est. Liber est ille, quem ego caeteris praeferendum existimo, nisi fortassis aliqua debet Hispano, *Silvestro Marulli*, qui gentis suae lingua librum in folio scripsit ejus tituli; *Mare Oceano di Tutte le Religioni del Mondo*. Solent enim Hispani Scriptores, quod rarius ad nostram orbem deferuntur, describi interdum à nonnullis, cujus non pauca exempla mihi cognita sunt. Est & alius quidam Anglus *Eduardus Sandis*, qui ejusdem argumenti librum breviorem conscripsit, sed omnis quidem universi orbis Status Ecclesiasticus parum ad rei civilis & historiarum cognitionem valet. Nobis quidem, quibus Religio Christiana cordi est, nisi qua cum gentibus caeteris Mahomedanis, Paganis commercia intercedant, vel ob viciniam vel alias ob utilitates quasdam sunt negotia.

Christianae igitur Religionis status diligentius perquirendus est. Atque hic antiquus ab recentiori iterum distingendus est. Antiquus traditur tam in Scriptoribus Historiae Ecclesiasticae Graecis, qui aliquot voluminibus editi sunt; quam ab hominibus recentioribus, qui statum Regiminis veterem e Patrum scriptis praecipue ac gentilium nonnullorum monumentis collegerunt. Quorum in ordine princeps habetur *Baronius* in *Annalibus Ecclesiast*: quos continuavit postea *Spondanus*, post illum *Abraham Bzovius*, novissime *Odoricus Rainaldus* ad nostra usque tempora. Baronii Annales adortus est *Isaacus Casaubonus*, sed partem earum *Exercitationum* tantum absolvit. Adversus illum scripsit *Julius Caesar Bulengerus* assertor Baronii, adversum quem causam Casauboni assumsit *Richardus Montacutius* Scriptor Anglus, aliis quoque monumentis in historia Ecclesiastica nempe, *Originibus Ecclesiasticis*, *Apparatu ad Origines*, *Analectis exercitationum Ecclesiasticarum* celebris. *Rosweidus* Baronii assertor, nugator est, nihilque subsidii aut apparatus ad rem tam vastam affert. Sed haec omnia ad historiam potius, & ad Antiquitates Sacras spectant, quam ad statum Politiae Ecclesiasticae. Politiae Ecclesiasticae status sub variis temporibus considerari potest. Antiquior cognoscitur quam optime e Scriptoribus Conciliorum tam generalium quam particularium, Actis Ecclesiarum, Historiis Pontificum, Vitis Cardinalium, quorum Scriptorum magna est copia. De quibus omnibus speciatim hic differere nostri non est instituti. *Opus universale Conciliorum* edidit *Laurentius Surius* & *Severinus Binius*. Antiqua Galliae Concilia *Jacobus Sirmondus*. Hispaniae Concilia *Garcias Louysa*: Britanniae Concilia, leges & constitutiones in re Ecclesiastica uno volumine in Anglia edita. Conciliorum specialium plures sunt, quibus recensendis nunc supersedebimus, prae caeteris omnibus laudasse contenti *historiam Concilii Tridentini* a *Paulo Servita*, qui se *Petrum Suavem Polanum* vocat, conscriptam lingua primum Italica, ac deinde in Latinam conversam. Non dici potest, quanto adjumemto sit liber ille in cognoscendo statu Ecclesiastico superioris sacculi. Ingenue enim scripta est, ac latet magna prudentiae vis in ipso opere, habentque in illo velut thesaurum quendam prudentiae paratum Politices Cultores. Nam alter ille *Sfortias Pallavicinus* Cardinalis, qui eandem historiam scripsit, & in ipsa historia mendacissimus est & insignis adulator: Contra vero Paulus Servita subactissimi ingenii, quanquam monachus, tamen ad res maximas gerendas adhibitus, longe majore prudentia & fide, ut gessit, ita & scripsit. Collegit & *Joh. Sagittarius Zonaram* & *Theodorum Balsamon*, qui in Canones Apostolorum commentarios scripserunt.

runt. Pertinet & huc *Photii Nomo-Canon* cum *Commentariis Balsamonis*. Pertinent huc etiam acta Conciliorum specialia, quorum omnium Elenchum hic instituere nostri non est instituti.

Status Religionis Christianae noscendus porro est, prout hodierno tempore est, vel fuit illo, quod nostrum antecessit. Atque hic, qui in communi aliquid scripserit vel commentario accuratiori, vel etiam methodo compendiaria non facile invenitur, nisi quis *Auberti Miraei Commentarium Politiae Ecclesiasticae*, sive de statu Religionis Christianae per Europam, Asiam, Africam & Orbem novum, (qui liber denuo Helmstadii recusus) nominare velit. Sed is partibus Pontificiis addictus est, & vellem nos haberemus historiam non Pontificiorum tantum, sed omnium in universum Religionum, quas speciatim non pauci descripsere ita, ut ea potius, quae ad dogmata pertinent, spectarent. Historiam vero ipsam arcte inter se cohaerentem, inter eos paucissimi tradiderunt: quamvis assumi in subsidium hic possint, qui ut integram historiam Ecclesiasticam per saecula tractarunt, ita cum ad nostra tempora perventum est, ea nonnunquam afferant, quae ad Sectarum cognitionem spectant. Sed in labore generali non usque adeo accurate omnia minutiora possunt attendi, insignia etiam rerum momenta interdum negliguntur. Debet ergo historia Religionum speciatim comparari, ut Pontificiae, Lutheranae, Reformatae, sed ex iis autoribus, qui sunt fidei incorruptae, nec partium studiis addicti, quae & ipsa si falsa sint, veritatis historicae lux facile discutiet) in animo, altius paululum his doctrinis immerso. Caeterarum Sectarum historiam, nisi quantum etiam rei Politicae interest, non usque adeo accurate perlustrare viro civili datur.

Quod ad statum Pontificiae Religionis attinet, probe observandi sunt Autores, qui historiam Pontificum descripserunt, vel veterum vel hodiernorum, vel omnium, vel singulorum. Nam e veteribus ad statum praesentem colligere multa possumus, quam ejus status defecerit a priori, quas turbas olim dederit, quas nunc det & dare possit his vel illis rerum potientibus, hoc rerum statu, his circumstantiis, Politia Ecclesiastica. Quandoquidem vero omnia illa Sacra Pontificia vel politica veste ornentur, vel nihil aliud intendant, quam specie religionis omnia ad se rapere, hominibus imponere, pecunias corradere, viro civili potius spectanda sunt, quae ad statum civilem curiae Romanae spectant, unde vero illud negotium Religionis illius quidem dependet. Unde factum est, ut haec aula, quae Sanctitatis esse deberet, subtilissimarum nequitiarum magistra sit, & quicquid malarum artium in Rebusp. nunc habemus, inde potissimum dimanarit. Legendi hic sunt Autores, qui *de Primatu Papae* in utramque partem scripserunt tam e Pontificiis, quam e Nostratibus, inter quos novissime *Salmasius*, in cujus tamen scripto ab intelligentibus non pauca desiderantur. *Lipstorpius* in Monarchia sua Pontificia multa, quae ad historiam faciunt, collegit. Multae sunt insignes de curia Romana Relationes, peregrina potissimum lingua scriptae, e quibus una illa Legati Veneti, quam aliquoties nominavimus, optima est sui temporis. Noscendi sunt Scriptores, qui ea, quae jurisdictionem Pontificiam spectant, collegerunt, quale aliquod opus est *Goldasti*. Legi debent Conclavia, quae publicari solent post mortem singulorum Pontificum. Artes, quibus obtineri solent munera & imprimis Cardinalitiae dignitates, plures videas enarratas in libro, qui inscribitur *Cardinalismus*

lismus (Cardinals-Hut) Fraudes Pontificum, speciatim vero Alexandri VII. deteguntur libro, qui *il Nepotismo* inscribitur, qui nunc in linguam Latinam conversus est, ubi varii modi recensentur, quibus expilari solet fiscus Ecclesiae & patrimonium, & ad cognatos optima quoque munia Ecclesiae devolvantur. De Simonia curiae Romanae ipsi etiam Pontificii homines conqueruntur. *Carolus Molinaeus* multa circa illam rem scripsit. *Banckius* in *Taxa Cancellariae Romanae* plurima dignitatum, suffragiorum, sententiarum venalium, specimina proponit. Notandae hic sunt variae lites, quae Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, Rebusp. Principibus intercesserunt. Legendi Autores de Redituum Ecclesiasticorum jure & origine, de quibus *Achilles Tatius* & *Marcus Antonius de Dominis*, *Marsilius Columna* scripsere, qui Autores omnes quam maxime faciunt ad statum Politiae Ecclesiasticae, tam veteris, quam hodiernae cognoscendam. Addi illis possunt varii Autores, qui de juribus Ecclesiae Romanae ejusque privilegiis scripsere, inter quos nomino *Zanchium de privilegiis Ecclesiae*. Referendi huc etiam sunt Autores, qui historiam Juris Pontificii scripserunt, quamdiu illud a Pontificibus primum introductum postmodum autoritatem in foro acquisivit. Nam ex promulgatione eorum colligere licet, quomodo Pontificum potentia majora semper incrementa sumserit, ac sub jurisdictionem suam rapuerit nonnullos saepe invitos. De ejus Juris historia praeter Autores illos, qui generatim historiam Juris persequuntur, legendus est *Joh. Seldenus* in Dissertatione peculiari. Pontificiae Religionis historia perlustrari potest ulterius interdum secundum Regna atque gentes. Nam non paucae intercedunt vel Gallis vel Hispanis vel aliis Rebusp. cum Romana curia controversiae, tum de Juribus, Jurisdictione, Immunitatibus, tum aliae quaedam sunt, quae huic Religioni apud has vel illas gentes seorsim competunt. Ita de Gallicanae Ecclesiae Juribus & Privilegiis plurimi sunt, qui scripsere, Autores. *De antiqua libertate Gallicae Ecclesiae* scripsit *Jacobus l'Eschassier*; *Petrus de Marca* prolixum itidem de libertatibus Ecclesiae Gallicanae librum scripsit. Ut transeam plurimos alios Autores, qui Gallica lingua de eodem argumento in utramque partem disputarunt. Namque in Gallia non adeo semper servili obsequio coluerunt Pontificem Reges, ut Jura & Privilegia sua sibi eripi passi fuerint, ac pugnatum semper pro illis acriter fuit, ac minae nonnunquam objectae. Anglicae gentis statum Ecclesiasticum scripsit *Beda*; e recentioribus plures alii sunt, qui hodiernae Religionis statum describunt. Scripsit & Nicolaus *Hernsfeldius*, in eodem argumento, ac speciatim multa de Privilegiis Ecclesiae Cantuariensis. *Gonsalvus de Avila* libro Hispanice Scripto, cui titulus: *Theatrum Ecclesiasticum* Religionis apud Hispanos in singulis Civitatibus & Ecclesiis descripsit. Vitas quoque Episcoporum ac memorabilia ab illis gesta addidit. Siculae Ecclesiae antiquitates *Rochus Pyrrhus* lib. cui titulus *Notitia Siciliensium Ecclesiarum* descripsit; *Aubertus Chiraeus* notitiam *Ecclesiarum Belgicarum*, uti & *Guilielmus Jassellus* libro Gallica lingua scripto. Scripsit & *Ferreolus Lokkigius Chronicon Ecclesiastico-Belgicum*, ac *Sanderus Antiquitates Flandro-Gallicas* edidit. Addi etiam porro his possunt, qui historiam Ordinum & Collegiorum Jurisdictionis Pontificiciae scripsere, quorum cum sint multiplices, omnium historias nosse non est nostrum: sed eorum potissimum, qui rebus civilibus se immiscent, ac ad consortia Aulicorum negotiorum nonnunquam admittuntur. Sunt vero Ordines illi Sacri vel Militares, vel ad Cultum Divinum potissimum destinati.

Ordi-

Ordinum militarium plurimi ſunt, quorum hiſtoriam integro libro nobis deſcripſit *Franciſcus Mellaeus* libro, *de Ordinibus Militaribus*, & *Aubertus Miraeus* in *Originibus Equeſtrium Ordinum Militarium*. Inter ordines ſtatui Chriſtiano maxime ſe accommodant Equites Melitenſes, quorum ſtatuta & leges *Jacobus Boſſius*, in libro Italica lingua ſcripto deſcripſit. Videri etiam poteſt *Niederſlethius* in *deſcriptione Inſulae Malthae*. Non deſunt, qui de ſingulis ordinibus ſingulos libros ſcripſerunt, habentque quaelibet pene Regna Pontificiae Religionis tales Ordinis Sacri Equites, de quibus ſpeciatim differere noſtri non eſt inſtituti. Caeterorum Ordinum Divino Cultui deſtinatorum magnus eſt numerus, e quibus primas damus Ordini Jeſuitico, Societati, quae ex levibus initiis variis artibus ac fraudibus in magnam potentiam ſuccrevit, ut & ipſi Romanae ſedi ſit formidabilis, cujus tacita quadam conſpiratione id providetur, ne facile ad ſummas dignitates in Eccleſia Pontificia aſpirent: Multi ſunt de eorum technis libri conſcripti, inter quos praecipuum locum habet *Alphonſus de Vargas*; ne quid dicam de pluribus aliis Scriptoribus anonymis, qui illorum artes integris libris perſequuntur. Ac legi hic praecipue debet liber, cui titulus: *Monarchia Soliſorum*, qui *Scioppio* tribuitur, quo in libro mirifice deteguntur illorum mores, eorumque arcana produntur. Quibus Scriptoribus jungendi ſunt, qui de ſtatu Jeſuitarum in ſingulis Religionibus agunt: Multas enim paſſim turbas dederunt, ut expulſi publica ſententia fuerint e Venetiis, Gallia, Anglia, ac aegerrime reſtitutionem impetrarint. *Hiſtoriam Jeſuiticam* etiam *Hoſpinianus* ſcripſit, qui & de *Monachis* ſeorſim librum conſcripſit, quorum hiſtoria non adeo jam ad nos pertinet: illorum enim Societates non facile rebus Politicis ſe immiſcent; legibus illorum cautum eſt, ne faciant, quanquam non deſint in his ingenia aſtutiora, quibus ipſi etiam Politici in Legationibus, in Negotiorum Civilium geſtione utuntur. E quibus prae caeteris nominatur *Paulus Sarpius*, monachus Minorita, hiſtoriae Tridentini Concilii Scriptor, homo ſummi candoris, ſummae doctrinae ac prudentiae, qui negotia Venetae Reip. maxima prudentia geſſit, cujus vitam Gallica lingua habemus deſcriptam a quodam ejus ordinis homine. Poterunt illis addi Hiſtorici Epiſcopatuum, Archiepiſcopatuum, caeterorumque munerum Eccleſiaſticorum. Quae in univerſum quidam compendio deſcripſere, ut *Aubertus Miraeus* in *Notitia Patriarchatuum & Epiſcopatuum totius Orbis*. Quidam hiſtoriam illorum munerum ſecundum certas regiones perſequuntur: Ita *Maſſonius* ſcripſit *Notitiam Epiſcopatuum Galliae*. *Fratres Sammarthani Galliam Chriſtianam*; uti & *Buſquetus*, quibus libris prolixe de Succeſſionibus Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum agitur. *Ughellius* vaſtiſſimis voluminibus, quibus titulus; *Italia Sacra*, omnem hiſtoriam Eccleſiaſticarum dignitatum in Italia prolixe deſcripſit. Nec deſunt etiam caeteris Nationibus ſui Scriptores. Tenenda etiam hic eſt Hiſtoria Collegiorum & Monaſteriorum, quorum Annales a multis conſcripti ſunt, & praecipuorum quidem *Germaniae Monaſteriorum* Annales nobis dedit *Caſpar Bruſchius*. Notari tamen debent praecipuae inter Pontificios ſectae, quae cum variae ſint, praecipua tamen eſt illa, quae multas Eccleſiae Pontificiorum controverſias dedit, *Janſeniſtarum* Sectae, quae Janſenio Epiſcopo Yprenſi nomen debet. Ea non pauca e Calvinianis dogmatibus de Praedeſtinatione & Gratia Divina aſſumſit, eorum occaſionem ex Auguſtino capit. Autoritatem enim Pontificiam non leviter oppugnavit, quibus ingentia volumina oppoſuere Jeſuitae

non-

nonnulli; fuit acre tum in Gallia tum in Belgio inter eos certamen, donec Innocentii X. Bulla, quam confirmavit Alexander VII, damnati, ac Potentia Cardinalis Mazarini in Gallia oppressi sunt, quamquam illi lacertos movere denuo non desinant, cui ideo acrius adversantur Pontificia fulmina, quod dogmata ista non parum ad labefactandam autoritatem conferre possint, cum Rex Galliae ipse nonnunquam conniveat, nec acerbius in illam Sectam animadvertat. Caeteroquin non leves controversiae sunt apud Pontificios, tum inter certos quosdam Ordines, ac de certis quibusdam capitibus Religionis aut Traditionum, quae cum summam rei non attingunt, nullus inde Pontificio statui metus est.

Post Pontificiam Religionem Historia nostrae Religionis tenenda est, quibus illa occasionibus primum caeperit, quae ex *Sleidani* libro, tum *Chytraei Historia Augustanae Confessionis*, tum ex *Thuano* peti potest. Scripsit & *Sandys* Anglica lingua *de Discordia Ecclesiae Romanae & Protestantium* librum non indiligenter tractatum. Conferri hic etiam possunt Scripta ad Pacem Religionis spectantia, quae anno hujus saeculi 29. ac sequenti prodierunt. Hinc Reformatae Religionis Historia nascitur, quae prolixe secundum ortum suum & incrementum tum a Sleidano ac memoratis modo Auctoribus, tum ab *Hottingero in Historia Ecclesiastica* proponitur. Inter illos magna quoque est diversitas; differunt enim partim doctrina, partim modo gubernationis Ecclesiasticae Calvinianı. Quod ad doctrinam spectat, notum est, illos in Sublapsarios & Supralapsarios distribui. Controversiae etiam acerrimae inter illos intercesserunt magnis voluminibus agitatae. Eodem enim circiter tempore, quo apud Pontificios Jansenistica orta est, inter *Mosen Amyraldum* & *Claudium* Theologos Salmurienses, & *Fridericum Spanhemium*, & *Andream Rivetum* Theologos Batavos, hujusque socium *P. Molinaeum*, Pastorem Ecclesiae Sedanensis in finibus Galliae, super decreto Praedestinationis ac Decretorum divinorum Natura, Immutabilitate, Justitia ac Sapientia Divinorum Consiliorum, Salute Gentilium, viribusque hominis in conversione, simul controversia orta est, cujus capita integris libris sunt inter illos ventilata, Synodi habitae tum in Gallia, tum in Belgio. Postmodum multi Theologorum Reformatorum Gallorum *David Blondellus*, *Dallaeus*, *Crojus* easdem controversias resuscitarunt, & *Dallaeus* quidem peculiari libro; quem *Apologiam* inscribit, quibus dogmatibus, quanquam accedere quodammodo Protestantium dogmatibus videatur, ac ipsi etiam videri velint, longe tamen absunt, quod dijudicandum Theologis relinquimus. Ratione Gubernationis Ecclesiasticae magna etiam inter illos diversitas. Quidam enim formam aliquam veteris Hierarchiae Pontificiae retinent, una cum quibusdam Ceremoniis Ecclesiasticis. Talis Reformatae Religionis forma est in Anglia, ubi Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, Diaconi, more apud Pontificios usitato, distincti sunt. Alii vero omnes Episcopos omneque Episcopale regimen ut Anti-Christianum rejiciunt, quod penes sola Presbyteria, Classes, Synodos totam Ecclesiam esse volunt, omnes Ceremonias rejiciunt, Altaria, Imagines, Musicam Organicam, quales se singulari nomine *Puritanos* vocant. Atque haec religionis dissidia in Anglia fundus est malorum, cum quibus hactenus conflictatum est, & mire turbatum regnum adeo nobile, de quo legi potest *Georgius Hornius* in Tractatu *de moderno Statu Ecclesiae magnae Britanniae*.

Vi-

Videndus etiam Anglus quidam in Tractatu, qui inscribitur *Puritanismus Anglicanus*, & *Philatetes* aliquis in Commentario *de Moribus Scotiae*, *Salmasius* in *Defensione Regia cap. II.* Hinc frequentes illae controversiae natae sunt integris libris agitatae, Anglica praecipue lingua Scriptis, quorum aliqui partes Episcopalium, aliqui Presbyterianorum partes defendunt, quae lites ne nunc quidem sopitae sunt, tumultuantibus semper Presbyteris, eorumque partibus addictis, qui tamen vi majori coëercentur. Sunt & non unius generis Puritani. Aliqui admittunt quosdam Regiminis Ecclesiastici gradus, aliqui singularum Ecclesiarum Regimen independens esse volunt, nulliusque Ecclesiae aut Coetus judicio vel correctioni, multo minus excommunicationi esse obnoxium. Horum omnium species dari vix possunt, adeo enim multi sunt; in Anglia praecipue & Belgio, vocantur Independentes, vulgo Separatistae, Brownistae multisque aliis nominibus, vel ab Auctoribus factiosis, vel a dogmatibus ipsis inventis. Hae primariae sunt circa Religionem doctrinae, quarum Historia accuratior prodest Viro Civili, in momentis Status Politici dijudicandis, quoniam publice recepta sunt ista dogmata, ac aliquem in Statibus Politicis Christianorum Statum habent, vel Regimen quoddam Sacrum Politicum. Reliquae Sectae secundariae, Sociniani, Arminiani, Anabaptistae, Enthusiastae, qui cum per varia regna sparsa sint, nec Regimen aliquod inter se habeant, extra conspirationem aliquam clancularíam, non est, quod de illis multum laboret Politicus, nisi forsitan in illis Regnis, Imperiis ac Rebusp., quibus variae miscentur Religiones, aut in quam elanculum illae se penetrarunt. Sociniani, seu ut alias vocari solent, Anti-Trinitarii, vel novi Arminiani multas olim in Polonia turbas dedere, cujus Sectae Historiam *Hornbekius* nobis dedit in *Socinianismo suo confutato* sub libri initium, & in *Summa Controversiarum lib. VII.* Sed rectius eorum integra Historia haberi potest ex corpore librorum Socinianorum, quod non adeo pridem in Belgio, quanquam dissimulato loci nomine, prodiit. Multae enim sunt ibi Vitae Antesignanorum inter Socinianos, multa ex epistolis illis congestis discas singularia hujus haereseos arcana, nam omni ope id moliuntur, ut Statui Politico se ingerant, aut saltem Fautores Viros illustres acquirant. Hinc magnos Viros olim in Polonia sibi acquisivere, tumultus etiam excitarunt: post ejectionem vero e Polonia in Belgio sedem invenerunt, cum magno etiam Potentium Virorum applausu dogmata sua disseminarunt Sermone etiam vulgari ac plebejo. Nullus enim liber Socinianorum pene est, qui non sit in linguam Belgicam conversus, ac incidi ipse aliquando in Bibliopolium Socinianorum Amstelodami, in quo non nisi isti libri vendebantur; & quidem adeo illis animus jam accrevit, ut scriptis etiam jam provocare audeant Reformatae Religioni addictos.

Arminianorum, vel ut ipsi se appellant, Remonstrantium, aut Remonstrantico-Reformatorum Doctrina difficilius definitur. Texunt in sua dogmata subinde & mutant, tandem etiam ad ipsa Socini castra discedunt. Magnas in Belgio excitavit Secta illa Tragoedias, magnasque factiones, quarum adhuc durat memoria. Ejus causa Synodus Dordracena coacta est. Ejus historia habetur passim in libris Reformatorum apud *Nicolaum Vedelium* in *Arcanis Arminianismi*, *P. Molinaeum in Anatome* Arminianismi, Hornbekio in *lib. VIII. Summae Controversiarum.*

Anabaptistarum factio multas olim Tragoedias in Germania ac Belgio excitavit, quibus si Enthusiastas annumeres, innumera pene sunt genera, ut nomina, quibus appellari possint, vix invenias Eorum Historiam Universalem singulari diligentia collectam nobis dedit *Joh. Henricus Ottius*. Post Ottium Petrus Jacobus, *Sylvius* & *Abrahamus a Poresta* in *Corpore Controversiarum Anabaptisticarum*. Hornbekius ita distinguit eorum dogmata; alia esse communia omnibus Anabaptistis, alia singularia Sectis certis, alia Doctoribus quibusdam propria: Enthusiastae nunc ab Anabaptistis separantur, quorum varia pro diversitate Sectarum sunt dogmata, pleraque enarrata & confutata a *Philippo Mariceio* in libro Belgico *contra Enthusiastas*, a *Spanhemio* in *Dissertatione contra Anabaptistas*. Nec in Christiana tantum Religione, sed etiam in Ethnicismo tam veteri quam recentiori Sectae cujusdam Enthusiasticae invenias vestigia, ut facile integro libro doceri posset. Multi sunt inter illos, quorum nomina libro laudato distribuit Ottius, tum secundum doctrinam ipsam, aut nomina eorum, qui professi sunt doctrinam, tum etiam secundum Alphabeti Ordinem distinguunt. Inter eos notissimi sunt *David Joris*, de quibus *Ubbo Emmius* in libro Belgico *de Spiritu David Joristico*, ac alii nonnulli recentiores Henrici Nicolaitae, sive ut ipsi se appellant, familia charitatis, orta ab *Henrico Nicolai* Monasteriensi, qui anno Christi 1556. nova paradoxa a Gabriele Angelo, ut ille fingebat, sibi tradita proposuit, vide de illo *Hornbekius lib. IX. Summae Controv. p.* 394.

Weigeliani a Valentino Weigelio ita appellati, qui partim e Platonicis Scriptis, partim e Paracelsi monstrosis dogmatibus novam quandam Philosophiam & Theologiam commenti sunt, cujus innumerae sunt absurditates, sed magno applausu a Chymicis, plebejis quibusdam hominibus atque superstitiosis accepta est. E nostris illorum dogmata recensent & refutant *Nicolaus Hunnius* libro: Von der neuen *Paracel*ſiſchen und *Weigelianiſ*chen Philoſophie. *Thummius* in *futilitate Weigeliana*. E Reformatis *Hornbekius* libro *de Paradoxo & Heterodoxo Weigeliano*, & *Crocius in Anti-Weigelio*. Quatuor Fratres Roseae Crucis, a quodam *Rosenkreuzio*, Nobili Germano ita dicti. Illorum hominum dogmata eadem pene sunt cum Weigelianis, nisi quod absolutam physici arcani doctrinam pollicentur, Universalem Medicinam, Chrysopoeiam & similia: ac invenerunt illa Hyperaspistas suas homines etiam literatos, quibus impositum fuit libris in publicum haec edere; sed omnes illae imposturae fuerunt. Ac legendus est *Andreas Libavius* in *Examine Philosophiae* nomine & consideratione *in famam Fraternitatis* Videndus etiam est *Naudaeus* peculiari Epistola ad Gassendum scripta, quae in Operibus Gassendi reperitur, in qua imposturas illorum hominum detegit.

Huc referendi sunt, qui docent, nullam hodie in terris reperiri veram Ecclesiam, sed omnes coetus visibiles apostaticos esse autumant. In Anglia Quaerentes & Exspectantes vulgo appellantur. Similes his sunt, qui ab Anglis Antisectarii vocantur, qui omnes Ecclesias visibiles Anti-Christianas, iisque adhaerentes Sectarios & Babylonios vocant, omnes Theologorum libros damnant, iis exceptis, qui quodammodo illorum Sectae favere videntur, ut Thomas de Kempis, Joh Taulerus, Jacobus Böhmius, in Scriptis suis. Ad Enthusiastarum Classem etiam Libernos nonnullos vocant, qui nullis Divini Verbi regulis ad certae fidei professio-

nem

nem se adstringi patiuntur. His affines sunt Sceptici, qui omnia in dubium vocant, Deum asserunt esse essentiam aeternam, ejusque existentiam e lumine Naturae sciri posse credunt. Caeterum an sit ulla Providentia Dei circa res humanas, aut ulla aliqua religio certa, dubitant. Scripturam Sacram eodem loco habent, quo Historiam Livii, Taciti &c. Ex eorum Classe est, qui nuper scripsit *Tractatum Theologo-Philosophicum*, qui Judaeus Apostata nonnullis creditur, ac *Spinosa* vocatur, quem librum adeo impune legi miror, Atheismi enim plenus est. Huc spectant Scripta *Pomponatii*, *Vanini*. *Jordanus Bruno* an huc referendus, ambigo. Sed hi homines ab Atheis vix differunt, quanquam rectius alio nomine Naturalistae vocentur, quorum Sectae adeo multae sunt, qui nomen dixerunt, ut numero caeteras omnes superare credam. E veteribus Lucretium & Sextum Empericum praecursores habent. E recentioribus multi sunt, qui peculiaribus libris dogmata ea stabilitum eunt, quibusdam interdum dissimulatis, aliis vero dogmatibus nonnullis immutatis. Inter recentiores praecipuus forte ille liber est *Bodini* Manuscriptus hactenus; sed qui raro ad Doctorum manus pervenire solet, unde argumenta etiam depromsisse volunt nonnulli eum, qui famosi istius libri *de tribus Impostoribus* autor est, quanquam de ejus existentia multi dubitent, ac ipse quidem *Grotius* lidro *de Veritate Christianae Religionis*; *Digboeus* in *Annotationibus* Anglica lingua scriptis super *Religionem Medici*, *Bernhardinum Ochinem* pro Autore habet. *Bodini* liber sive *Dialogus inter Judaeum*, *Paganum*, *Mahumedanum* & *Christianum* servatus fuit in Bibliotheca quadam Monasterii alicujus in Gallia, unde in lucem protrahere pro Regina Sueciae Christina ope Claudii Sarravii, testibus ejus nonnullis epistolis, laboravit *Isaacus Vossius*. Sed alibi ut andivi, accepit illum mille aureis redemtum. Ipse quoque *Campanella Atheismum Triumphantem* scribere voluisse dicitur, sed periculum veritus, Atheismum Triumphatum scripsit, in quo argumento utriusque partis duplici paginae latere Parallella sibi statuit. *Herbertus* in libris suis nil aliud profitetur, quam Naturalismum, & nunc pene inter praecipuos Autores est, quem sequuntur & observant illi homines. Possunt & his Anti-Scripturarii, quos vocant, accenseri, quanquam tamen illi eo differant, quod libros Scripturae Divinos ac infallibilis Autoritaris a Prophetis & Apostolis scriptos esse credant; Sed illis, quos habemus, fidem & autoritatem ob varias, quas in illis agnoscunt, corruptelas, derogant. Graecorum Religio caeterorumque Orientalium late etiam patet. Ac Graeci quidem in multis dogmatibus cum Romana Ecclesia conveniunt, in multis vero vehementer discrepant, ut patet ex *Actis Concilii Florentini* anno hujus saeculi 59. in Belgio in fol. editis, & *Christophori Angli*, Graeci, libello *de Statu & Ritibus hodiernorum Graecorum* primum in Anglia Graeco sermone conscripto, anno hujus saeculi octavo, ac postea anno 1655 Dantisci a *Fhelavio* edito. Quod vero Pontificii jactant, & *Leo Allatius* magno *de Ecclesiae Orientalis atque Occidentalis perpetua consensione* stabilire conatus est, Graecorum Ecclesias non nisi in quibusdam ritibus a Latinis discrepare falsum est, quanquam nunc in quibusdam mitiores sunt Graeci, quam fuerunt olim. Nec minus etiam illud verum est, quod Reformati suum cum Graecis consensum jactent, provocantes ad *confessionem Cyrilli Lucaris*, Patriarchae Constantinopolitani, ac melius sane illis cum Lutheranis convenit. Graeccorum Se-

ctas XI. numerat *Brerewoldus in Scrutinio Religionis cap. 42. Petrus Bellonius* in Tractatu *de Moribus & Religione Graecorum & lib. I. Observat. cap. 25.* vide etiam *Antonium Possevinum* in *Relatione de Rebus Muscoviticis*, *Chytraeum* in Tractatu *de Statu Ecclesiae in Graecia & Asia*, *Martinum Crusium in Turco-Graecia*, *Bernhardum Varenium* in brevi *Informatione de diversis* Gentium *Religionibus*, cum ejusdem Descriptione Regni Japoniae edita *pag. 245. & seqq. Hornbek. lib. II. Sum. Controvers. Hottingerum Part. V. Hist. Ecclesiast. Orient. Cap. 4. Bulayon* in *Itinerario* Amstelodami lingua Belgica edito *part. I. cap. 3. & 32. part. II. cap. 57. & 59. part. III. cap. 16.* Consulenda etiam praeterea sunt Itineraria novissima: nam magna in Statu Ecclesiastico etiam illic per suas aetates est variatio, *Petri della Valle* & *Herberti Itineraria*, sed vernacula lingua scipta. (Nam versiones sunt mutilatae) facem hic praeferent. Atque haec de Christiana Religione dicta sunto.

Mahumetismus Religio plane Politica est, astutiis & fraudibus introducta, iisque dogmatibus firmata, quibus fulcitur salus Imperii Turcici. Est vero illa e Judaismo & Christianismo velut mixta. De eorum dogmatibus integri libri sunt conscripti, tum Itineraria accuratiora memorant, videantur *Eduardi Pokokii notae* ad *Gregorii Alcufarii Specimen historiae Arabicae p. 53. & 301. Hottingerus lib. II. hist. Orient. Cap. 3. Sect. 3.* qui plenius se illa in Theatro Mahumetico tractaturum promisit. Legi etiam potest *Theodoricus Hockspanius*, in libro, cujus titulus; *Fides & leges Mahumedis*, item *Christophori Besoldi Consideratio legis & Sectae Saracenorum. Voetius in Disputatione de Mahumetismo*, qui ipse plures autores recenset in *Bibliotheca sua Theologica lib. 2. cap. 5.* Videndus etiam *Hornbekius* in libro toties laudato. Ex itinerariis novissimum est, quod Anglica lingua conscriptum est, nunc vero in Germanicam conversum, *Pauli Rycautii*, Secretarii Legationis, qui omnem eorum statum Religionisque cum statu Harmoniam ad leges prudentiae Politicae sic satis accurate examinat. Ante illum magno numero & libri & Itineraria scripta sunt, sed optime ex illis eligendi, quae a Viris prudentibus prodiere; in quorum numerum referri debent *Busbequii Epistolae*. Alcoranus, qui capita fidei ejus continet, nondum Arabica lingua impressus est, nisi quod particulam ejus *Erpenius* & *Golius* ediderunt, qui & ipsi integram ejus editionem moliti sunt, sed irrito conatu. Inter Versiones ejus Latinam, Germanicam, Hispanicam, Italicam, Belgicamque Gallica optima est, quanquam & illa non ubique fidem mereatur. *Manuscriptum Arabicum* habet *Christianus Ravius.* Paganismus etiam maximam Orbis terrarum partem occupat; de quo speciatim differere res esset nimium operosa. Secundum enim gentes variant, ac multi omnino sunt, qui plenius hoc quidem libris executi sunt. Quod enim ad Sinenses attinet, illorum Religio passim in itinerariis tam veteribus, quam novis descripta est, & aliqua de iis sparsit in libris suis *Martinius*. Indorum Religionem Belgica lingua nobis exposuit *Rogerius*, quem in Germanicam linguam convertit cum additione notarum utilissimarum *Christophorus Arnoldi* Professor Altorfiensis, libri titulus: Eröffnete Thür zum Heydenthum. Sed nune per Indiam & Asiam propagata est mirum in modum Christiana Religio, quae altius etiam caput extulisset, nisi quaedam dominationis suspicio apud gentes Sinenses & Japonenses praecipue orta, omnes illos conatus suppressisset, sed gliscit tamen adhuc plurimorum in animis Chri-

Chriſtiana Religio. Ejus propagationis hiſtoria ſingularibus libris a partibus Societatis tradita eſt, quorum Epiſtolae extant uno volumine comprehenſae. De *China peculiaris* eſt *liber Alexandri* de *Rhodis* in Societate Jeſu; extant peculiares ea de re Relationes Adami *Scalſeu*, ut alii vocant *Scaligeri* (qui primus fuit in aula Sinenſium miniſter Jeſuita) non ita pridem editae. Mexicanorum atque Peruvianorum Religionem deſcripſit ex illa gente praecipuus quidam Vir ac e Regia familia *Garcilla de la Vega*, cujus liber eſt Peruviano ſermone; in Hiſpania ex Hiſpanico in Gallicum converſus eſt. Accuratior in eo traditur omnis hiſtoria Mexicana a primo origine usque ad Attabalipam Regem Mexicorum ultimum ab Hiſpanis devictum. Mira eſt hic ejus cum Religione Sinenſium convenientia. De Braſilienſium Religione prolixe *Barlaeus* in *deſcriptione rerum in Braſilia ſub Mauritio geſtarum*. Atque hi quidem praecipui ſunt Scriptores, de quibus harum Religionum notitia peti poteſt. Caeterarum vero gentium Religio non eſt adeo accurate cognita, niſi quod generalis quaedam & confuſa Dei notitia omnibus etiam gentibus fuerit, quod movit Fabricium, Theologum Heidelbergenſem, ut cauſam Gentilium contra Atheiſmi calumniam ſuſciperet refutans Herbertum, qui gentes totas Atheiſmo infectas ſe reperiſſe, itinerario ſuo atque aliis ſcriptis teſtatur. Legatur etiam ſuper hoc negotio *Hornbekii* liber *de Indis ad Religionem Chriſtianam convertendis*, poſt mortem Autoris editus, ubi multa continentur earum rerum, quae de Religione Gentilium ſecundum varias mundi partes apud Hiſtoricos & Itinerariorum Scriptores habentur. Id quidem certum, pene ſextam terrae partem occupare Paganiſmum, & extra Europam plurimis in locis imperium obtinere: alicubi Mahumetiſmo miſcetur, alicubi Chriſtianiſmo, ita ut vel Mahumetiſmi vel Chriſtianiſmi ditioni ſubjaceat. Habemus in Europa in quibusdam provinciis Imperii Suecici, videlicet in Lappia, Biarnia, Carelia, Schrikfinnia & Septentrionalibus finibus Finnomarchia, ſparſim & Lithuania & Samogetia Polonici Imperii provinciis non obſcuras Gentiliſmi reliquias, adeo ut quidam Vir doctus aſſerere non vereatur, permanaſſe ex Septentrione omnia Deorum & Dearum nomina, omnem cultum Idololatricum, atque inde ad Graecos & Romanos perveniſſe. De eo plenius nos edocebit *Schefferus* in *Antiquitatibus Lapponiae*, quae proxime lucem aſpicient. Harum Religionum ac Sectarum cura Politico eſſe debet, ob ſtatum Regiminis, qui maxima ab earum vel inſtitutione, vel variatione momenta capit. Ubi praecipue atque prae aliis Pontificiae Religionis ſtatus, ut jam ſupra diximus, conſiderandus eſt. Inter Chriſtianas etiam ſectas, quae imperii participes ſunt, princeps eſt fulta regulis ac axiomatibus, quae rerum novarum molitionibus cauſam dare poſſunt. Quorſum ſpectant quorundam Ordinum inſtituta ac dogmata iis familiaria, de Principibus heterodoxis e medio tollendis, de fide haereticis non ſervanda, de aequivocationibus, quae in ipſo Satanae ludo excogitata. Pro reducenda Hierarchia, univerſalia propria Societas Jeſuitica invenit, ac ipſa praxi variis in Rebuſp. confirmare voluit. Huic adjungenda merito eſt Reformata, quae in ditionibus Anglicanis & Belgicis regnat: in aliis vero Regnis & Rebuſp. ſucceſſu temporis & admiſtione aliqua tacita robur acquiſivit, quae Politicis quibusdam axiomatibus inſiſtens non exiguas etiam turbas dedit. Quam ob cauſam nulla inter omnes ſectas magis exoſa eſt omnibus Pontificiis, quod Hierarchiae ſuae machinationibus quibuscunque aptatis clandeſtinis obſiſtat. Graeca Religio regnat in Moſcovia, Ruſſia alba, Wallachia, Moldavia

&

& apud Cosaccos. Sed in plurimis Orbis partibus Muhamedanae Religionis directioni subest. Muhametismus post Paganismum praecipuam Orbis terreni partem occupavit. Ea Religio plane Politica est & transferendo Imperio apta, ut annotavit inter alios *Trajanus Boccalinus Relatione ex Parnasso part. 1. cap. 66.* ac plurimis documentis confirmavit *Forstnerus ad Annales Taciti lib. IV. p.* 343. Ex omnibus Orbis Religionibus Christianam securitati Imperantium accommodatiorem esse ostendit quidam *Besoldus adversus Machiavellum lib. Synops. Polit. plenioris cap.* 2. Quod sic tamen de omnibus Christianae Religionis Sectis dici non potest. De Lutherana idem quidem verissimum est, quod nec ipsi negare adversarii audent. Graeci quoque modesti adversus Superiores sunt; sed Pontificiorum Religio, de qua praecipue asserit id Machiavellus, ut cum Tyrannide nata est, ita ejus tyrannidis stabiliendae atque propagandae idonea semper sibi format instrumenta, qualia sunt dogmata illa, de quibus modo diximus. Item arrogantiae Imperii sive directe sive indirecte in Principes Christianos eorumque bona, quin & in infideles, aut quos illi habent haereticos. Item exsolutio subditorum ab obedientia Magistratuum praestanda, Confirmatio Imperatorum, Regum, eorum excommunicatio & infinita alia, quae novis semper disputationibus Canonistae extendere norunt. Quam ob causam ipsis etiam Pontificiis Magistratibus suspectae eorum Machinationes sunt. Anabaptismi genium satis quidem habemus cognitum ob turbas maximas, tum in Germania, tum in Anglia notas. Sed de his omnibus plura dicere supersedemus, cum & supra non pauca ea de re dixerimus, nec adeo illa in vulgus incognita.

CAPUT IX.

De Politicorum Argumentorum Scriptoribus Specialibus Historicis.

Pertinent ad Historiarum cognitionem Statusque Politici non solum generalis quaedam Historia integri cujusdam populi vel Reip. Sed etiam specialis harum rerum, quae in Rebusp. aguntur, aut specialis cujusdam formae Regiminis, Bellorum, Pacis, Seditionum, Tumultuum, Mutationum, Reip. Ruinarum similiumque, e quorum omnium accurata narratione a prudentibus Viris instituta, multum haurire sapientiae Civilis possumus. Multa enim ex ipsis quasi rerum visceribus oriuntur momenta, quae homini in generalibus praeceptis versanti, non obveniunt, experientia magistra primum notanda, atque ad usus Civiles transferenda sunt. Sic qui Reip. instituendae velit historiam, si Romanam inspexerit, magnum instituendae in omnibus ejus formis exemplar, quod subministrat ex Romanarum Historiarum Scriptoribus *Livius*: Neminem enim habemus, qui hujus Reip. initia gravius pleniusque persecutus sit.

Hunc si legamus, & lectioni ejus quasi Ducem praeficiemus *Machiavelli* peculiares *Dissertationes in hanc historiam*, magna nobis circa constituendum statum, circa leges fundamentales, circa commoda Reip. lux orietur, quam non facile aliunde habebimus.

Hu-

Hujus Imperii mutationem in Monarchiam, postea que in quandam Tyrannidem, ejusque mutationis occasionem, Imperiique sic mutati Tyrannicaeque Dominationis arcana ob oculos nobis ponit Tacitus, cujus perspicacissima prudentia dolos atque insidias Tyrannici Regiminis affectatorum detexit. Hujus enim Politices mira quaedam in ea reconduntur arcana. Falsi etiam sunt, qui omnem etiam Prudentiam Civilem omni statui accomodatam ejus historiam contineri existimant, quem errorem luculenter *Casaubonus luculenta* illa *in Polybium praefatione* ostendit, postque eum *Conringius* ac *Scioppius* quoque in suo *de stilo historico judicio.* Ipse alias homo nequam, ut nequitiae Magistrum e manibus juventutum excutere laboret, haederam interim suspendens Machiavello praecepta danti nequitiae, cujus Tacitus exempla recitaverat. Huic jungi potest *Sallustius*, cujus est historia civilium motuum, qui originem dedere conversioni Reip.; legi quoque possunt *Suetonii* quorundam Imperatorum descriptiones, praecipue *Julii Caesaris*, qui primus in eas cogitationes rapiendi ad se Remp. venit, quae passim ex historia ipsa elucent, earumque non obscurum dedit initium Zevecotius in notis super hujus Imperatoris vita iis, qui de bello & pace deliberant. *Thucydides belli Peloponnesiaci Scriptor* utilis est, & Sallustius hujus imitator, qui non stilo solo, sed & argumento ipso eum Auctorem imitari contendit. Iisdem inservire possunt *Arrianus* in *expeditione Alexandri M. Curtius*, *Julius Caesar* praecipue, qui res a se gestas ipse enarravit, non rerum istis momentis neglectis, qui comitari has Actiones solent. Qui ulterius nosse volet ea, quae ad materiam belli ac pacis spectant, conferat omnium gentium Historicos speciales; unde argumento huic magna lux oriri potest. Atque ii Autores prae caeteris singulari studio legendi, quoniam omnia Rerump. momenta comprehendunt, multa de Juribus Regum ac Rerump. docent, de utilitatibus, simultatibusque, quae maximorum dissidiorum ac foederum causae sunt. Ita de bellis Italicis nostrorum temporum, vel proxime superiorum magna est librorum copia scripta, qui Statuum Italiae conditionem ob oculos nobis ponere possunt. Quos Autores nemo diligentius enarravit, quam qui sunt consignati in *Bibliotheca Cordesiana*, sub titulo: *Historiae Italicae Scriptores*, habenturque hi Autores tam Latina quam Italica lingua scripti, qui de bellis atque dissidiis vel Principum, vel Comitum, vel Urbium & Rerump. prolixe inter se omnia recensent. Recensentur Historiae conjurationum, seditionum, quae mirum in modum utiles sunt ad Doctrinam Politicam. De Rerump. mutationibus atque de vitiis earum tum in constitutione, item in administratione. Ex iis enim prudens Politicus velut Medicus ex paroxismis quibusdam morbidis de Temperatione totius corporis, de Constitutione universae Reip. judicat, hincque magna utilitas illis, qui Magistratum obtinent, accedit, quod emendare similia vitia in suis Rebusp. possint, aliorum exemplis commoniti. De *seditionibus* generatim scripsere *Conradus Brunus*, *Ludovicus Foscerus* de remediis, fortunis seditiosorum, *Bernbardus Graffia de turbulentia civium*, postque illos *Martinus Schokius* de *Seditionibus*, sed qui priores illos non vidit. Is Autor cum hoc argumentum per omnes Resp. deduxerit, historico-politica emendatione utilis esse potest iis, qui ex specialibus Autoribus omnia addiscere non possunt. Sed tamen qui speciales Seditionum historias tractant, luculentius omnia persequuntur, in primis si viri sint Civilis Prudentiae gnari ac judicio practico praediti. De motibus Italiae multi sunt,

Scriptores, qui singulari prudentia civili hoc argumentum tractarunt, ut qui de motibus Neapolitanis scripserunt, tam de iis, quae ante aliquot saecula, quam quae novissime contigerunt. Sic ex historia de rebus gestis inter Venetos & Pontificem, quam descriptam nobis dedit *Petrus Sarpius*, lingua Italica, multa discas Pontificii status arcana, quae ille vir prudentissimus libro illo detexit. Sed omnes illorum Autores bellorum gestorum seorsim exponere, aut eorum elogia hic afferre, non est res nostri iam laboris, sed qui generales tantum fontes subministrarunt, unde haurire poterunt, qui ad studia Polico-historica specialiora se accingunt. Similiter Pacificationem historiae magnam faciunt partem in cognoscendis Reip. interioribus secretioribusque momentis. Æque enim ex illis illa discuntur, quam historicis bellorum ac seditionum. Quare operae pretium quis fecerit, si omnes Pacificationes, sive pacis Instrumenta, ut vocant, uno volumine collegerit, illos vero Autores, qui historiam conscripsere prae caeteris legat; sed paucissimi sunt, qui ordinum eorum historiam persequuntur. Apud veteres Historicos illustre exemplum habemus foederis Romanorum cum Antiocho initi, sed ejus tantum summa capita enarrata sunt tum a Livio, tum a Polybio, quae si quis diligenter excusserit, multa inveniet tum ad jus belli explicandum, tum ad statum Reip. Romanae apud foederatas & vicinas gentes ostendendum facientia. Super illud legi potest peculiaris Dissertatio *Boecleri*. Similiter exstant apud Polybium capita foederis Romanorum cum Atolis & eorundem cum Carthaginensibus, sed ut dixi plerique etiam Principes historicorum brevi summa notasse contenti formulas ipsas suis operibus inserere alienum fore duxerunt, cum tamen accurata eorum consignatio fieri deberet in historiis. Quo fit, ut hujus generis pauca exempla reperiantur, eam ob causam consectanda atque expendenda diligentius. In Antiochi foedere Boeclerus non pauca habet; quae monet super singulis capitibus. Inter recentiores exemplum habemus *historiae pacis* inter *Ludovicum XIV. Galliae Regem* & *Philippum* IV. *Hispaniae Regem anno* 1659. initae, moderatoribus Cardinali Mazarino & Ludovico Mendéz de Haro, primariis Regis utriusque Ministris. Eam Comes *Galeatius Gualdus* Italica lingua descripsit eleganter quidem, ut omnia ejus actus momenta diligenter enarraret, Controversias omnes, Disputationesque occasione hujus actus ortas, earumque occasiones atque decisiones sedulo perpenderet; eam in Latinam linguam convertit *Petrus Axenius*. Optandum esset, ut ad ejus instar plurium Pacificationum historias haberemus tam accurate scriptas. Utinam pacis Germaniae historiam nobis adeo utilem in statu Germaniae acturis, publicis disputationibus pernoscendis, integram haberemus. Nam certe, uti Boeclerus recte laudata saepius dissertatione, legimus, repetimus, adoramus Capita & Leges hujus pacis; Consilia pacificentium, Momenta Deliberationum, Molimina Disceptationum, Desideria, Artes, Successus, aut Impedimenta concurrentium aut incurrentium partium plerumque ignorantur. Nec sane effecerit, ut minus illam desideremus, cum tricabilitatibus suis *Commentariis*, *Burgoldensis*, cujus hominis mire scribacis ad Instrumentum Pacis notae prodiere, sed in quibus pauca alicujus frugi reperias, Prudentiae Civilis nihil, historiae, quae ad pacem illam spectat, parum, digressiones vero infinitas, omnesque Juris Publici controversias ab ovo repetitas, aut per lancem Satyram quasi tractatas. Paucillae illae *epistolae*, quas *Christophorus Forstnerus* de negotio hujus Pacis publicavit plus Prudentiae Civilis bonaeque rei continent, quam vasti illi Burgoldensis Commentarii. Tanti interest, an in ingenia culta, an vero jejuna alicujus argumenti tractatio incidat. *Epistolae Mompelgardi prodierunt*

runt 1656 ad Scipionem, Scaligerum, Joh Frischmannum aliosque legatos missae. Quaedam bellorum & pacificationum historiae indicio nobis sunt, quomodo ex contemperatione Reip. cum vicinis judicium formari possit de statu illius, saltem illo tempore, quo res tales gestae sunt; ita ex Legibus domi natis quorumcunque temporum statum perdiscere possumus, cum illae sint quasi facultates quaedam & potentiae animae, unde quemadmodum de toto corpore, ita de tota societate judicium formari potest. Uti enim in Rep. instituenda prudens Legislator respicere ad Reip. statum debet, debet enim nosse 1.) objecta legum ferendarum, locum, regionem, situm, victum, commercium &c. 2.) quomodo illa institui debeat 3.) qua dirigente causa; 4.) quem in finem; ut haec requisita ipse praescribit Aristoteles: ita fieri non potest, quin ex legibus ipsis jam latis aliquam ejus Reip cognitionem habeamus. Quanquam & hoc sciendum est Viro prudenti, ex una aliqua lege judicium formari de tota aliqua Republica non posse. Est enim quorundam Legislatorum magna imperitia: quorundam populorum ista est barbaries, ut cum artis Politicae ignari sint, ad singula in Republica constituenda momenta non respiciant: Sed elucent tamen illa ipsa vitia ex legibus ipsis, & deprehendi illa naturali quadam consequentia possunt, demonstrari satis potest ex legibus istis, quas Gothi, Longobardi, aliique populi durante barbarie, sibi posuerunt. Est vero ista disciplina judicandi statum ex legibus adeo praeclara & utilis, adeo etiam rara, ut nemo hactenus extiterit, qui argumentum suscipere ausus fuit. Quam sunt praeclarae leges Haebraeorum, quae in Mosaicis libris exhibentur, nemo tamen hactenus repertus est, qui Politicam illarum legum prudentiam ostenderit. Nam quod *Seldenus* libro *de Jure Naturae secundum disciplinam Haebraeorum* commentatus est, ea non tam pertinent ad statum ejus gentis Politicum ac societatem Civilem, quam ad fundamenta Moralia, e quibus quaedam leges eorum generaliores promanant.

Leges Romanae omnium sunt decantatissimae, sed nemo est e toto Leguleiorum numero, qui Politice illas examinaverit aut demonstraverit, quomodo ad Reipublicae eorum temporum formam quadraverit illarum vel institutio vel abrogatio. Specimen instituendae talis analyseos dedit nobis *Conringius Dissert. ad Legem I. Cod Theodos. de studiis liberalibus Urbis Romae* & *Constantinopolis*, cujus si similes labores haberemus, multum sane interesset rei Politicae specialioris. Ac si quis ista suscipere velit, magno illi usui esse poterit historia Juris Romani & legum conditarum, quanquam mutilam illam habeamus & valde imperfectam. Nec minus in Jure Pontificio continentur multa status Hierarchici secreta, ac praecipue in Decretalibus, ubi multae dominandi artes occurrunt, ita a Pontificibus insinuatae, ut ad Hierarchiam suam formandam, ad Tyrannidem stabiliendam paulatim via sternatur Porro & in quibuscunque juribus earum gentium, quae communiter in Civili Jure utuntur, observari potest status illius Reipublicae, cui leges scriptae. Neque enim de caeteris juribus dicam, vel ex solo *jure Lubecensi* patet, accommodatas esse leges securitati commerciorum. In quo enim a jure civili Romanorum abeunt, nulla deprehendi potest alia differentia, quam quod commerciorum gratia talia statuta fuerint. Atque haec quidem sunt praecipua Civilis Doctrinae capita, e quibus Historici prae caeteris arcaniora deducunt. Politici quoque ex iis, qui historias singulares scripserunt eorum actuum multa discere possunt, quae status publici cognitionem spectant. Caeterum plura sunt alia Doctrinae Politicae capita specialiora, quae non minorem intelli-

ligentiae Politicae lucem accendere possunt. Ita ad status Aristocratici naturam perdiscendam, commoda & incommoda proderunt Autores, qui historiam Nobilium Familiarum omni in gente scripsere, vel generatim vel speciatim, quales multi sunt praecipue in historia Gallica. Pertinent huc Autores, qui historiam de Jurisdictione, Territoriis, Vectigalibus, Reditibus hujus vel illius Regni aut Reip. scripserunt. Item qui de Natura Loci ac Situ Regionum certarum Commentarios ediderunt. Pertinent huc summatim omnes, qui in Rep. contingunt actus tam Belli quam Pacis. Hi enim sunt praecipui Reip. status, super quibus meditari viro prudenti multa licet, quae ad secretiora ejus spectant. Praeterea omnis illi actus speciales aut negotia, quae in Rep. tractari solent, ac super quibus extant doctissimorum virorum Commentationes, mirifice ad Doctrinae Civilis interioris arcana detegenda faciunt, quorum in numerum referendi sunt, quos superius laudavimus, Observationum Politicarum Scriptores, non illi quidem, qui per modum locorum communium farraginem aliquam axiomatum congessere, ut *Richterius Choxierius*, *Danaeus*, similesque, sed qui certa actionum momenta ex optimis Historiae Scriptoribus eruta ad Civilis Doctrinae principia vocarunt, eaque accuratius, perpensis omnibus circumstantiis, adque ipsum illum τύπον πρακτικὸν qui sese in historiis exercere solent, exegerunt. Ita *Boeclerus* tum *in Dissert. Academicis*, quas publicavit uno volumine, tum in aliis, quae seorsim editae sunt, testatissimum fecit, quid Doctrinae Civilis in Historiis lateat. Sic ad Cornelii Nepotis Thrasybulum cap. 3. pulcre *de Amnestia* differit ad locum *Taciti lib.* II. *Histor. c.* 20. de elegantia moris civilis & aulici, ad 13. *Annal. c.* 6. de Auspicio *Regio ibidem c.* 3. de Reip. notitia capienda, quae est inter praestantissimas ejus Dissertationes optima. Sic in *Legatione ad Cajum*, quam *Philo Judaeus* descripsit, multa graviter monet, quae ad Legationis secretiora spectant; Commentationibus ad lib. IV. Flori multa habentur, quae spectant ad conjurationes, seditiones, bella civilia, eorum occasiones, fomenta, remedia, ne caetera illa omnia, quae seorsim prodita sive edita sunt, commemorem.

C A P U T X.

De Varietate Historiae ejusque Scribendae ratione.

Solet Historia ratione objecti distingui in Naturalem, Divinam & Humanam. Sed illa quidem divisio latior est, quam ut nostro instituto inserviat. Nam Naturalis potius ad Scientiam Naturalem pertinet, quam ad Historiam propriè sic dictam. Historia Divina ad Theologiam pertinet, si in dogmatibus versetur; vel ad historiam Ecclesiasticam, quae Civili contra distingui solet. Historia Humana Bodino est, quae actiones hominum in societate viventium explicat. Sed nec actiones illae omnes ad historiam pertinent; sed quae secundum Philosophiae Moralis Praecepta aut Politicam prudentiam instituuntur. Historiam Humanam aliqui iterum dividunt in Mythicam vel quasi veram & Veram. Sub Historia Mythica continentur illa, quae nequidem potuerunt contingere, quorsum spectant Genealogiae Deorum, libri Metamorphosium, quorum Autores habemus Poëtas Veteres, Commentatores prolixiores,

Hy-

Hyginum, Lybium, Gerbardum Johannem Vossium, qui libris suis de Idololatria totam rem fabularum complexus est. Quasi vera Historia est, veri quae similitudinem pro fundamento habet, ut vera historia veritatem, quo quidem nomine vocari possint libri illi, qui Romanei dicuntur (Die Romanen) quorum quidem origo non est adeo recens, ut multis videtur; sed fuerunt talis generis libri jam ab omni aevo conscripti; Unde habemus hodie tot fabulosa in historiis vetustioribus. Non sunt autem isto nomine appellanda scripta quorundam Historicorum, quae quidem multum falsitatis habent, ut opera *Herodoti*, *Navigatio Hannonis*; *vita Apollonii* scripta a *Philostrato*, ac illis similia; illa enim quadam sui parte falsa tantum sunt; ex integro vera. Libri vero, qui Romanei dicuntur, ex integro falsi vel ficti, ex parte vero verum aliquid continere possunt. Neque intelligo eorum nomine eas historias, quae totae sunt fabulosae, ac in fraudem veritatis a vafris ingeniis inventae, quales sunt, quae describunt origines imaginarias multarum nationum, ac imprimis Barbarae, ut illa *Annii Viterbiensis*. Posunt vero illis originem dare nonnunquam libelli tales fictitii argumenti. Solemne enim est illis, qui Romaneos scribunt è barbaris nationibus, quarum historia incognita est, quaedam quae ad rem suam faciunt confingere, quae interdum subsequens aetas apprehendere ut vera potest. Plures sane caeque maximae Respublcae primas suas Origines habent incertas, ac ipsa etiam Romana. Quis hic non credit ab AEneae in Italiam adventu originem ducere Romanos? id Virgilius integro Poëmate descripsit. Livius, qua fuit sagacitate, inter dubia retulit. Eleganti dissertatione *Bochartus* demonstravit, *nunquam fuisse AEnaeam in Italia*, quam e Gallica in linguam Latinam convertit *Schefferus*. Et fuerunt tamen Historici, qui traditioni huic fidem habuerunt additis tot circumstantiis. Enarrant enim tot urbes in itinere conditas ab eo, monstrant tot monumenta Aeneae nomen prae se ferentia. Ipse Senatus Romanus totusque populus credidit. Sed hos dolos diligenter Autor laudatus in eo libro describit: Ita quoque *Patavini Origines Trojanas* jactant, allatis in eam rem multis argumentis, sed fabulose; & quorum nulla nisi per traditiones superstes est memoria. De his integris libris in Italica lingua scriptis videri possunt *Laurentius Pignorius* Lib. *de Originibus Patavinis* & in *Antenore suo*. Pariter in historiis Galliae accidit, quam fabulam etiam supra memorato libro irridet Bochartus. Omnes enim antiqui istius Regni Scriptores, quos etiam recentiores nonnulli secuti sunt, origines illorum à Trojanis deduxere, & quidem nominatim a Parisio & Franko, Hectoris nisi fallor filiis, quorum alteri originem primariae urbis, alteri nomen totius populi adscribunt. Atque hoc pene in omni historia antiquiore observes, ac praecipue in primordiis Regnorum & urbium; in quibus, ut Livius ait, divina humanis miscendo licitum est primordia augustiora facere. Solet vero hoc ob illas praecipue causas evenire, quod primordia talis alicujus Status vel Imperii vel orbis sint tenuia, homines plerumque simplices, rustici, literarum ignari, casu quodam fortuito congregati, socordes etiam & rerum suarum negligentes, unde primis generationibus abolitis sequitur priorum rerum oblivio, remanent vero traditiunculae quaedam a majoribus acceptae, quibus ut hominibus simplicibus nonnunquam incredibilia aliqua miracula, vel ostenta persuasa fuere, a Rerumpublicarum primis Institutoribus, hominibus vafris ac callidis plebis simplicitate in commoda sua abeuntibus. Hinc tot fabulae in posteros propagantur, quae longitudine temporis & tot praejudiciis illud

sibi

sibi robur in animis hominum simpliciorum acquirunt, ut nullis expungi artibus possint. Unde illud potissimum in omnium gentium historiis observes, eam gentem, quae minus literis fuit culta, plurimas in historia sua ostentare fabulas, quod videmus in historiis Germanorum, omniumque Septentrionalium, tamen & Orientalium eorum, qui quae caeteris simpliciores fuere, & superstitionibus addicti. Fabularum vero apud Septentrionales tantus est numerus, ut discerni a falsis vera nequeant. Ea enim Orbis terreni pars, ut est prae caeteris stupidior & simplicior, ita fidem etiam magis rebus incredibilibus habet. Orientalibus quanquam non desit ingenium, illud tamen ob superstitiones plerumque ineptum fuit, unde & illae nationes magnae falsationi historiae causam tribuerunt, miscendo Divina humanis, ac Regum suorum actiones, quibus, nescio, fabulis incrustrarunt; earum enim multa ad Septentrionales populos venerunt, quorum antiquissima non nisi ex cantiunculis quibusdam rudibus (ut & olim apud Germanos) vel lapidum inscriptionibus capias, quae ex iis postea literis prodita fuere, mirum quam sunt omnia fabulis plena. Cujus rei luculenti sunt testes, qui Historias Danorum, Suecorum, ac finitimarum gentium scripsere. Quam & simplicitas & ignorantia damno sit historicae veritati, vel ex Chronici & Historicis eorum temporum conjicias, quibus dominabatur Barbaries. Quae enim a Monachis eo tempore conscripta sunt, quanquam illi non fuere illiterati, multa falsa admiscent ob superstitiosam simplicitatem. Fabularum vero illi Scriptores, quos Romaneos appellamus, quandam habent verisimilitudinem atque ad miscent nonnunquam veras historias, sed ita, ut eae obiter tantum enarrentur. Earum inventio videtur populis Orientalibus adscribenda, AEgyptiis scilicet, Arabibus, Persis, Syris &c. Si enim antiquiora monumenta excusseris, ex iis primum populis prodiisse videbimus illud Scriptorum genus. *Clearchus*, qui tales libros conscripsit, Cilicia oriundus erat, Provincia Syriae vicina. *Jamblichus* qui in simili argumento scripsit, Parentibus Syris natus fuit. *Heliodorus*, Autor *fabulae de Theogne & Charidia* ex Phoenicia fuit oriundus. *Lucianus*, qui scripsit *Metamorphosin Lucii in Asinum*, Samosatensis erat è Syria. *Achilles Tatius*, qui scripsit *Amores Clitophontis & Leucippes* ex Alexandria AEgypti urbe natus est. Historia fabulosa *de Barlam* & *Josaphat* composita est per S. *Joh. de Damasco*. *Damascus*, qui fecit quatuor libros figmentorum non tantum incredibilium, ut lib. Tit. habet, sed procul ab omni verisimilitudine remotorum, ut testatur *Photius*, qui & idem Damasco oriundus fuit. Meminit & *Suidas* trium *Xenophontum*, qui similes libros conscripsere, qui ex Syria & vicinis insulis oriundi fuere. Non injuria itaque, imo meliori, quam de Graecis, jure illas Regiones fabularum voces patriam. Hinc quidem in Graeciam illae transplantatae, illic tam felicem fundum nactae, ac si ibi propullulassent. Pene incredibile est, quam sint hae nationes fabulis deditae, adeo ut omnis eorum Theologia, Philosophia, Politica & Philosophia Naturalis, adeoque omnes illorum libri, omnes sermones fabulis quasi sint incrustati. Literae AEgyptiorum hieroglyphicae de ea re abunde testari possunt Per eas enim velut imagines fabularum omnia explicantur. De Graecis testatur Herodotus, omnem suam Theologiam Mythicam coepisse ab AEgyptiis, quorum interpretatio ab eruditis quaesita vix invenitur. *Kircherus* enim, qui *Oedipum* suum, diffusum de ea re librum conscripsit, plura ex suo ingenio capere solet, quam ex rebus ipsis. Quae reliqua habemus fragmenta, collegerunt Viri docti, prae caeteris

teris *Laurentius Pignorius*, cujus extat *Commentarius in mensae Isiacae imagines* conscriptas. Inter Arabes non pauciores fabularum Scriptores sunt, ipse eorum Alcoranus testari de eorum ingeniis fabulis addictis potest. *Fabulae AEsopi* ita illis ad palatum sunt, ut earum Autorem suae genti vindicaverint, estque idem *Loemannus*, cujus in Alcorano mentio fit, quique per totum Orientem tam celebre nomen habet, quod videre licet e *vita Loemanni* scripta a *Mirkond*, magnam habeat convenientiam cum vita AEsopi, quam nobis reliquit *Maximus Planudes*. Mirum est, quot habeant Persae de hoc Loemanno fabulas, quanta cura ejus fabulas explicarint. Si Sanctorum vitam apud Persas videas, tantum est fabularum tanta impudentia confictarum, ut mireris homines adeo simplices esse, qui fidem his nugis habeant. Indi Persarum vicini eundem habent in fabularum amore genium, ut testantur aliquot fragmenta Scriptorum, quae nobis ex ea gente restant, plena parabolis, metaphoris, fabulis, vel unus ille *Dialogus inter Absolonem Indiae Regem & Gymnosobistam* super quaestionibus quibusdam moralibus abunde de eo testatur, qui liber parum differt ab Apologis istis, qui nomen *Indi Pilperi* praeferunt, & ante aliquot annos in Gallica lingua editi sunt, qui unus e Braminorum ordine fuit. Videtur etiam ista fingendi licentia ad Judaeos devenisse, homines mirum fabulis deditos, quem Orientalium populorum genium ipsae etiam sacrae literae non aversantur, quae Apologis saepe utantur in rerum Sacrarum doctrina: Thalmudistae certe totum Jobi librum poëma aliquod esse volunt. Thalmud ipse myrides fabularum continet, quarum apud illos multae sunt explicationes, commentationes, ac opporosae circa nugas nugae. Ab Oriente itaque primo ista fabulandi licentia originem duxit, atque ad Graecos devenit. Primi qui ab illis receperunt, fuerunt Jonii, Asiae Minoris populus. Illi enim a Persis subacti eorum luxum atque ingenia secuti sunt, mirifice his fabulis dediti. Inter Jonios prae caeteris hujus rei Milesii curam habuere; Unde & fabularum Milesiarum nomen in proverbium abiit, quarum ingentes fuere libri conscripti, quos longinquitas temporis omnes absumsit, quorum Scriptorum Autores nulli restant, nisi quod nomina quorundam Aristidis scilicet & Dionysii, qui tempore Darii vixerunt, inveniamus. Joniae Atticae & Peloponnesi Colonia hunc fabulandi pruritum etiam ad illas gentes transmisere. *Clearchus*, qui tempore Alexandri vixit, fuitque Aristotelis Discipulus, eo tempore tales libros scripsit. *Antonius Diogenes*, qui paulo post tempora Alexandri vixit, ut conjicit Photius, scripsit, ut vocat, veram fabulam de Amoribus Dineae & Peryllis, . Photius quoque eodem in loco meminit antiquioris cujusdam libri Antiphanis, qui similem historiam fabulosam scripserit ab Antonio Diogene laudatus. *Aristidis fabulas Milesias* in linguam Latinam convertit *Sisenna* historicus Romanus, quibus in libris multum fuit nequitiae & obscaenitatis. Lucius, Lucianus, Jamblichus pene aequales sub Antonio & Marco Aurelio vixere. Primus Lucius, qui de conversionibus hominum in bestias scripsit & bestiarum in homines Unde Lucianus assumsit plurimam partem, quae de mutatione Lucii in asinum scripsit. Brancaleon sine dubio scriptus est ad exemplum istius Asini Lucianaei. Idem Lucianus de fabulis integrum librum conscripsit, quem junxit libro suo de Historia Conscribenda, ut monstraret vanitatem istorum hominum, qui nugis istis delectantur. In ingressu enim libri sui testatur, se nullo alio fine librum hunc scripsisse, quam ut exagitaret Poëtas & Historicos sui temporis, qui

qui

tot fabulas falsasque Relationes de terris peregrinis scripsere, ut fecere Ctesias & Jamblichus. Quod si itaque verum est, ut testatur Photius, Antonii Diogenis librum fabulosum originem dedisse secundis illis libris Luciani, verosimile est, eodem respexisse Lucianum atque ad Ctesiae & Jamblichi historias. Eodem tempore *Jamblichus Babylonica* sua in lucem edidit, quod apte satis ad regulas verisimilitudinis compositum esse, ex Specimine quodam, quod nobis reliquit Photius, videre licet. Ejus Exemplar in Bibliotheca Regis Hispaniae superfuisse dicitur. *Heliodorus* pene omnes superavit in hoc argumento, quod enim requiritur circa regulas & praecepta horum librorum conscribendorum, adeo accurate observavit, ut nihil quicquam adversus illa peccarit; fuit Autor Christianus & Episcopus in Urbe quadam Thessaliae, vixit tempore Arcadii & Honorii. *Achilles Tatius*, qui *de Amoribus Clitophontis & Leucippes* scripsit, nec quoad stylum spectat, nec quoad rationem scribendi, comparari cum Heliodoro potest, quanquam aetate superiorem illo aliqui velint. Putant aliqui & ipsum fuisse Christianum & Episcopum. quod mirum videri potest, cum non parum obscaenitatis in ejus scriptis reperiatur. *Heliodorus* vero, cujus *AEthiopicis* nihil est incastius, ob scriptionem hujus libri ab Episcopatu fuit remotus. *Athenagoras* fortassis eadem tempestate vixit, cujus liber *de vero & perfecto amore* ejusdem commatis in Gallicam linguam conversus, editus est a quodam de Famée, qui illum ex authentico Exemplari Graeco de l'a Manée in Vernaculam linguam traduxit; Graecus vero Codex nunquam fuit in lucem editus, atque nunc plane a Doctis ignoratur. Referri huc quodammodo possunt Paradoxa Damasci Philosophi Gentilis, qui tempore Justiniani vixit. Scripsit enim historias incredibiles & fabulosas. Pene eodem tempore historia de Barlaäm & Josaphat scripta est per Jo. Damascenum. Aliqua Manuscripta antiqua tribuunt Jo. Sinaitae, qui vixit tempore Imperatoris Theodosii; sed illud verosimile non videtur, quoniam disputationes illae contra Iconodastas, quae ejus operi insertae sunt, aliam aetatem arguunt. Est vero totus ille liber argumenti Sacri, ubi multa legas de Amore Divino, & de suppliciis Martyrum, ac scriptus plane est ad formam Historiae, ac fortassis credo plures talis argumenti libros a Monachis eorum, & sequentium temporum conscriptos, causam dedisse tot prodigiosis historiis, quae in vitis Sanctorum aut alias in Annalibus sacris comparent, quas si examinare aliquis velit ad Historiae veritatem, satis superflue falsitatem earum deprehendet. Ex eadem officina prodiere tot ficta miracula, tot prodigiosi Heroës. Ac observes sane nullam pene inter Christianos gentem, in qua non sub initium conversionis ad fidem Christianam talia quaedam fabulosa prodigia conficta sint. Quorsum enim in Historia Gallica ampulla Rhemensis coelo missa, cum Clodoveus inaugurartur, scuta item & vexilla: quae tamen omnia etiam nunc sanctissime creduntur a Gallis. Sic pene omni in gente Hercules quosdam fabulosos habemus, quibus effecta quaedam humanas vires excedentia tribui solent, qualia figmenta originem a Principibus Viris sumsere eorumque facinoribus. Stolida enim plebs, quae omnia credit, etiam cum figmenta de illis sparguntur, pro historiis habet, atque haec ad posteros propagat. *Theodorus Prodromus* & *Eustatius* Episcopus Thessalonicensis scripsere etiam tales historias fabulosas. In Prodromum commentatus est *Gaulmin*

doctis-

doctissimus Vir Galliae. Sed multa sunt in istis libris affectata & inepta; quaedam & in *Pastoralibus Longini* Sophistae, qui Autor videtur esse antiquior, si ex stylo judicaveris, caeterum plenus est Sophisticis ineptiis, eum cum Notis publicavit Mollius. De tribus Xenophontibus, quorum meminit Suidas, quorum primus ex Antiochia, secundus Epheso, tertius Cypro oriundus; primus scripsit *Babylonica*, secundus *Ephesiaca*, tertius *Cypriaca*, sed quoniam eorum scripta perdita sunt, judicare de iis non possumus. *Barthemius Nicenus* farraginem etiam talium historiarum scripsit, quam dicavit Cornelio Gallo Poëtae, qui tempore Augusti vixit: illae petitae videntur ex fabulis Milesiis, si conjecturae locus est. Fuerunt vero istae fabulae Milesiae in Italiam quoque propagatae, ac primum a Sybaritis receptae, populo voluptuario, quorum cum Milesiis adeo conveniebat genius, ut Herodotus ipse se similiores non nosse populos testetur. Fuit & integrum quoddam opus titulo Sybaritidis conscriptum, cujus meminit Ovidius; celebris quoque Romanorum Historicus *Sisenna*, qui tempore Syllae vixit, & Praetor fuit Siciliae & Achaiae, fabulas Milesias Aristidis in linguam Latinam convertit: postea *Petronius* sub forma Satyrae, quae ficta videtur, sub fictis nominibus veras Neronis historias complexus est. Estque illa Satyra ex illarum genere, quas Varro invenit, miscens eleganter prosam orationem ligatae, quas nominavit *Menippeas*, quoniam Menippus Cyriacus ante eum materias gravissimas stylo tali lepido ac illusorio tractavit; sed ejus nobis nihil restat praeter fragmentum pene sine vinculis & connexione, unde non possumus accuratum inire judicium scripti totius. Neque videtur sane genuinum illud esse *Fragmentum Petronianum* in Dalmatia repertum, quod nuper in lucem editum est cum variis variorum Doctissimorum, *Valesii*, *Reinesii*, *Wagenseilii*, & *Schefferi*, Annotationibus, quorum discrepans inter se est sententia, quibusdam pro genuino agnoscentibus, aliis ut suppositum & fictum rejicientibus. Eadem Neronis aetate vixit Poëta *Lucanus*, qui scripsisse fabulas Satyricas dicitur, quibus amores Satyrorum & Nympharum descripsit: Sed quoniam de illo libro nobis nihil praeter titulum est cognitum, de illo dicere nihil possumus. *Apuleji Metamorphosis aurei Asini* nomine satis cognita scripta sub Antoninis fuit. Ejusdem cum Asino Luciano originis est, cum liber uterque e libris duobus prioribus Lucii petitus sit, ea differentia, quod libri illi fuerunt in Compendium redacti a Luciano, aucti ab Apulejo: textura hujus operis satis elegans est, quod nobis Ideam quasi fabularum Milesiarum ob oculos ponit: Dictio est ad genium veterum Sophistarum composita, affectationibus & figuris vehementibus plena, dura, barbara, ac homine Africano digna. *Clodius Albinus* eorum unus, qui Imperium affectarunt, victus ac occisus ab Imperatore Severo similem aliquem laborem suscepit: Sub ejus enim nomine quaedam *Fabulae Milesiae* scriptae fuerunt, ob quam causam Severus etiam Senatui exprobravit nimiam ejus hominis laudem, qui tamen non nisi ad nugas factus esset, & in rebus quibusdam ineptis ingenium suum ostentasset. *Martianus Capella* operi suo Satyrae quoque nomen praescripsit, quoniam prosa & versu scriptum est. Eo libro omnes artes liberales descripsit sub figmento *amoris Mercurii & Philologiae*, quorum nuptias illic stylo poëtico & homine Africano digno descripsit. Barbarus enim stylus est, durus, figurarum immodicus, qualis

F ne

ae indulgeri quidem Poëtis possit, doctus tamen & Philosophiae non imperitus; vixit ante tempora Justiniani, neque enim adeo accurate aetas ejus cognita est. Duravit ista fabularum ars cum aliquo splendore apud Romanos, sed declinavit postea una cum literis & Imperio, cum populi Septentrionales ubique circumferrent & barbariem & ignorantiam suam. Ante illa tempora scribebantur fabulae delectationis tantum gratia, tum scribebantur historiae fabulosae, quoniam non poterant scribi verae, quia in ista barbarie & ignorantia, nullus veritati, nullus arti historicae locus erat. Thetesinus & Melximus, e quibus ille sub Rege Arto vixit, vel Artuo, cujus nomen in fabulis ejus saepe celebratissimum est, historiam Angliae scripsere, referente Barlaeo in Centuriis suis, sed quas miris refertas fabulis ille ipse non diffitetur. Idem dicendum est de Hunibaldo Franco, qui tempore Clodovei vixit, cujus historia nihil aliud est, quam pinguium & crassiorum mendaciorum farrago. Videre etiam illud possumus in libro illo, qui *de factis Caroli M.* scribitur, qui Archi-Episcopo *Turpino* tribui solet: quanquam Carolus M. ducentis annis sit posterior. Habemus etiam alios Scriptores de vita Caroli M. fabularum plenissimos, illisque plane similes, qui nomen Turpini praeferunt. Tales itidem sunt historiae, quae attribuuntur Havcon, Solkon, Forteman, Ruano sapienti & Adel Adelingk & Joanni filiis Regis Frisiae, quos tempore Caroli M. vixisse ferunt. Talis etiam historia est attributa *Ockoni*, qui secundum communem sententiam vixit tempore Imperatoris Ottonis M. & historia *Gothofredi*, qui scripsit *facta Regis Arti* & vitam Merlini. Ac tales quidem historiae illo tempore simplicibus equidem lectoribus atque iis, qui eas composuere, indoctioribus unice placebant. Non quaerebantur tum Memoriae & Notitiae rerum, quae gerebantur ad historiae scribendae veritatem facientes. Nam argumenta rerum, quae scribebantur una cum inventione suum cuique cerebrum suggerebat, atque ita historici degenerarunt in fabularum Scriptores. Erant tantum apud Gallos ac speciatim in Provincia rebus ludicris & artis versificatoriae dediti, quales forte apud Germanos superioribus Seclis fuerunt die Meister-Sänger / qui Gallica lingua dicuntur *les Troubadeurs*, *les Chanteurs*, *les Conteurs*, *les Jongleurs*, qui hanc fabularum artem tempore Hugonis Capeti inceperunt, fabulasque lingua, quas vocabant, Romana composuerunt. Provinciales enim Galli tam plus cognitionis habebant in literis & Poësi, quam caeteri Galli omnes. Atque haec lingua Romana erat illa, quam Romani introduxerant in Galliam, postquam eam in ditionem redegerant, & quae successu temporis corrupta fuit, cum misceretur Gallicae & Germanicae linguae, unde cum neque esset Latina, neque Gallica, neque Francia, seu Gallica, seu Celtica, seu Aquitanica, seu Belgica fuerit. Eas enim diversas linguas inter Gallos olim fuisse *Caesar* testis est, ac *Strabo* hanc inter illas differentiam agnoscit, quasi sint Dialecti unius linguae. Hispani eodem nomine appellarunt linguam, quae inter illos fuit e Romana & Patria mixta Romances. De cujus linguae originibus & differentia a patria & vernacula lingua librum integrum scripsit *D. Bernhardo Ardreto*, Hispanus lingua Hispanica, in quo fusius agit de literis & lingua veterum Hispanorum, monstratque, quomodo illa mista fuerit cum adventitia Romanorum lingua. Ea lingua quoniam eam omnes rectius intelligebant, fabularum Scriptores utebantur ad libellorum suorum conscriptionem, qui postea, quod ea lingua scribebantur, *Romanses* vocati sunt. Illi itaque Scriptores cum vagarentur

garentur passim per terrarum Orbem, tamen habebantur a Viris nobilioribus, qui illos muneribus auctos dimittebant, spe illa inducti, ut laudarentur ab illis in carminibus eorum. Neque Provinciales tamen hocce exercitio inter Gallos delectati fuerunt, sed & ipsi Picardiae incolae fabulas amatorias & Satyricas non paucas commenti sunt. Atque hinc nata est fabularum farrago, quarum pars aliqua impressa est, aliqua in Bibliotheca latet, aliqua injuria temporum consumta est.

Ipsa Hispania quae adeo foecunda istarum fabularum fuit, & Italia ipsa a Gallis artem hanc fabulandi didicere, ut *Gualdus* testatur in libello isto, quem *de fabulis bis* lingua Italica conscripsit. Salmasius quidem credidit Hispanos ab Arabibus artem prius didicisse, atque inde exemplum habuisse totam Europam, quod quidem verisimilitudinem aliquam habet: Arabes enim supra omnem modum addicti fuere huic arti, ut patet ex eorum Poësi, fabulis & fictionibus, qui eandem scientiam, ut ut rudem, nec a Graecis excultam transportarunt in Africam, una cum animis suis, tum, cum illam subjugarent: Fuerunt jam a multis temporibus Africani studiosi talium fabularum. *Aristoteles* enim & *Priscianus fabularum Lybicarum* jam tum mentionem faciunt, tum & fabulae Apuleji, ac Martiani Capellae, qui ipsi fuere populi Africani, satis testari de genio hujus gentis possunt. Idem etiam ex *Leonis Africani Descriptione Africae* patet, Arabibus Africanis adeo in pretio esse fabularum hanc Poësin, ut tam soluta, quam ligata oratione semper decantent laudes sui Buhaluts, qui fuit inter illos talis, ac inter nos Rolandus, tot fabulis carminibusque decantatus. Iidem quotannis publicas habent Panegyricas, quibus talia carmina decantantur, pretiumque datur illi, qui hoc certamine vicerit, Toga regia, vis aliqua Argenti, Equus & Mancipium. Hispani sub Arabum jugum redacti, ut mores eorum inducerent, ita & hunc celebrandi Viros illustres carminibus modum, quemadmodum *Bardi* inter Gallos; sed carmina illa, quae vocabantur *Romannees*, diversa sunt ab illis, quod vocantur *Romanizantes*. Illa non sunt nisi Poëmata brevia, facta ut cantari possint: eorum aliqua sunt collecta atque adeo antiqua, ut vix intelligi possint, quae tamen aliquando profuerunt ad illustrandam Historiam Hispanicam. Illorum fabulae Romancees dictae recentiores sunt, earumque vetustissimae posteriores Gallorum fabulis. *Michaël de Cervante* in fabula illa, quae *Donte Cochete* inscribitur, censuram aliquam init istorum librorum fabulosorum, e quorum vasto numero, caeteris in ignem missis, servare jubet quatuor libros *Amadisi*, *Palmerinum* Anglicum, qui a Rege Lusitano scriptus creditur, *Don Belianes Ficanthes*, le Blank Kyrieleiron & Paralipomena credebant esse nomina Sanctorum. Sed illa Scripta recentiora sunt, quam Gallorum. Sed credat fortassis aliquis, ut ab Arabibus primum ars illa Rhythmorum originem habuit; ita & Gallos una cum rhythmis illam Romanizandi artem habuisse verisimile est: sed eorum nulla certa est ratio. Ac credibile est eorum exemplis magis incitatam fuisse naturalem alias hujus nationis ad fabulas inclinationem. Itali post Gallos huic arti se dederunt; Italia enim ut post Gallos, Anglos, Germanos, quippiam in literis profecit, ita etiam hac in re post reliquas gentes sapuit: Academia etiam Parisiensis, quae jam ab antiquissimis temporibus celebris fuit, Italis primum

 ali-

aliquem literarum gustum dedit, in qua multi Italorum, qui postmodum Philosophiae nomine inclaruerunt, studiis illis operam dederunt, inter quos fuere praeter Philosophos nonnullos *Boccatius* & *Dantes* Poëtae: quorum Boccatius, ut ostendit *Fouchetus* in libro *de Poëtis Gallicis* Gallica lingua scripto, multa e fabulis Gallorum novellis suis inseruit. Ex eo tempore Italos hanc fabulandi artem didicisse credibile est. Recepit itaque tam Hispania quam Italia a Gallis eam artem, quae fructus fuit ignorantiae levitatisque Gallicae, ut primum fuerat inter delicias Orientalium populorum & Graecorum; sed eorum populorum deliciae in ipsa barbarie atque ignorantia sunt. Hinc videmus nationes barbaras & minus ingenio cultas prae caeteris amare inventiones tales fabulosas Omnes Americanorum Origines multis fabulis sunt refertae, praesertim vero Peruvianae. Similiter & Septentrionalium populorum Origines plenae sunt mendaciis, ut testantur quae supersunt ejus gentis monumenta Nec esset plane improbabilis conjectura, si ad Septentrionales prius, quam ad Gallos & Hispanos hanc fabulandi artem devenisse dixerim, quod eo magis esset credibile, si vera sunt, quae non nemo nobis ex gente Suecia persuadere voluit, primos Septentrionales populos atque inter illos Suecos Mythicam Theologiam habuisse, atqe ad Carthaginenses, Graecos, & Latinos transmisisse: Cujus tamen rei veritatem ut nondum satis probatam in medio relinquimus Non enim fabulandi hanc artem Gallis, quos primos esse inventores vult Fouchetus, invidebimus. Caeterum fabulae Gallorum, Germanorum, Anglorum nullam videntur habere aliam originem, quam historias mendaciis stipatas, quae tempore isto obscuro scriptae, quo nec industria, nec curiositas satis fuit ad indagandam rei veritatem, cumque primum historiae tales cum applausu reciperentur a populis illis, hanc sibi audaciam sumserunt Historici, ut ad historiarum similitudinem scriberent res plane fictas, qua in sententia est & *Pigna*, qui primum Romanecs dictos vult Annales Gallorum. *Strabo* quodam in loco dicit, quod historiae Persarum, Medorum & Syrorum non magnam mereantur fidem, quoniam illi, qui tales scripserunt, videntes, tale esse fabularum pretium, crederent operae pretium se facturos, si ad aliorum exemplum fabulas sub specie historiarum scriberent. Unde colligi potest, eandem apud illas gentes habuisse fabulas originem, quam apud Gallos aliosque populos habuerunt: Sed ut ad Gallos revertamur, illi *Troubadours*, qui primi fuere artis illius fabulatoriae sub finem decimi seculi inventores, adeo tum in deliciis fuere, ut omnes Regni Galliae Provinciae hoc quasi morbo corriperentur, unde factum est, ut Sec. XI. ac seq. magna prodierit multitudo fabularum tam soluto, quam ligato sermone scriptarum, quarum non paucae ab injuria temporum ad nostra usque sunt conservatae, quarum e numero illae sunt, quas illi 127. Poëtae scripserunt, quarum censuram instituit peculiari libro Dominus *de Fouchet*: Eo in libro distinctius omnia legi possunt, quae de illis Scriptis in lucem prodierunt. Inter quos etiam Novellae Bocatii sunt, quae dudum ante illum lingua Latina scriptae fuerunt *a Joh. Monacho*, *Abbate de Atta Sylva*, quae postea in Gallicam linguam translatae sunt sub finem Saeculi XII. & in linguam Germanicam ante 300. fere annos, ab homine erudito, qui ignorabat illas primitus lingua Latina scriptas. Nostro Saeculo in immensum excrevit apud Gallos ista fabulandi licentia. Infinitus enim pene est istorum librorum

rum numerus, qui de argumentis fabulosis in historiae modum scripti. Nec paucae etiam inter foeminas illustres sunt, quarum unum opus est iis se figmentis aliisque delectare; inter quas principem locum occupat Domina *de Scudery*, quorum etiam in linguam Germanicam nonnulla sunt conversa. Atque haec apud Gallos librorum multitudo non aliunde videtur ortum ducere, quam ex liberrima illa Gallorum cum foeminis conversatione, quam ob causam cum frequentia sint cum foeminis colloquia, illa autem raro de rebus seriis & potius de rebus talibus nugatoriis, otiosi homines insidiantes occasionibus, quibus foeminarum animi demulcentur, talibus quibusdam commentis gratiosi apud illas esse laborant. Quare omnem artem, omnes delicias, omne ingenium illuc conferunt, ut non sit insuave talia scripta legere, in quibus cum pulcherrima rerum varietate certat lactea quaedam & dulcissima Gallici sermonis eloquentia; quae cum in pretio esse coeperint, nunquam defuerunt ingenia, quae ad illa studia animum applicuerunt, cum interim jacerent meliores literae, Antiquitatum cognitio, & veritatis historicae studium. Hinc nata singularis quaedam ars fuit, ac certa fuere librorum talium scribendorum praecepta, ad verisimilitudinis normam instituta, cum veteres illi fabularum Scriptores eorum imperiti passim omnia miscerent, nec ad verisimilitudinis legem despicerent, quae tamen hujus Scriptionis unica est regula & norma. Unde fit, ut talis scriptio tam sit historiae similis quam imago & pictura rei ipsius. Dn. *de Urphe* primus est inter Gallos, qui libros illos fabulatorios a barbarie & ineptiis vindicavit, atque in ordinem redegit, cujus speciem exhibuit in eleganti opere, quod sub *Astreae* nomine prodiit, politissimum & elegantissimum est, quod facile superet omnes omnium labores, qui vel Graeca, vel Hispanica, vel Italica lingua scripti sunt. Post illum nemo fuit, qui in hoc librorum genere Autorem hunc superaverit, nisi quod virgo illustris Domina *de Scudery* illum ingenisissimis talibus Scriptis aequaverit. Ab ejus enim ingenio habemus opera illa fabulosa, quae sub nomine *Bassae illustris, Magni Cyri*, & *Cleliae* prodierunt, quorum primum & postremum in Germanicam linguam est conversum. In Latina lingua habemus *Argenidem a Barclaio* conscriptam, & ab *Opitio* in linguam Germanicam, sine cura tamen & diligentia, conversam. Prodiit & in Latina lingua *altera pars Argenidis*, sed ab Autore ipso non scripta; quae longe abest ab illa elegantia, quae in parte ejus libri prima apparet. Caeterum hoc opus magna est Prudentia Politica refertum, ac multa obiter perstringit Rerumpublicarum, praecipue Gallicae, arcana sub fictis nominibus, quae clavis operi addita detegit. Stylus floridus est ac Poëticus, prosam ligatae miscet, argutus etiam & elegans. Verum si *Scioppio* credimus non satis purus, nimis enim genio suo Autor ille indulget in fingendis phrasibus, unde inquinatur sermo Latinus, ea quidem parte longe postponendus populari suo *Georgio Buchanano*, cujus purissima Latinitas ac veteri Romanae aequiparanda, ut in eo omnium Censor Scioppius nihil praeter haeresin reprehendat. Apud Italos & Hispanos nostro tempore non pauci tales libri conscripti sunt, quorum aliqui etiam in Germanicam linguam sunt conversi, atque inter Italos, quae sub *Eromenae* nomine prodiit optima omnium esse videtur; Apud Hispanos *Diana* & *Dianea* inter praecipua talium operum sunt. In Germanica etiam lingua nunc non pauci sunt, qui operosa volumina fabulatoria conscripserunt.

Longe plures ſunt, qui circa verſiones e peregrinis linguis ſunt occupati, qualibus omnia referta Bibliopolia videmus. Sed rectius longe & fructuoſius ſolidis vel Philoſophiae vel Hiſtoriarum ſtudiis tempus impenderetur, cum iſtorum librorum plus ſatis ſit, & quae ex illis utilitas redundare creditur, plenius longe & copioſius ex ipſis diſciplinarum praeceptis propagetur, quorum omnium inire cenſuram inſtituti noſtri non eſt, hominumque eſſet otio ſuo abutentium. Nos miſſis fabularum Scriptoribus ad veram Hiſtoriam properabimus, breviter Hiſtorias omnium gentium enarraturi.

Principium Hiſtoriarum, quae veritate nituntur, in abolyto eſt & inveſtigatu difficillimum, ſiquidem ab ipſa univerſa rerum Origine illud accerſere velimus. Quod ſi enim primordia Regnorum ſpecialium adeo ſunt in incerto, ac fabulis pleniſſima, quam hic habere certitudinem primi Imperii rerumque ab initio orbis geſtarum poſſemus, niſi ejus ſubſidium e Divinis Relationibus haberemus, quas conſignavit primus Hebraeorum omniumque gentium Scriptor *Moſes*, quanquam & illae ab ingeniis profanis non raro tentatae ſint, tum ab illis, qui e Philiſophorum numero vel mundi aeternitatem propagarunt, vel praeter Protoplaſtum a Deo creatum alios ante Adamum homines ſomniarunt, cujus ſententiae propugnator *Iſaacus Peirerius* fuit, qui a multis Theologis refutatus palinodiam jam cecinit, & a Reformata Religione ad Pontificiam conceſſit, quanquam alii ſimulato hoc ab illo factum eredant. Creationem mundi, adeoque omnem Divinam a Moſe traditam Hiſtoriam non pauci ſunt e Philoſophis tam veteribus, quam recentioribus, qui in dubium vocaverint, acerrimi aeternitatis ejus defenſores. Inter veteres omnium ſummus ac princeps fuit *Ariſtoteles*, ea in ſententia ſibi tantum ſapiens, cum a veterum Philoſophorum atque ab ipſius Magiſtri ſui Platonis ſententia abeat quam longiſſime, quos tamen omnes vel a Moſe, vel a priſcis Traditionibus eam hauſiſſe doctrinam veroſimile eſt, ne quid dicam de ipſis illis argumentis, quae rectior Philoſophia ſubminiſtrat. Ariſtotelis ſententiam avide arripuerunt recentiores quidam Athei, *Pomponatius*, *Vaninus*, ſimilesque, qui illius argumenta novis inficere coloribus didicerunt. Non parum abſunt ab illis, qui fortuito particularum concurſu creatum volunt hoc Univerſum, atque iis, qui infinitos orbes ſtatuunt, quae ſententia ſuperiori ſaeculo reſuſcitata ab Italis quibusdam eſt, quemadmodum ſingularibus libris prae caeteris eam propoſuit *Jordanus Brunus*, Nolanus in libro *de immenſo & innumerabilibus*, quanquam hunc profeſſum Atheum dicere non poſſimus. Deum enim horum omnium Opificem facit, nusquam tamen vel verbulo prodidit, quid de Creationis Hiſtoria a Moſe tradita ſentiret. Caeterum Hiſtoria Creationis a Moſe tradita ad omnes pene gentes penetravit, eſtque in ſingulis Relatio ejus rei non plane obſcura, quod quibusdam teſtimoniis probarunt *Auguſtinus Steuchus* libro perraro *de perenni Philoſophia* & *de Coſmopoeia*, ſive *commentario ad I. caput Geneſeos*. *Paulus Merula Coſmographiae part I. lib. cap. 2 Voſſius lib. II. de Origine & Progreſſu Idololatriae cap. I.*, *Lipſius lib. II. Philoſophiae Stoicae*, *Diſſert. IIX. Hugo Grotius in notis ad lib. I. de Veritate Religionis Chriſtianae.* Videmus etiam apud ipſos Septentrionales populos non obſcura hujus rei indicia, ipſosque etiam Germanos veteres, qui Mannum e terra productum crediderunt, quem Adamum eſſe vult *Philippus Cluverius in antiqua Germania*. Quia

&

& ipse eo in libro misterium Trinitatis illis non fuisse incognitum prolixa Dissertatione evincere laborat, sed argumentis meris conjecturis innitentibus, quam Dissertationem *Elias Schedius libro de Diis Germanorum* reassumsit. Id quidem certum est, apud Thracas & Samo-Thracas magnam fuisse earum rerum notitiam. Hexameron Creationis impugnat *Gonzales de Sales* in *Mantissa ad Dissertationem de duplici terra*. In puncto enim meridiano simul omnia vult esse creata, cui ut fidem faciat, aliter distinguit commata textus Hebraei, atque aliter inter se componit, postquam multa disseruerat de novitate distinctionis in Capita & Commata seu Versiculos; sed argumenta ejus non videntur tanti esse, ut suam sententiam nobis persuadeant, uti nec satis mihi illud evictum videtur, quod de duplici terrâ commentum invenit. Existimat scilicet obrutam aquis primaevam illam telluris superficiem, quam mortales usque ad diluvium incoluerunt. Alteram vero superficiem terrae diversam prorsus ab illa primaeva post diluvium prodiisse, quam nunc inhabitamus, usque ad Palingenesiam per ignem instituendam: Argumenta ejus praecipue hic sunt I.) quod Deus non homini tantum, sed & terrae maledixit, ejusque ut maledictae poena quoque κατολεθρίας deberet inferri, ubi cumulat loca illa Geneseos, quae toties repetuntur, de execratione terrae; diserte vero urget haec verba: *Ecce, ego perdam eos cum ipsa terra.* Loca etiam quaedam ex Rabbinis eo spectantia adducit; urget ulterius, eandem semper a Deo sustinuisse poenam, locum ex Epist. 2 Petri III. ꝟ. II.) actiones petit ex Geographia, quibus demonstrare laborat, aliam fuisse faciem terrae ante-diluvianae, quam alterius illius post diluvium. Quam suam sententiam confirmatum it loco Paradisi, qui amplius non extet, sed extiterit olim in superficie terrae ante-diluvianae. Removet porro III) obstacula hujus sententiae de Civitatibus ante diluvium conditis Henochia, Joppe. Item de sepulcro Adami; de columnis Sethi, operibus ante-diluvianis. Nam partim fabulosa illa dicit, partim aliter explicat. His itaque fundamentis omnem suam sententiam superstruit, quae quam sint certa & firma facile argumentorum inter se collatio demonstrat. Nam quod potissimum illi argumento est, mihi quidem Hebraïsmo non satis intellecto superstructum videtur. Cum enim semper conjungatur in Codice Hebraeo vox illa gemina homo & terra, homo super terram, homo in terra intelligitur, adeoque mihi necessitas inde oriri videtur, nullam Diluvio uni poenam cum tellure ipsa dividendam esse. Et quidem vetat intelligi illas locutiones de terra universa, non vero determinata aliqua superficie, demumque iis locis Scripturae, quibus distinguitur ante-diluviana terra a post-diluviana, non praesupponit distinctionem superficierum, & quare non contra distingui poterat terra post-diluviana ante-diluvianae, utpote cum vi aquarum a priori illa plane fuerit mutata. Ratione itaque mutationis tum terrae tum hominum. terra post-diluviana distinguitur ab ante-diluviana non ratione hemisphaeriorum. Quod porro de locis ipsis simul a Deo punitis exemplo Sodomae & Gomorrae, aliorumque delictorum adducit, illud plane non aptum est ad fidem sententiae suae faciendam. Quicquid idem de maledictione terrae propter hominis peccata in suam rem & sententiam convertit, plane nihil facit ad theseos suae probationem: Quo enim argumento evincat, Deum alteri tantum superficiei terrae maledixisse, alteri vero non; neque enim disertis verbis usquam id dicitur. Neque huc faciunt verba illa, quibus

bus Deus testatur, se non amplius maledicturum terrae : Nam maledictio per Diluvium quasi per aquam lustralem expiata quodammodo erat : Speciosa itaque haec potius & quaesita sunt argumenta, quam vera. Objectioni etiam de monumentis ante-diluvianis, non est tam solidum, quod respondet. Esse enim talia, non haec, quae adducit ille argumenta satis evincunt; sed alia, quae partim ex ipsa telluris constitutione ac facie externa petuntur, partim ex ossibus humanis in montibus atque locis hominibus inaccessis reperiuntur. Prius Mathematicis pene rationibus se evicturum promisit *Nicolaus Stenonis* Vir doctissimus in *Dissert. de Solido inter Solidum naturaliter* contento, cujus ille prodromum nuper publicavit. Posterius inter potissima Diluvii argumenta refert *Conringius* in libro suo *de habitu corporum Germanicorum*, ubi occasione Gigantum de ossibus subterraneis disserit. Caeterum quod historiam ante-diluvianam spectat, nulla est ejus certa cognitio, nisi exigua illa quam e Scriptis Mosis habemus, quanquam verosimile sit, aeque tum per tot secula Respublicas & Monarchias fuisse distinctas, ut nunc sunt Quicquid enim singularibus libris traditum est, illud videtur falsitatis esse suspectum. Princeps illud momentum est, quod creditur a Noacho servatum scriptum aliquod Henochi, cujus mentionem facit Epistola Judae, quod *Guilielmus Postellus*, vir fanaticus, invenisse se gloriarur. Ejus fragmentum in Graecam linguam conversum exhibet *Kircherus in AEdipo AEgyptiaco.* Summa vero hujus scripti illuc tendit, fuisse quondam Angelos, quos Egragores nominat, sive vigiles, quorum viginti Principes facit, eos cum filiabus hominum contraxisse matrimonium, natam inde prolem trium generum, magnos Gigantes, ex his Naphitim, ex illis Eliud; illos multiplicatos per generationem docuisse hominem Magiam & Incantationes, varia Opificia Metallica, Medicinam, Chymiam, ac similes artes, sed magna est suspicio, illum esse foetum & quidem a fabulatoribus Judaeis. Qua in sententia est *Thomas Bangius* in *Coelo Orientis Exercit. I.* Item *Cunaeus lib. III. de Rep. Judaica.* Certe genuina his egregoriis e Judaeis adducta leges, non modo apud Bangium l. c. sed & *Hackspannium Disput. de Angelorum Daemonumque amoribus*, Altorfi habita anno 1641. in quarum fabularum partem etiam Mahumedes venit, ut patet ex *Demetrii Sidonii confutatione legis Saracenicae*, ubi eadem de Angelorum & hominum amoribus inculcant, ut patet ex collatione eorum, quae Bereschit Rabba, Rabbi Moysis, Haddarscham recitat *Raimundus Martini in pugione Fidei*, *Parisiis anno* 1651. cum observationibus *Josephi de Vois* in edit. *part.* 3. *distinct.* 3. *cap.* 22. *p.* 728. ubi duo Angeli nominantur, qui cum filiabus hominum consueverint, eosque esse, de quibus Genes. VI. 2. dicatur. Mahumedes vero pervertit adhuc illas fabulas, substitutis pro filiis Dei Angelabus, ut rem monstrosam in solita voce exprimamus. Plura hac de re relegi possunt apud *Drusium in suo Henocho*, & apud *Dorscheum* in sua *dissertatione* de *Prophetia Henochi.*

Prae caeteris vero *Bolduccius* Monachus Capucinus, qui librum scripsit spissum *de Ecclesia ante legem*, fidem huic fabulae adstruere non veritus. Non enim omnia in fragmento illo Henochiano tradita probat, sed & argumentis quibusdam, quae tamen fanaticis conjecturis superstructa sunt, affirmare nititur. Quicquid tandem sit de hoc scripto, non paucos tamen de Patribus invenit adstipulatores. Cum enim viderent, aliqua Genes. VI. 2. haberi, quae quaedammodo applicari pos-

sint

sint huic fabulae, cum viderent Prophetiae Henocheae allegationem in Epistola Judae, cum viderent de velandis mulieribus ob Angelos, in has sententias non invite inciderunt, quemadmodum *Dionysius Petavius* Animadversionibus ad *Epiphanium haeresi 46.* audacter asserit, hanc esse verissimam Patrum fere omnium sententiam. *Feuardentius* in *Annotationibus* in *Irenaei librum IV. adversus haereses c.* 30. de hoc commentavit. Ita plerique Classici Autores cap. 70. vetus haec multorum ac gravissimorum Autorum opinio. *Georgius Ambianus Tertulliani Commentator* eodem colore Tertullianum excusat, quod secutus scilicet fuerit veterum Patrum sententiam. Inter Hebraeos eandem fabulam tradunt, qui sunt Hellenizantes, ita & ille ab initio libri Perigigantum idem commentum proponit non sine quibusdam Philosophematibus de varia Daemonum distinctione, ratione variorum elementorum, sive secundum elementa, adeoque connubium illud filiorum Dei cum hominibus interpretatur de Daemonum Elementariorum cum foeminis conversatione, quam sententiam plerique Platonicorum arripuerunt. Fuitque haec Daemonum distinctio, quae puto a Judaeis fabulatoribus originem traxit, omnis magiae fundamentum. Idem dicit *Josephus*, qui *Archiologias libro I. c.* 4. eandem fabulam tradit. Hos tamen Christiani Patres nonnulli secuti, & quidem ipse *Justinus in Apologetico suo pag.* 130. edit. Roberti Stephani Lutetiae anno 1551. quique huic coaevus est *Athenagoras* Atheniensis *pag.* 31. editionis Stephanianae de anno 1557., qui non erubescit his naeniis Propheticam autoritatem praetexere. Hunc sequitur ejusque autoritate se tuetur *Methodius* in *Oratione de Resurrectione*, quam nobis aliqua ex parte servarunt *Epiphanius Haeres.* 46. *&* *Photius* in *Myrob. codice* 234, Calculum his addit *Clemens Alexandrinus libro III. Stromatum pag.* 459. editio Parisiensis anno 1641. & *libro V. Stromatum p.* 550. Item *Eusebius* in *Praeparatione Evangelica lib. V. c.* 4. *Irenaeus* quoque in eadem sententia est, de qua vide Feuardentium l. c. Inter Latinos Patres *Tertullianus* est, qui libro *de Habitu Mulierum cap.* 2. libro *de Cultu Foeminarum cap.* 10. libro *de Velandis Foeminis vel Virginibus cap.* 7. easdem fabulas recoquit. *Cyprianus* quoque ejus legit vestigia *libro de Disciplina & Habitu Virginum. Lactantius libro II. Institutionum cap.* 15. eundem errorem committit, quem inter alios ejus errores notat *Antonius Roudensis* Theologus Parisiensis in vetere editione Lactantii. His adde *Sulpitium Severum* in *Historia* sive *Ambrosium lib.* 20. *de Virginitate*, quem quodammodo excusat *Peirerius lib. IIX. in Gen. c. 6.* & *Sixtus Senensis Bibliotheca Sacra lib. V. Annot.* 77. Per illas Fabulas, quae sine dubio ab aliquo nugatore Hebraeo suppositae sunt, nihil de Historia Ante-diluviana habemus, nisi quod a Mose traditum est. Valere itaque jubebimus omne illud, quod vel Bolduchius de Statu Ecclesiae Ante-diluvianae, vel alii quidam fabulatores comminiscuntur. Porro, quod libros Mosis, primi Historiographi attinet, eorum Autoritati etiam lis mota est a nonnullis profanarum sententiarum architectis. Omnia autem conquaesivit argumenta ille Autor anonymus nuperrimus (quem excommunicatum Judaeum *Spinosam* (ab aliis *Sinopham* per anagramma) esse, fama refert (in tractatu Theologico-Politico, quo, ut titulus perhibet, ostenditur, libertatem philosophandi non tantum salva pietate & Reipublicae pace posse concedi, sed eandem nisi cum pace Reipublicae ipsaque pietate tolli non posse. Quo in libro cum

 spar-

ſparſa neſcio quae Scepticiſmi & Atheiſmi ſemina, id praecipue agit profanus ille Autor, ut fidem *αὐθεντίας* ſubvertat non ſolum Pentateucho, ſed & caeteris V. T. Libris omnibus. Nam vel non veros nominari eorum Autores evincere vult, vel aliena quaedam addita, nec ab uno quodam Autore ſcripta, ſed a multis & e multis compilata. Libris V. Moſis objicit, illos non eſſe ſcriptos ab ipſo Moſe, ſed ab alio quodam hiſtorico, qui multo poſt Moſen tempore vixit. Hinc ſuae aſſertioni fidem facere cupit e quodam loco *Aben Eſrae*, ubi quoque ſubobſcure 6. habet dubia, quae ille poſtea ſuſus explicat, nova quaedam illis dubia addens. A Moſe dicit nihil praeter Librum Legis eſſe ſcriptum, qui tamen aliquot pagellis fuerit abſolutus, atque integer in populi concione praelegi potuit. Omnia fere dubia illuc recidunt 1.) ſcribi de Moſe in tertia perſona; quod dubium vulgarum eſt, & ab aliis etiam objectum, nullius vero momenti, cum Hiſtoricus de ſe ipſo eo modo ſcribere potuit, ut inter Latinos in Commentariis ſuis fecit Julius Caeſar. 2.) Loca quaedam Regionum, Montium, Populorum appellari nominibus poſt Moſis tempora impoſitis, cui, ut puto, dubio ſatisfecit Autor Anonymus, qui literis initialibus ſe vocat I. M. in epiſtola quadam ad amicum, qua continetur Tractatus Theologico-Politicus p. 35. 3.) Mortem Moſis non potuiſſe ab ipſo Moſe deſcribi, quod dubium a noſtris etiam Theologicis ſatis exploſum eſt, utraque manu largientibus, clauſulam Librorum Moſis eſſe a Joſua additam. Caeterum Libri Moſis ea, qua nunc habemus, diſtinctione ſcripti non videntur. Primum enim recentior illa in capita & verſiculos diſtinctio ſaeculis poſterioribus debetur, quemadmodum & illa in Geneſin, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium. Et quidem ab ipſo Moſe nunquam niſi Unus Liber vocatur, ac omnes 7. Libri Moſis una voce Thora, quae legem ſignificat, comprehenduntur. Quod enim Philo exiſtimat, Moſen ſcripſiſſe illos quinque Libros atque inſcripſiſſe vulgatis illis titulis, qui occurrunt in Verſione LXXII. Interpretum, craſſiſſimus error eſt, nec a quoquam Veterum Judaeorum comprobatum; Multas fuiſſe apud veteres Judaeos diſtinctiones Librorum Moſis notiſſimum eſt, & pluribus id contendit *Gonzales de Sales* in Diſſertatione *de Duplici Terra Viventium, in Mantiſſa*. Porro quae apud Moſen traduntur de rebus Ante-diluvianis admodum ſunt exigua, quae vero fabuloſo illi figmento, quod Henocho tribuitur, innituntur, nullius plane ponderis ac autoritatis ſunt, quicquid etiam fanatici nonnulli de illius veritate ſentiant. Nam ut fama eſt apud Arabes, hodieque circumferuntur monumenta nonnulla ſub Henochi nomine, quibus imprimis gloriatur *Guilielmus Poſtellus* in libris ſuis, quos ſcripſit *de Orbis Concordia & de Nativitate Salvatoris ultima*, quo poſtremo monſtroſa continentur dogmata. Verum quidem eſt, multa ſpargi de illo ſcripto inepta & ridicula a Judaeis, ſed quae nullis fundamentis innitantur. Arabes fabulantur XXX. ab illo codices ſcriptos, ac refert etiam *Gaſſendus in vita Peireski p. 395.* Aegidio Lopienſi Capucino, qui in AEgypto toto ſeptennio literis Orientalibus operam dedit, viſum fuiſſe librum, cum Tit. Prophetia Henochi, quo declaravit, quae ad finem uſque ſaeculi ſint eventura. Hunc librum addit Gaſſendus Europae primum inviſum, illic enim Charactere AEthiopico ſive Abyſſinorum conſcriptum *Peireskius* magno pretio ſibi comparavit, ſed ſcriptum tamen illud recentioris eſſe aevi, demonſtravit clariſſimus *Hottingerus* in fine ad *Diſſert. Heidelbergenſem primam p.* 133.

hunc

hunc Enochi librum *Capnionem* a Mirandulano grandi pecunia emisse memorat; sed non est; ut scripto illo diutius immoretur, quandoquidem fabulosum illud esse sit argumentis evictum, ut in dubium amplius vocari non possit. Fabulae etiam sunt, quod de hoc libro asserunt, illum peculiaribus literis Post-diluviano Orbi ignotis scriptum fuisse dicunt, suntque qui eo dementiae perveniunt; ut peculiare aliquot Alphabetum nobis consignaverint, cujus tamen Characteres mire inter se discrepant. Tres enim sunt, qui singuli singulare Ante-diluvianum Alphabetum ab Henocho inventum subministrarunt: *Joh. Augustinus Pantheus*, Venetus Sacerdos, in libro, cui horrendum *Voarchdumiae* titulum imposuit p. 15. unde eos descripsit *Thomas Bangius Coelo* Orientis, *Exercit. II. p.* 104. *Claudius Danaetus* Gallus, *in Thesauro suo linguarum Gallice* scripto *p.* 127. *Jacob Bonaventura Hepburnus*, Scotus; in *sua Aurea*, quam vocitat *Virga*. Qui plura de hoc libro Henochiano legere velit, adeat *Joh. Henricum Heideggerum in Historia Sacra Patriarcharum Exercit X.* quae de Prophetia Henochi inscribitur, ubi prolixe de fragmento illius Henochiani autoribus & de illo libro, qui ab Apostolo Juda citatur, differit. Caeterum magna etiam de columnis duabus fama est ante Diluvium erectis, quibus conscriptae fuere observationes siderum, aliaque nonnulla ad res naturales spectantia, sed earum obscura fama est ac plane incerta: Aliqui etiam huc referunt monumenta illa lapidea, quibus peregrinae literae inscriptae, quales in Septentrione passim inveniuntur. Johannes M. certa a Gigantibus Ante-diluvianis fuisse erecta testatur, de quibus videndus *Olaus Wormius* in *Monumentis Danicis.* Legi potest de hoc argumento *Maderi* Schediasma *de Scriptis & Bibliothecis Ante-diluvianis.* De Diluvio ipso longe gravior controversia est, an fuerit illud totius globi terrestris, an vero partis alicujus insignioris. Neque haec res inter Philosophos & Mathematicos tantum, sed & inter Theologos imo Patres ipsos disceptatur. Si Scriptura κατὰ ῥητὸν accipi debet, universale videtur Diluvium statuendum, quod tamen cum rerum Natura, cum Mathesi, cum recta Ratione quodam modo pugnare videtur. Estque huic fini scripta peculiaris aliqua *Dissertatio* de *Diluvii Universalitate*, *Genevae* apud Petrum Columesium (ut titulus fert) *impressa*, revera autem apud Batavos edita, addita Dissertatione *Abrahamii Mylii* de Origine Animalium & Migratione Populorum, apud eundem fictum Typographum editae, sed qui cum altero anonymo Scriptore in eadem sententia concordat. Hujus Diluvii universalis impossibilitatem adstruere his argumentis anonymus laborat: 1.) Quia inundatio terrae ex maris abysso peti non possit, & quidem tanta, quae 15. cubitos altissimos etiam montes excederet, sic enim necessario partem maris antea totam exsiccari debuisse, & vix tum sufficisse ad tegendos montes altissimos, qui primum ipsi ultra duo miliaria a solo protenduntur, atque tum necessario aquam ad latera rursus defluxisse, neque in unam aliquam partem potuisse conglobari, prohibente id globi terrestris rotunditate. 2.) Quia ex imbribus non 40. tantum dierum, sed nec tot mensium, nec tot annorum talis aquarum provenire copia potuit. Si enim mare non sufficit toti terrae tegendae, totque fontes & imbres, qui ex mari elevantur, & per stillicidium iterum decidunt, illud non potuerunt. 3.) Quia Rarefactionis aquae, quam aliqui hic comminiscuntur, tanta vis esse non possit. Nam si aqua ad summam tenuitatem rareficeret, homines suffocare non potest, cum

& Atmosphaera haec, in qua vivimus, non sit, nisi aqua rarefacta; tum & Arca Noae non potuisset sustineri; 4.) Quoniam ad aquas supracoelestes, quas quidam faciunt, confugere hic non possimus. Ut enim vera sit illa hypothesis de aquis supracoelestibus, de quibus multi tamen dubitant, impossibile tamen esset, illas a loco ultra coelum Empyraeum posito in globum terrenum tantillum corpus vocare. Neque tum terra sola, sed & alia corpora coelestia poterant inundari. His difficultatibus in medium prolatis, suam tandem affert sententiam; Diluvium hoc non fuisse universale, sed particulare totius Asiae. Quam suam sententiam ut firmet, primum respondet ad loca Scripturae Sacrae, ea non κατὰ ῥητὸν accipienda; sed populariter, ita ut quum de universa terra mentio fit, illa hoc de parte aliqua terrae insigniori accipiat, quod parallelis e Scripturae locis affirmat. Cui fini etiam e *Chrysostomo* de cataractis coeli apertis, illud esse intelligendum per quandam hyperbolem. Affert 2.) pro argumento, totam terram non potuisse inundari, nec debuisse, quia non habitata erat universa, sed sola tantum Asia. Ante enim Diluvium nulla dispersio gentium facta fuit, sed post Diluvium demum. Atque hoc Diluvium pro universali acceptum fuisse, quoniam maxima terrae pars, quae olim tantum in tres partes divisa fuit, aquis obruta est. Totum igitur Diluvium Asiae Majoris finibus circumscribit, & primum ex Geographicis rationibus, Situ maris Fontiumque illud facile contingere potuisse adstruit. Dehinc nihil hic absurditatis ac praejudicii oriri Sacris Literis probat. Statuit tum, illud Diluvium aliquos homines praeter eos, qui in Scriptura nominantur, potuisse effugere, Gigantes praecipue, aut eos, qui habitabant in finibus inundationis; Scripturam non adeo simplici sensu hic accipiendam, cum & Henochus, qui in Paradisum receptus fuit, aquis Diluvii non perierit, de cujus secessu longam instituit disputationem, ac tandem concludit: illum fuisse in montem Atlantem translatum, ubi & Eliae sedem statuit, cui opinioni ut fidem faciat argumenta affert de Homonymia Henochi & Atlantis, & quae apud Plinium habentur de amoenitate hujus loci, quae tamen ipse ut conjecturas aliquas leviores dimittit. Quae sententia de Diluvio quanquam non sit adeo absurda, pro qua etiam illud *Abrahami Mylii* militat de *Animantibus novi orbis*, quae vel Diluvio non fuere peremta, vel post diluvium denuo creata, quod posterius cum falsum sit, prius verum esse necesse est Nunquam enim illa ex illis terrae partibus in Asiam migrarunt, aut Arcae Noae concludi potuerunt. Non tamen planam rem omnem fecit, quin ipse tandem ad miraculum aliquod confugere opus habeat, quod tamen adeo sollicite in universalitate Diluvii adstruenda cavet. Non enim satisfacit objectioni, de aqua altissimos etiam montes cubitis excedente 15. quae si vera sunt, ut vera esse Scriptura dicit, non potuerunt aquae in unam terrae partem conglobari, quin in alias etiam ruerent, atque dilaberentur, qua ex difficultate ut se expediat, ad Genios & Angelos tandem confugit, istarum aquarum molem quasi cingentes, atque in istam terrae habitatae partem quasi devolventes. Hanc Diluvii particularitatem etiam alii assertum iverunt. *Augustinus* enim *Steuchus* pene iisdem argumentis ductus *lib. II. de perenni Philosophia cap.* 2. in Chaldaea Mesopotamiaque tantum contigisse memorat. In eadem sententia est Autor ille, qui de *Prae-Adamitis* scripsit, *Isacus Peyrerius*, cui illa sententia opus erat, ut Prae-Adamitas suos adstrueret. Denique unius Hemisphae-

misphaerii partiale Diluvium statuit Gonzales de Sales, quem superius citavimus. Hujus sententiam *Christianus Scotanus* & *Heideggerus* refutavit in *historia S. Patriarcharum Exercit.* 18. *num.* 23. qui eadem exercitat, Peirerii etiam argumenta refutavit. Eodem in loco *Isaaci Vossii* quaedam argumenta circa universitatem Diluvii solvit *n.* 22. Is quoque ejusdem sententiae est cum Anonymo, ut vel ego Anonymum illum ipsum esse plane suspicer, vel alterum alterius argumenta descripsisse; sed non sunt omnia ista argumenta ejus ponderis, ut Diluvii illius universalitatem tollant. Nam quanquam hic omnes ex adversa parte illam Naturae impossibilitatem attendant, satis tamen argumentorum in Natura remanet, quod Scripturae Autoritatem salvet, adeo ut ne ad miracula quidem confugere opus sit, quod facere tamen debent illi, qui particularitatem Diluvii adstruunt. Ac notat jam tum Cornelius a Lapide sibi Romae Mathematicos, subductis rationibus ostendisse, spatium illud quinque milliarium, quod supponitur ab aquis diluvianis impletum non esse, nisi ducentesimam octavam partem globi terrestris. Rem vero totam solidissimis rationibus proposuit *Nicolaus Stenonis* in *Prodromo Dissertationum de Solido intra Solidum naturali contento*, ubi circa finem argumentis, ut puto, demonstrativis, aut illis non dissimilibus universalitatem Diluvii it assertum, quae vel ideo diligentius perpendi merentur, quoniam ipse Vir est citra controversiam rerum naturalium mathematicarumque peritissimus, judiciique subtilissimi; tum quia hodie profani quidam homines iis argumentis, quae Physica & Mathesis suggerit, audacius contra Scripturae Autoritatem pugnant. Qui liber cum non sit in omnium manibus; excerpemus, quantum ad illustrationem hujus controversiae pertinet, plenius forte rem ipsam deducet Dissertatio ipsa, cujus editionem promisit. Sunt vero argmenta ejus illa: 1.) quia certa vestigia maris exstant in locis ultra 100. pedes supra maris superficiem elevatis; 2.) quia cum omnia terrae solida initio rerum fluido aqueo tecta fuerint, sic aqueo fluido itidem tegi potuerunt; nulla enim rerum naturalium in nihilum reductio. Terrae vero fabrica ita potest esse composita, ut ingentia illic extent spatia fluido vel aqueo, vel aëre plena; 3.) quia, cum incertum sit, quae vallium profunditas initio Diluvii extiterit, ratio suadet primis mundi saeculis ab aqua & igne minores cavitates exesas fuisse, adeoque minus profundas stratorum ruinas inde secutas fuisse; montes autem altissimi erant eorum montium, qui tunc temporis reperiebantur, non autem eorum quos hodie videmus. 4.) Si animalis motus id agere potuit, ut pro arbitrio modo aquis obruta loca sicca reddantur, modo novis aquis obruantur: quid enim Primo rerum omnium Motori eadem libertas concedi potest. Haec generalia ejus argumenta sunt, unde pergit ad ostendendam verisimilitudinem Diluvii universalis. Supponit, ignem in medio terrae huic aquarum spaeram circumfusam, aut saltem ingentia aquarum receptacula aquam visceribus terrae inclusam vi ignis subterranei, partim versus fontes actam, partim per terrae nondum obrutae poros in aërem propulsam, illam vero aquam pluviarum specie delapsam fuisse. Fragmenta quorundam stratorum collapsa, quibus obturati meatus, per quos in terrae cavam penetrans mare ad fontium scaturigines aquam mittit. Fundum maris ad dilatas cavernas subterraneas elevatum, reliquas in superficie terrae cavitates repletas fuisse, terrena maria ab altioribus locis continuo pluviarum allapsu abrasa. Ipsam terrae superficiem minus inaequalem fuisse

se utpote ordine viciniori, ac verisimile esse, tum, cum terrae superficies aqua tecta fuit, profundas valles productas, quae ante Diluvium non erant, quod inde verosimile fit, quia ignium subterraneorum vi majoribus ruinis cavitates ampliores factae majoribus ruinis locum praebuere, tum quia aquis aperiendus erat reditus in profundiora terrae, quodque hodie in locis a mari remotis profundae valles conspiciantur, repletae pluribus sedimentis marinis. Quibus argumentis opinor satis evicit probabilitatem universalitatis Diluvii, ut Autoris anonymi sententia contraria, attendi vix mereatur. Porro an aqua diluvialis illico tota recesserit, an vero labentibus saeculis novae voragines apertae, novis detegendis regionibus occasionem praebuerint, neque ex Scriptura, neque ex Historia patet. Id quidem certum est, magnam terrae quantitatem singulis annis deferri in mare; adeoque delectas a fluminibus terras, littoribusque adjunctas in dies novas terras relinquere novis habitationibus aptas, quod antiquorum confirmat opinio, qua integras regiones Cognominum fluviorum digerunt, ut & Graecorum traditio, dum referunt homines sensim a montibus descendentes maritima loca ob nimiam humiditatem sterilia successu temporis foecunda reddita incoluisse. Quae porro superficiei telluris facta fuerit mutatio, dici certe non potest, verosimile tamen est, dictas planicies aquarum praecipue ratione, interdum & ignium exustione in varias canales, valles, & praecipitia transiisse. Eorum vero nihil in historiis consignatum est, nisi subobscura quaedam & dubia. Cum enim raro haec obveniant, nec advertantur semper, non potuerunt haec adeo accurate notari. Si tamen ex iis, quae supersunt Scriptorum monumentis, judicandum est, in quorum scriptis tamen non singulis annis in portenta referuntur terrae motus, e terris erumpentes ignes, fluminum & marium exundationes, vel ex iis colligere licet, 4. mille annis multas variasque mutationes contigisse. Quibus principiis subnixus Nicolaus Stenonis vehementer reprehendit illos, qui in scriptis antiquorum multos errores accusant, quod varia ibi occurrant ab hodierna Geographia discrepantia. Quare multas antiquarum narrationes, quas fabulosas quidam existimant, ille pro veris habet, ut sunt mare Mediterraneum ab Oceano Occidentali separatum: e Mediterraneo mari in mare Rubrum transitus: Insulae Atlantidis submersio, de qua extat apud Platonem narratio: Unde *Baco Verulamius* occasionem sumsit, ut describeret Atlantidem suam locum fabulosum, atque sub illa imagine ideam bene formatae Reipublicae repraesentaret. Variorum locorum in itineribus Bacchi, Triptolomi, Ulyssis, AEneae aliorumque descriptio, quae rebus hodie occurrentibus non respondent. Pollicetur porro ille Autor, se plerasque mutationes, quae in Hetruria contigerunt toto spatio, quod inter Arrim & Tibrim intercipitur, evidentibus demonstrationibus manifestaturum. Huc usque de universalitate Diluvii dixisse sufficiat. Quod porro ad Historiam Ante-diluvianam spectat, consulendum suaserim Heideggerum, in cujus Exercitationibus deprehendi multa possunt e Rabbinis aliisque historicis congesta: Legi etiam potest liber nescio cujus Rabbini *de Vita Mosis*, quam Vir doctissimus Gallus *de Gaulmin* singulari Commentario illustravit, ubi pleraque, quae ad Historiam Mosis pertinent, ejusque sepulturam discutiuntur. Quibus addi etiam potest Dissertatiuncula *Joh. Kreilii de Sepultura Mosis*. Haec de Historia Antediluviana, in quantum a Mose tradita est, a fabulis vero Rabbinorum incrustata.

Quod

Quod reliquum est rerum Hebraicarum ac finitimarum etiam gentium, a Mose in libris quinque traditur, tum in reliquis Veteris Testamenti Libris, in quibus tamen passim interruptam alicubi habemus Historiam, atque scribit Josephus lib. I. contra Appionem, Historiam Hebraeorum usque ad Artaxerxem, in quo desinit liber Esther, certam esse, sed eam quae post ea tempora scripta est, non posse fide & dignitate cum priori aequari. Post Sacros Scriptores habemus *Josephum*, qui XX. *libros Antiquitatum Judaicarum* secundum Scripturae Sacrae ordinem adornavit, atque ab ipsis mundi exordiis usque ad sua tempora Historiam suam deduxit, passim Interpretem potius Scripturae Sacrae quam historicum agens, saepe etiam in gentis suae partes propendens. Finiit libros Antiquitatum anno Neronis XII. Belli Judaici, cum ipse interfuerit, luculentior est ac fide dignior Historicus, quod & Egesippus Judaeus conversus descripsit, quem Hieronymus aetate Adriani, alii post tempora Constantini M. floruisse volunt: Caeterum editiones Josephi vehementer variant, nec emendata satis exemplaria habemus, quod movet Virum doctissimum *Joh. Andream Bosium* Historiae Sacrae peritissimum, ut opus hoc cum manuscriptis Codicibus, quos nancisci potuit, cum versionibus plerarumque linguarum collatum aliquando in lucem edere cum notis suis instituerit, ac extat de variis Manuscriptis Josephi exemplar Lambecii ad Augustum Brunsvicensium, & Luneburgensium Ducem. In Anglia Viros doctos idem habere institutum edendi Josephum ex nuperis Henrici Oldenburgici Societatis Regiae Secretarii didici: Bosius insigne Commentarii sui specimen dedit in *Pericopa* illa, quae *de Salvatore nostro* agit.

Hebraeis proxime accedunt Chaldaei, quorum Historia a Sacerdotibus consignari solebat, religioseque in Bibliothecis & Archivis asservatur, ut *Metasthenes* de indiciis temporum testatur; *Berosus* Assyriorum res gestas scripsit, postque Alexandri M. tempora vixisse creditur. Citatur a Metasthene, Josepho & Athenaeo. Sed genuini quidem Berosi Historia deperdita est, quae hodie circumferuntur sub ejus nomine opera *Annii Viterbiensis* publicata, falsa sunt & conficta. Aliqua tamen fragmenta esse putant genuini Berosi, sed citra judicium atque delectum ita congesta & abbreviata, ut necessaria abbreviator ille praetermiserit, supervacua commemoraverit, aliena ac falsa injecerit. Eum tamen ipsum lectu non inutilem aut insuavem esse judicat *Chytraeus de Lectione Historiarum*. Ac sunt etiam aliqui, qui veritatem tamen aliquam in iis latitare suspicantur. Caeterum nihil est hic, quo inniti tuto possis. Non est accurata temporum rerumque distinctio, omniaque passim produnt dubiam harum rerum fidem. Legi ea de re permulta possunt in *Scaligeri* opere de *Emendatione Temporum*, ac Epistolis nonnullis, quas super hoc argumento ad Sethum Calvisium scripsit.

Post Chaldaeos Aegyptii Antiquitatis studium celebrant, qua in gente Historiae cura penes Sacerdotes fuit, qui secundum post Reges honoris dignitatisque gradum obtinuere. Eorum nulla monumenta ad nos pervenerunt, nisi quod *Diodorus Siculus lib. I. Bibliothecae Historicae* aliqua inde excerpserit & suae Historiae admiscuerit. Aliqui eorum Historias antiquissimas olim ante Mosen extitisse crediderunt. *Manethon* Aegyptius quidam, ex reliquis Sacerdotum Graeci quodpiam scripsit, teste *Josepho lib. I. Contra Appionem*. Nam quod Annius Viterbiensis sub ejus nomine publicavit confictum est. Caeterum inter antiquiores Autores, qui res Aegyptias tradidere,

paucos,

paucos, & fine ordine nullum habemus praeter *Herodotum*, *Diodorum Siculum* & *Strabonem*. Fuisse vero apud illos Historias longe antiquissimas vero est simile. Gloriantur etiam Chaldaei de innumerabilium saeculorum observationibus. Josephus quoque ipse citato illo loco: Omnia, inquit, Graecorum nova & heri nuper nata cognovi, sive fabricant civitatem & inventiones artium, conscriptionemque legum, rebusque cunctis recentior apud eos est Historiae conscribendae ratio: apud Aegyptios autem & Chaldaeos ac Phoenices, sicuti ipsi fatentur, res gestae antiquissimam & permanentem habent memoriam. Nam multum providerunt, ut nihil tacitum relinqueretur, sed omnia in Annales a Viris sapientissimis referrentur. Quae hinc exscripserunt Graeci, mirum in modum sunt fabulis deturpata, quarum multas congessit Herodotus, qui ipsius Diodori Siculi judicio lib. I. c. 68. portenta narrationum pro veritate sponte amplexus.

His non immerito Chinensium etiam gentem junxeris, quorum Annales sunt antiquissimi. Maxima enim cura, imo superstitione, pene ab ipsis regni initiis res suas consignarunt, non promiscue omnes, sed ii, quibus id officium a Regibus injungebatur. Hinc mire se cruciavit *Martinius Martini* in *Historiae Sinicae Decadibus*, ut conciliaret eorum Chronologiam cum Sacra Scriptura, cum videret longe ultra Scripturae S. tempora illam excurrere, eam vero falsitatis arguere non auderet, ob summam accurationem adhibitam, quod & Isaaco Vossio ansam dedit, ut mundi aetatem prorogaret libris peculiaribus editis, hoc praecipue fundamento innixus, & quibusdam versionis LXX. Interpretum locis: Fuisse illam gentem antiquissimis temporibus potentissimam, ac longe lateque Colonias in novum Orbem misisse, conjicias ex eo, quod apud Peruanos antiquissima ejus populi monumenta literis Hieroglyphicis, quales & Aegyptiorum sunt, scripta fuisse testetur Garcillasso della Vega, e gente illa oriundus Scriptor, quanquam conjectura assequi non licet, quomodo gentes illae inter se convenerint. Caeterum omnem Aegyptiorum Historiam, & quicquid ad illam pertinet, collegit anxie satis *Kircherus in Oedipo suo Aegyptiaco*, quanquam & ille plus ingenio suo, quam par est, indulgeat. Legi etiam possent *Laurentii Pignorii Commentarii de Mensa Isiaca*, & Epistola; sed exigua haec sunt & levia antiquitatum vestigia.

In gente Persica Historiographia demandata erat Magis, S. Sacerdotibus, & Philosophis Persicis, e quorum numero Metasthenis vel ut alii Matasthenis quaedam circumferuntur pagellae de Chaldaeorum & Assyriorum Monarchia bipartita, ac de Regibus Persicis usque ad obitum Alexandri M.: memorat Strabo lib. 15. aliique Veteres Magasthenem aliquem, qui res Indicas scripsit. Solinus quoque in Polyhistore c. 49. eum laudat rerum Indicarum Scriptorem, quique ipse rebus, quas descripsit, testis adfuerit; sed nulla apud illos Persici Historiographi Metasthenis mentio: quare supposititium Scriptorem censent eruditi, pluribusque ostendit *Possevinus* in *Bibliotheca lib. XVI. sect.* 4. c. 8. Nemo vero fuit celebrior in hac gente Scriptor, quam *Ctesias* Cnidius Cyri Junioris tempore, anno mundi 3550., florens ante Christum natum 400. annis, qui in Expeditione Cyri adversus fratrem Artaxerxem captus, ac postmodum ob singularem in Medica arte experientiam in pretio a Rege habitus, e monumentis Persarum optima quoque excerpsit, ac XXIII. libris compilavit, prioribus VI. res Assyriorum, quae ante Persicam Monarchiam contigerunt,

runt, tractantur a septimo usque ad XIII. quae ad Cyrum, Cambysen, Artaxerxem, Darium Hystaspem & Xerxem pertinent, in reliquis omnibus omnia usque ad Artaxerxem Mnemonem commemerantur. Sed interierunt tam praeclara hujus gentis monumenta, servatis quibusdam velut e naufragio tabulis, quae a *Photio* excerptae sunt, parvulis quibusdam fragmentis.

Post Persas genti Graecae Historiarum scriptio curae fuit, sed quoniam non fide publica conscriptae fuerunt, ac hominibus aptis munus illud a Magistratibus demandatum, ut in caeteris gentibus, innumera fabularum multitudo eorum historias defoedavit. Omnia enim Mythologiis & anilibus commentis plena usque ad Olympiades, quarum initium est ab anno M. 3474. Post illa tempora magna diligentia scribendae Historiae fuit adhibita, quorum multi cum summo etiam periculo & sumtibus populorum mores indagarunt, ut de Diodoro, Polybio aliisque constat. *Herodotus* inter illos antiquissimus, qui circa tempora Esdrae & Nehemiae anno M. 3520, ante bellum Peloponesiacum floruit. Scripsit autem *libros IX* sub *novem Musarum nominibus*, quod nescio quomodo Poëticum est, & ab Historiae Scriptore alienum. Certe vel ex ipsis illis titulis augurari quodammodo licet, multa illic fabulosa & poëtica haberi. Plutarchus, Strabo, Achronismi etiam illi vitium impingunt. *Joachimus Camerarius* singulari quadam apologia causas egit, quae Graecae editioni praefixae sunt. Item *Henricus Stephanus* Gallica lingua librum singularem scripsit, cui titulus: *Apologia pro Herodoto*, sed nihil minus in illo scripto agit, quam quod Herodo um defendat; totus enim Satyricus est, ac perstringit miracula Sanctorum apud Pontificios, atque ex inductione illorum verosimilem etiam facere laborat Historiam Herodoti, & fuisset ob istum librum combustus, nisi mature fuga sibi consuluisset. *Libro I.* Herodoti, qui *Clio* dicitur, continetur Historia a Gyge Lydorum Rege usque ad initia Monarchiae Persicae. *Secundo libro Euterpe* habetur Historia Aegyptiaca, cum populi ejus moribus. *Libro III. Thalia* habetur Historia Cambysis, Babylonis expugnatio &c. *Quarto Melpomene* habetur de Darii adversus Scythas bello, de gentibus Lybicis &c. *libro V. Terpsichore* tractatur Historia Thraciae, Boaetiae, Macedoniae. *Libro VI. Eratho* tractatur de seditione Joniae, excidio Myleti, ortu Regni Laconici, de bello Persarum & Graecorum. *Libro VII. Polyhymnia* describitur expeditio Xerxis in Graeciam. *Libro IIX. Vrania* habetur de Graecorum praeliis navalibus adversus Persas. *Libro IX Calliope* continentur Victoriae Graecorum a Persis reportatae. Proximum ab Herodoto locum habet *Thucydides*, Historicus Atheniensis, qui in decennali suo exilio in Aegina Historiam belli inter Athenienses & Peloponnenses gesti descripsit. Qui libri hodie extant non in Latinam tantum, sed Gallicam etiam linguam conversi, ex qua familiariter eos legit Carolus V. Imperator. De fide & gravitate, qua eos scripsit, testatur *Cicero de Oratore cap. 9* & de *Claris Oratoribus cap. 83*. Thucydidem excipit *Xenophon*, qui *in libris Hellenicorum* bella inter Graecas civitates per 44. annos gesta descripsit. Idem & *VII. libris de expeditione Cyri Junioris* adversus ad Artaxerxem fratrem scripsit. Ipse militarium rerum peritissimus, & expeditionis Cyri testis. Παιδεία *Cyri* ab eo scripta Philosophicis potius, quam historicis annumeranda. *Diodorus Siculus* universalem pene Historiam scribere annisus est, quod vel ex titulo libri patet: Inscripsit

enim *Bibliothecam*, cujus *XL. libri* sunt. Graecorum res singulari fide & industria consignavit, 30 annos huic operi insumsit, ac ex ipsa αὐτοψίᾳ non pauca deprompsit, magnam Europae & Asiae partem non sine plurimis periculis peragravit: Historiae suae rationem atque ordinem ipse in principio Bibliothecae suae prolixius exponit. Ex iis vero XL. libris non pauci perierunt; quinque scilicet inter librum V. & XI ac ultimi viginti, quorum aliqua restant fragmenta. Magnam etiam Historiae Graecae partem attigit *Plutarchus* in *Vitis Virorum Illustrium*, quibus parallelas fecit Historias Romanas e Vitis illustrium Romanorum depromtas. Sed quoniam singulares hae sunt Historiae, ad ordinem seriemque temporum adeo revocari non possunt. Jungendus etiam his est maximus aevi sui Historicus *Polybius*, tempore Scipionis Junioris florens, cujus ille comes in expeditionibus bellicis fuit. Is sui temporis Historiam universalem exorsus magno ingenio ac judicio, sed ejus operis parum ad nos pervenit. Nam de XL. libris supersunt quinque tantum priores & caeterorum quorundam epitome, secundo, quarto & quinto libro continentur praecipue illae res, quae cum Alexandri M. successoribus gestae sunt. *Alexandri M. Historiam Callisthenes*, *Aristobulus*, *Ptolomaeus* descripsere, quorum tamen libri ad nos non pervenerunt. Post quos *Arrianus* Nicomedensis circa Christi annum 146. *Historiam Alexandri M.* sibi describendam sumsit eleganti opere: Oratio enim ejus Veneres Atticas spirat. Atque hi praecipui sunt Graeci Historiae Graecae Scriptores. Latini ejus Scriptores vel aliquam Historiae partem, vel seorsim inter Romanas Historias descripserunt. Ita Alexandri M. res gestas *Curtius* exposuit, cujus oratio exemplum quoddam historici stili praeferre videtur. Libros ejus deperditos supplemento restituit Freinshemius.

Romanarum Historiarum diligentius quam reliquarum gentium Scriptores habemus; inter quos primo loco merito numerandus est *Dionysius Halicarnassensis*, cujus fidem & diligentiam non immerito caeteris omnibus praeponit *Bodinus* in *Methodo Historiarum*. Ab ipsa enim Orbis origine Antiquitates Romanas tradidit, & quae Latini negligentius tradiderunt, ut pervulgata & sibi nota, homo Graecus ex omnibus urbis commentariis collegit; quicquid etiam pertinet ad Jus Publicum vetus Romanorum cum cura digessit, atque cum Graecorum ritibus & institutis comparavit. Scripsit XX. libros sermone Graeco purissimo sub aetate Augusti, cum 22. annos Romae vixisset, ac Historiam Romanam usque ad initia primi belli Punici continuavit, per annos ab U. C. 468. Sed eorum etiam magna jactura est: Soli enim priores supersunt, qui desinunt in eversione Tyrannidis decemviralis anno U. C. 312. Plura in ipso Autoris Prooemio legi possunt. Dionysium sequatur *Livius* Latinus *Historiae Romanae* Scriptor Patavinus, quam in *XIV. Decades vel CXL libros* distruibuit, e quibus prima, tertia, quarta, ut & quinta dimidia adhuc supersunt, reliquis per injuriam temporis deperditis, quarum jacturam solantur *Flori Epitome* & supplementa Freinshemiana, quae magna ingenii felicitate e caeteris historicis Romanis Vir ille eruditissimus congessit. De Eloquentia ejus Historica dicere non est hujus loci Merito explodendus hic est *Asinius Pollio* cum isto Patavinitatis convitio, quod illi objecit, ut mihi quidem non displiceat *Scioppii* judicium, sententis, quod plus fuerit Asinio Asinitatis, quam Livio Patavinitatis.

nitatis. Ambigunt quidem inter eruditos nonnulli, quid ista Patavinitate sibi voluerit Pollio. Aliqui enim per eam intelligunt partium Pompejanarum studium, aliqui perversam aliquam scribendi rationem, ut existimat Laurentius Pignorius, qui primum adeo se oculatum fuisse gloriatur, ut Patavinitatem deprehenderet. Scripsisse enim Livium putat pro vocali i semper e, quod ineptum est ac nugatorium. Quod illi argumentum tanti visum fuit, ut Inscriptionem illam. quae Titi Livii esse perhibetur, non putaret esse genuinam, quod illic simplex litera i scriptum fuerit, non vero e, cum longe sint alia certiora argumenta, quae Inscriptionem hanc non Titi Livii, sed cujusdam Liberti e familia Liviana esse evincant, qua tamen frustra sibi blanditi fuerunt Patavini, existimantes se reliquias cadaveris Liviani invenisse, Inscriptione illa male intellecta inducti, Atque hunc errorem primus eos docuit Clarus *Marquardus Gudius*; *Paulus Benius*, ipse Patavinus, *lib. 2. Historiae* in Livium popularem suum stilum vehementer exacuit, jam Historiam ejus crebris conviviis lacessens, jam dictionem ejus exagitans. Objicit enim illi, quod stilus ejus nimis poëticus sit, nimisque longus, & aliquin habeat dictionem dissimilem, fortuitam, & interdum vastam & inconditam. Patavinitatem vero illi ab Asinio Pollione objectam, non nisi Pompejanitatem interpretatur. Putat enim in gratiam popularium suorum Pompeji partes secutorum, illum liberius scripsisse. Sed ego tamen puto, id non intendisse Pollionem, sed potius quidpiam in dictione ejus reprehendisse, quod municipale quidpiam sonaret. Nemini enim reor ignotum est, fastidiosas delicatasque fuisse Romanorum aures, quae in municipalium linguis semper sibi aliquam deprehendere peregrinitatem videbantur, de quo cum judicare nos non possimus, frustra instituitur talis aliqua dissertatio. Historiam Romanam Graeca lingua scripsit Polybius, de quo jam supra egimus, cui addi possunt *Sallustius*, *Caesar*, *Paterculus*, *Tacitus*, *Suetonius*, *Florus*, *Ammianus*, *Orosius*. Et *Sallustius*, cujus Historiae per exiguam habemus partem aliquam, tempore Caesaris Dictatoris, Pompeji & Ciceronis vixit De illo Catilinariam conjurationem, bellum Jugurthinum ac Orationes aliquas habemus. Vetustatem dictionis affectat quodammodo. Praeterea etiam Civilem Prudentiam intemperantius ostentare *Paulo Behnio* videtur. Eloquentiae etiam nervos ambitiose intendit Thucydidis instar, quemque e Graecis praecipue imitatus videtur. Passim quoque res gestas altius repetit & descriptionis in concionibus etiam modum excedit, ac necessaria quaedam praetermittit, ut idem judicat non inepte, ut mihi videtur, Behnius. Quod stilum attinet a Caesariano quidem diversus est, si tamen obsoleta quaedam demseris, bene quidem ad imitationem proponi potest, ac perspicua brevitate ejusque moderatione Caesarem non aequavit modo, sed & superavit.

Pro Eloquentia itaque Historica laudari potest, vel potius pro Elocutione. In Historia ipsa a scopo nonnunquam aberrare videtur. *Julius Caesar Commentarios* scripsit *rerum suarum a se in Bello Gallico & Civili* gestarum, & *de Bello quidem Gallico libri sunt VII.* quibus *Octavum* addidit *Hirtius*. Bellum Civile libris III. complexus est. Supersunt alii tres libri, *primus de Bello Africano*, *secundus de eodem*, *tertius de bello Hispanico*. E quibus tamen aliqui priores duos, aliqui totos tres adscribunt Hirtio. *Aldus* vero *Manutius* tertium librum ne quidem Hirtii esse ostendit, cum non videatur ab erudito viro scriptus sed incomtus ac barbarus. Hunc Paulus Behnius unum instar omnium habet Historicorum perfectissimum. Cum enim illi

Livius toto dicendi genere ac stilo ab eo dissidere videatur ; Sallustius vero si non dictione omnino, at certe dispositione totoque artificio reliquo cum illo pugnet, *Curtius* quoque propria scribendi ratione gaudeat ; hic non solum orationis quodam candore ac virili dicendi genere Commentarios suos scripsisse, sed & quae ad Historiam pertinent, probe executus ille videtur, ac pene unus inter historicos summos sapere. Quo tamen judicio fortassis non omnium meriturus esset suffragium Quanquam enim dictionis Romanae puritate certare cum omnibus possit, ac praeferri omnibus deberet, erunt tamen fortasse etiam in caeteris historicis aliquae dotes, quibus inferior erit Julius Caesar. Ut enim in illo laudanda est dictionis puritas, ita in his ipsum scribendae Historiae artificium laudari debet, quo superarunt sine dubio Caesarem libros tantum Commentarios & Ephemerides scribentem. *Vellejus Paterculus Epitomen historiae Romanae* scripsit, quae ad annum Tiberii decimum sextum decurrit, edita est a *Rhenano* sed non integra. Liber enim primus initio caret, nec pauca in ejusdem medio & fine secundi desunt. Affectibus non omnino videtur liber, & etiam in Augustum & Tiberium justo propensior. Ordo ibidem non satis accuratus est, dictio perspicua ac tenuis nonnunquam. Multus est in Characteribus Virorum illustrium exprimendis, semper enim de ingeniis illorum judicia format, quae usui esse possunt in Prudentia Civili; in Historia vero aliquid affectationis prae se ferre videtur. *Boeclerus* Characteres ejus eleganti *Dissertatione* illustravit, magno futura usui illi, qui ex actionibus Virorum in Rep. constitutorum, de ingenio & moribus hominum judicabit, aut ex illis, si forte tales inveniat, de eorum actionibus. Cujus rei studium Graeci prae caeteris excoluisse videntur, e quibus habemus *Theophrasti* aureum librum de *Characteribus*, quemque doctissimo Commentario illustravit *Casaubonus*. *Cornelius Tacitus* a morte Augusti Caesaris usque ad Trajanum Historiam scripsit, e quibus libris supersunt *Annalium primi V. libri*, qui Historiam Tiberii Caesaris complectuntur, & posteriores XI. qui ab XImo usque ad XVtum sequuntur, desinuntque in Nerone, *a septimo usque ad XI. periere* : Vixit sub Hadriano Imperatore & Galliae Belgicae praefectus fuit. Brevi utitur stilo, ac sententias Politicas quasi ex abdito erutas inspergit, Politicam illam Prudentiam ubique circumferens, quo nomine reprehenditur quidem a multis, qui alienum illud ab Historia esse existimant. Et *Cardinalis* quidem *Perronius*, ut ex excerptis illis, quae fratres Puteani collegerunt, patet, sub voce stilus, unam Curtii paginam meliorem judicat quam multos Taciti libros, quod a Viro quidem prudenti ac doctissimo profectum judicium hic mihi quidem attendendum non videtur : ut enim demus, stilo superiorem forte esse Curtium, quanquam & aliis aliter videatur, improbum tamen esset, tam profundae prudentiae Thesaurum velle perditum, quam ut aliqua stili venustas nobis pereat, quanquam si recte rem pensitare velimus, sui temporis Eloquentiae Principem facile fuisse Tacitum una verosimile sit. Nullus enim ex antiquitate produci potest Autor, qui laudabilius brevis & argutus esse didicerit. *Scioppius* autem maledicus est, qui pejorem librum lucem non aspexisse, quam Taciti opus, calumniatur in libro suo *de stilo historico*. Exstant in eum Autorem varii Virorum doctissimorum Commentarii, e quibus omnibus *Scipionis Ammirati & Forstneri notae optimae sunt*, quibus addendae sunt *Dissertationes* hactenus *MStae Trajani Boccalini* in *omnes Taciti libros*, quarum editio proximis nundinis dabitur, nisi mentiuntur Catalogi Frankofurtenses. Synchronus Tacito

cito fuit *Suetonius*, qui Vitas XII. primorum Caesarum, qua potuit brevitate descripsit.

Magister fuit epistolarum apud Hadrianum Imperatorem, qua dignitate tandem exutus fuit ob nimiam cum Principis uxore familiaritatem. Passim deprehendere licet Prudentiam ejus Politicam & solidam eruditionem. *In Suetonium notas Politicas scripsit Levecotius*, & in ejus Julium Caesarem peculiarem dissertationem, qua artes Tyrannicas modumque convertendi Aristocratiam in Monarchiam accurate persecutus est. Stilus tolerabilis brevitatem rerum potissimum sectans. Puram ac tersam dictionem illi *Lipsius lib. II. Elect. c.* 17. tribuit. Deprehendere tamen passim licet Latinitatem inclinantem. *Bodinus de Methodo Hist. cap.* 4. reprehendit in eo, quod minuta nimis sectetur, ac vitia Imperatorum nimis accurate recenseat, qua in re culpandus minime est. Ii enim, qui Vitas scribunt, minutiora sectari debent, quam Historici. Historici Principum res gestas describunt, quatenus illae negotiis publicis implicatae; qui Vitas scribunt, minutiora sectari debent. Nam privata etiam interdum omitti non debent, praesertim cum Principum facta & dicta exemplum populo praebeant, aut aliquid de ingenio eorum retegant, ex quo conjicere plura prudentes possunt. Hinc Argo saepe oculatiores sunt, qui Principi ad latus sunt, ideo cum illis versantur, ut memoriae prodant eorum res gestas. Galli hic imprimis solent esse occulati, qui privatissima quoque in rebus suis, amores clancularios similiaque indagare ac publicare etiam non verentur. Varias Suetonii editiones recenset *Hankius de Scriptoribus rerum Romanarum part. I. cap.* 16. *art.* 2. Omisit vero *optimam variorum, quae in folio* prodiit. Novam molitus editionem *Joh. Georgius Graevius*, cum *Casauboni integris notis*, aliorum excerptis atque suis. *Casaubonianas* elegantissimas Boeclerus ante quoque edidit cum Dissert. suis Πολιτικωτάτοις, quae ad Prudentiam Civilem spectant. *Torrentii* quoque *Commentarios* prae caeteris ad Antiquitatum Romanarum illustrationem commendamus. Multa enim in Suetonio occurrunt rerum antiquarum, tam Romanarum quam Graecarum, multa quae ad Antiqui Juris imaginem pertinent, Leges, Edicta, scripta, quae alibi non temere reperiuntur. Item quae ad cognitionem Principum ac Jurisdictionem pertinent. In iis enim rebus prae caeteris multi sunt Suetonius & Tacitus, quam ob causam Jurisconsultis quam maxime prodesse possunt, qui ad interpretationem Legum suarum ac verum earum intellectum recurrere ad Historias necesse habent. Ac miser profecto est JCtus ac ineptus Legulejus, qui hos Autores interdum ad subsidium non vocat, quae si quis probe cognita atque perspecta habuerit, nullo negotio nodos solvet, in quibus alii misere trepidarunt. Eodem tempore vixit *Florus*, qui *Epitomen rerum Romanarum* scripsit, stilo propemodum poëtico ac maxime florido Epitomatoris partes bene egit, sed quod commune illorum hominum erratum est, in rerum, temporum circumstantiis notandis, non satis accuratus fuit. Si pauca exceperis, frigidiuscula non magnopere culpari ejus dictio potest. Quod enim ad Poëticas dictiones attinet, eas in Livio & Tacito saepissime deprehendas, ac fuit nemo temperantior Julio Caesare & Cornelio Nepote, caeteri pinguiores loquendi modos, & nescio quem Enthusiasmum spirantes interdum immiscent. Qua ratione magnam aliqui Historiae & Poëseos affinitatem esse voluerunt. Et *Johannes Jovianus Pontanus* in *Dialogo suo*, quem *Actium* inscribit, Poëma vocat Historiam pedibus & nu-

meris vinctam; Historiam Poëma pedibus & numeris solutam. Elegantissimas Prudentiae Civilis observationes in eum scripsere *Zevecotius* & *Rupertus*. Epitome Liviana, quae addi illi solet, ut recte judicat Vossius, non a Floro, sed ab alio quodam est confecta. *Ammianus Marcellinus* Graecus homo, miles in Gallia & Germania sub Juliano Imperatore *rerum a Romanis gestarum libros XXXI. scripsit*, ut ex Libanii ad ipsum Epistola constat. Ex iis priores XIII. injuria temporis perditi. IV. a rebus Gallicis incipit, scripsit stilo horrido, turbato, atque ut poterat scribere isto tempore homo militaris peregrinus Bodinus censet illum Taciti libros sibi imitandos proposuisse, sed successu parum felici *Gaddius de Scriptoribus Ecclesiasticis Tomo I p.* 27. multas ex Solino sententias atque locutiones mutuatum esse vult, praecipue Poëtismum sectatur in Oratione, non quidem caeterorum more Historicorum, sed immodeste plane ac inepte, cujus exemplum hoc esto: Hieme vero humus crustata frigoribus, & tanquam laevigata, adeoque labilis incessum praecipitantem impellit, & patulae valles per spatia plana glacie perfide vocavit nonnunquam transeuntes, quod tribus quatuorve verbis in sana oratione poterat explicare. Non audiendus Gaddius, qui eum excusat exemplo Taciti & Livii, sed magna inter illos discrepantia est; longe enim decentius illi Poëtismis utuntur. Henricus Valesius verba quidem in illo Latina agnoscit fere omnia, sed constructionem & collocationem militarem esse. Verbosior illi audit, quam par est, quod vitium est eorum, qui se profecta aetate ad studia contulerunt. Commendandus vero praecipue est ob veritatis studium, & ob cognitionem rerum inprimis Germanicarum, quas ille libris suis vehementer illustravit. Qua ratione etiam Vossius judicat, Vitia hujus Scriptoris longe superari ab ejus Virtutibus. *Caspar Barthius Lib.* 25. *adverſ. c.* 2. invidendum Ammiano elogium tribuit. Nullum enim ex omni Historicorum numero prudentiorem habet, quique paucis plura dicat, ubi Reipublicae & vitae munia tractat, ut per totam vitam suam etiam longaevam quempiam hominem satis habiturum quod agat, arbitretur, qui Politica hujus Autoris enarrare velit, quod quidem judicium per omnia non probem ego. Qui Tacitum superet ego sane vidi neminem. Commentario ejus libros illustrarunt *Fridericus Lindenbrogius*, *Janus Gruterus*, *Marcellus Donatus*, *Henricus Valesius*. Floruit circa annum Christi 360. rerum, quas scripsit αὐτόπτης. *Paulus Orosius* Hispanus Augustini discipulus *VII. librorum Historiam scripsit*, quorum primus ab origine mundi ad initium U. C. perducitur. Reliqui VI. libri res in Imperio Romano ab U. C. ad Honorii Imperatoris tempora gestas complent, vixit sub Honorio & Arcadio, sub primordio saeculi V. Legi quoque praecipue meretur ob Ecclesiae Christianae statum, quem diligentius descripsit, B. Augustinus Historiae scribendae Autor illi fuit Inter eos, qui Graece de rebus Romanis scripsere, praeter Dionysium Halicarnasseum & Polybium, sequentes praecipue laudandi. *Appianus* scilicet *Alexandrinus* inter Historicos praecipuos, qui Romanorum provincias, opes, exercitus totiusque Imperii descriptionem velut in tabula quadam depinxit, vide de ipso Bodinum in Methodo Historica. Ex ejus libris duo supersunt, quibus de vide *Hankium de rerum Roman. Scriptoribus part. I. c.* 18. *art.* 2. Reliqui libri injuria temporum perierunt. *Photius in Bibliotheca Cod* 56. stilum illi tenuem ac minime redundantem adscribit: *Antonius Possevinus lib.* 16. *Biblioth. cap.* 6. saepe in Romanorum antiquitate lapsum esse; dicit *Josephus Scaliger animadversionibus*

in

in Eusebii Chronicon ad annum 2021 Appianum alienorum laborum fucum vocat, cui & calculum addit *Joh. Gerhardus Vossius de arte Hist. cap.* 20. Scriptorem tamen utilem esse judicat, quia perditi sunt plerique eorum, quos exscribere solet. *Dion Cassius*, cognomento *Coccejus*, patria Nicaeus, scripsit *Historiarum libros LXXX.* exorsusque ab Aeneae in Italiam adventu. Bodinus in methodo Hist. magnificum illi elogium tribuit, quod scilicet, cum ipse Remp. gesserit bis Consul ac deinde Proconsul, Comitiorum Magistrum Romanorum, totiusque Juris publici disciplinam accurate collegerit. Quanquam aliter *Lipsius* judicat *lib. IV. epist.* 3. qui fidem ejus ambiguam reprehendit, sed nimium severum ejus judicium, & parum aequus Dioni Lipsius hoc judicio videtur, cui tamen ipse contradicere videtur eodem in loco, quo Dionis scriptis nihil verius ac prudentius esse illic dicit. Ipse Dion in Vita Commodi scribit, in somnis a quadam Dea imperatam sibi scriptionem Historiae Romanae. Et in vita Caracallae dicit: ad continuandam Historiam Romanam alto se somno fuisse impulsum, quod nescio quam vanitatem spirare videtur. Ex LXXX. illis libris supersunt XXV. Latini facti a Xylandro, Venetiis plures extitisse quondam apud Dominum a Mandoza, Caesaris Legatum, testis est *Gaddius Tom. I. de Scriptoribus p.* 162. Si quid Photii judicio tribuendum, grandis est dictio & tumida, eo quod rerum ingentium sensa afferat, plena veteris constructionis, verborumque, quae rerum magnitudini respondent: Periodos habet parenthesibus trajectas; in narrationibus & concionibus Thucydidis maxime aemulus est, nisi quod magis perspicuus sit, in caeteris Thucydidem regulam ac normam sibi proponit. Gaddius e versione Thysea de Autoris Graeci stilo judicat, male quidem mea sententia. Neque enim e Versionibus de stilo alterius linguae judicari potest. *Balduinus in suis Institut. Histor.* invidiae accusat Dionem adversus JCtos, contra quem & Lipsius eum defendit. *Tilemannus discursu de Historicorum delectu part.* 2. *Petrus Faber lib. I. Semestrium cap.* 24. *lib. II. c.* 16. multa in Dionis libris falsa agnoscit, multa a librariis corrupta, Caesaris item & Antonii partibus favisse, contra Pompejum & Ciceronem scribit. Optima vero operum ipsius editio est, quae cum Latina ejus interpretatione *Leunclavii*, ac *ejusdem & Ursini notis*, tum & *Roberti Stephani*, *Xylandri*, *Sylburgii* annotationibus prodiit, *Henrici* quoque *Stephani* Spicilegium *Hanoviae* in *folio prodiit anno* 1606. Extant praeterea quaedam *excerpta vel fragmenta*, quae in reliquis libris Dionis non inveniuntur, quae consilio Imperatoris Constantini Porphyrogenitae in collectaneorum librum de virtutibus vitiisque congesta, & *a Nicolao Fabricio, Peireskio*, qui *primus in ea incidit*, *magno aere comparata*, *ab Henrico vel Valesio cum Latina interpretatione suisque notis*, *Lutetiae Parisiorum Anno* 1634. *in* 4to. edita. *Herodianus* sui temporis res Romanas ab obitu M. Aurelii Antonii ad Gordiani initium complexus est, cujus Versionem Latinam Politiano debemus, quam ille primus anno 1493. in fol. edidit. Commentati in eum sunt variis editionibus *Henricus Stephanus*, *Ericus Memmius*, *Andreas Scotus*, *Fridericus Sylburgius*, Novissime *Joh. Henricus Boeclerus*, qui eum cum notis suis doctissimis *Argentorati* 1644. *in* 8vo. edidit. Parcus monita & exempla Ethico-Politica, quae virtutes vitiaque Principum spectant, in illum Autorem congessit: Dionem & Herodianum ac utriusque Historici virtutes confert inter se Boeclerus in praefat. ad Lectorem: Quod si quis, inquit, utrumque velit comparare, Dio sane amplitudine argumenti, copia expositionis,

tionis, frequentia pragmaticae informationis praecellere videbitur, sed stili tersissima & temperantissima venustas, Oeconomiae Historicae concinnitas, sententiarum opportunitas ac elegantia in Herodiano longe lateque eminent. Idem quoque in *Biblioth. Cod.* 99. dictionem illi claram, perspicuam, jucundam tribuit, voces temperatas, nec supra modum Atticas, quibus nativa sermonis communis gratia violatur, neque ita humiles ac demissas, ut artem omnem fugisse videatur. *Dexippus Herennius*, Atheniensis, cujus meminit *Trebellius Pollio in Gallienis cap.* 13. & *Eunapius in Vita Porphyrii* sub finem, *Photius in Biblioth. cod.* 82. Praeter *Historiarum opus*, quod in Claudii Principatu terminavit, *Scythica* quoque composuit, Historias scilicet de Romanorum & Scytharum praeliis, unde excerpta aliqua hodie supersunt, quae leguntur in isto libro excerptorum, quem Valesius edidit, quorum in Dione mentionem faciebamus. Voetius alterum Thucydidem vocat in Historia potissimum Scythica. Supersunt minores Historiae Augustae Scriptores, qui solent uno volumine comprehendi, de quibus in universum Barthius Libr. 60. Adversf. judicat, quod, de Vitarum Augustarum Consarcinatoribus, quibus veritatis studium non adeo semper cordi. Inter eos sunt *Volcatius Gallicanus*, a quo habemus descriptam *Vitam Avidii Cassii*, qui falso de Antonii morte nuncio accepto, in Oriente Imperium arripuerat, per tres menses & tres dies usurpatum. Prodiit cum aliis Augustae Historiae Scriptoribus variis editionibus, Venetiis, Francoforti cum Ignatii, Jani Gruteri, Marcelli, Donati notis. *Optima* vero omnium *editio* est, quae cum *Casauboni* & *Salmasii notis Parisiis Anno* 1620 in folio prodiit, ac optandum esset, ut in omnes Historiae Augustae Scriptores illorum Virorum notas haberemus. Non enim in omnes commentati sunt. Cornelii Screvelii Cura, quae cum selectis Gruteri, Casauboni & Salmasii notis Lugd Batav. 1661. prodiit, eodem cum omnibus Epitomatoribus loco habenda est. Pessimum enim hoc Typographorum consilium, quo lucrandi gratia bonos Autores mutilant, & loca quaedam sine judicio congesta per homines ignaros pro excerptis selectisque notis venditant, quae sub Variorum titulo passim prodeunt. *Trebellius Pollio* Imperatoris Valeriani Vitae partem posteriorem, Gallienorum, 30. Tyrannorum, Imperatoris Claudii Vitas descripsit, de quo idem est judicium. Gesnerus tamen tersam ejus dictionem vocat, cui judicio non admodum contradicit Vossius, quae tamen ab aevo Augustaeo longissime absit. *Aelius Spartianus*, qui aetate Imperatoris Diocletiani claruit, Imperatoris Adriani, Aelii Veri, Didii Juliani, Septimii Severi, Pescennii Nigri, Antonini Caracallae, Antonini Getae Vitas descripsit. In quo Joh. Baptista Pigna annot. post. cap 60. literatissimum Virum vocat. Caeterum de eo illud esto, quod de omnibus illis Scriptoribus, judicium: *Julius Capitolinus* Imperatoris Titi, Antonini Pii, Marci Antonini Philosophi, L. Antonini Veri, Pertinacis, Claudii Albini, Opilii Macrini, Maximi Maximini, Imperatorum trium Gordianorum, Imperatoris Maximi & Balbini Vitas descripsit non contemnenda diligentia, uti Joh. Baptistae Pignae videtur *Flavius Vopiscus*, Syracusanus, Aureliani Imperatoris, Taciti, Floriani, Probi, Tyrannorum, Firmii. Saturnini, Proculi, Benosii, trium Imperatorum Cari, filiorumque Numeriani & Carini Vitas scripsit. Bene de illo judicat Casaubonus in not. ad Vopiscum, Aurelianum cap. 1 Nam cum in priorum Scriptis omnia perturbata, indigesta, confusa, mera denique, ut loquitur Mappilia, invenerit, in Vopisco temporum, rerumque seriem diligentius & constantius

tius servata omnia ἐντακτα & bene composita offendit, sive ea fuerit Autoris major diligentia, sive Scriptorum ejus felicitas, quae correctorum manus minus iniquas sint experta, cui judicio etiam *Vossius* subscribit *lib. 2. de Historicis Latinis cap. 7. Sextus Aurelius Victor* Caesarum Vitas scripsit, qui non alius est, quam qui de Romanae gentis origine libellum scripsit, quanquam alii dubium ex eo habent, quod Asper nominetur in altero illo libro, sed tamen unus idemque est, cum ex laudibus Africanae gentis, quas passim inspergit, de origine ejus facile conjicere liceat. Ejusdem Autoris (nomen enim illud praefert) liber est *de Romae Viris Illustribus*, cujus alii Cornelium Nepotem, alii Plinium Novocomensem, alii Suetonium Autorem constituunt, nulla alia conjectura moti, quam quod tum ab Aulo Gellio, tum ab Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis tradatur, eos Autores quodpiam reliquisse hujus argumenti. Denique & ipse stilus facile ostenderit, non eorum esse Autorum hunc librum, sed ejus, quem in fronte ponit Aurelii Victoris. Libellus de Romanae gentis origine cum Dionysii Halicarnassensis operibus, cum Onuphrii Panvini de Reip. Romanae Commentariis, cum antiquae Historiae Autoribus a Dionysio Gothofredo editis, prodiit, atque inter Historiae Romanae Scriptores cum Frid. Sylburgii variis lectionibus, inter *Historiae Augustae Scriptores* cum *Jani Gruteri notis:* Liber de Viris Illustribus, cum Machanaei Commentariis *Lipsiae Anno Christi* 1516. in 4to, cum Lycosthenis Commentariis Basileae 1563. prodiit. *Flavius Claudius* de *Caesaribus* librum scripsit, quo a Julio exorsus res aliquas attigit ficto inter ipsos & Deos colloquio, satyricus potius quam Historicus. Eum ex Graeco in Latinum verterunt *Carolus Cantoclarus*, *Frid. Sylburgius* & *Dionysius Petavius*. *Socrates lib. III. Hist. Ecclesiast. cap.* 1. extremo ita de illo interprete Joh. Chrysostomo: cum supra modum inanis gloriae cupiditate flagraret, omnes Imperatores, qui essent illum antegressi, libro quodam, quem inscripsit Caesares, graviter & contumeliose perstrinxit. *Procopius* e Palaestina oriundus bella Justiniani auspiciis a Belisario gesta descripsit, de *bello Gothico tres*, de *Persico duos*, de *Vandalico itidem duos concinnavit*. Fuit, temporibus Justiniani Imperatoris, Belisarii Librarius ac comes in omnibus bellis, rebusque a se descriptis interfuit. Scripsit & alium librum τῶν ἀνεκδότων ineditum de suis actis, quo in opere vituperationes & insectationes Justiniani & Theodorae conjugis ejus, atque etiam Belisarii & uxoris ejus continentur. *Bodinus in Meth. Hist. p.* 96. non dubitat, illum selectos inter Historicos recensere, quoniam in rebus gerendis perpetuus Belisarii comes, ac totius publici consilii particeps fuit, saepe etiam pro Rep Legationes obiit, ac praeterea non indoctus fuit, singulas Epistolas, Decreta, Foedera, Conciones vario dicendi genere ac stilo descripsit. Ἀνέκδοτα ejus quod attinet, vero simile videtur, si non studio veritatis, vindictae cupiditatis fuisse scripta, quanquam tamen de eo nihil certi constet. In operibus his Historicis certe nulla illustri laude celebravit Justinianum & Belisarium, & quantum conspicere licet, a Belisario non bene habitum fuisse apparet, cum Domini sui & uxoris ejus non benignam certe mentionem fecit. Primam ejus editionem paravit e Bibliotheca Vaticana Nicolaus Alemannus, quem postea recudi fecit *Eucbelius* Professor Helmstadiensis. Non desunt tamen, qui vindicias pro Justiniano pararunt: scripsit praeterea volumen *de*

Justinianis aedificiis. *Sigonius* quoque non contemnendas ei laudes tribuit. *Eutropius* inter Graecos Scriptores a quibusdam refertur, qui tamen ab aliis Historiam suam Latine scripsisse creditur, quam postea in Graecum sermonem convertit Paeanius Sophista *scripsit Historiae Romanae breviarium Lib. X.* ab. V. C. usque ad Joviani Imperatoris mortem, prodiit cum Suetonio *Venetiis* 1516. in 8vo. cum Glareani annotationibus, cum Vineti commentario *Basileae* 1556. & *Parisiis* 1560. *Cum Sylburgii* variis lectionibus ac notationibus, ac Paeanii Graeca Interpretatione, *Tomo III. Hist. Rom. Scriptor.* prodiit 1590. in Folio. Sophistam Italum vocat Suidas, quanquam non desint, qui hunc Eutropium Historicum eundem esse contendunt, cum Eutropio Presbytero Africano, Augustini discipulo. Meminit ejus *Georgius Codinus in Originibus suis Constantinop.* ubi de structura Constantinopoleos agit. Vocat etiam illum Sophistam, qui Juliano Apostatae in Perside aderat, *Petrus Lambecius* in Animadversionibus; hic e Codice Vaticano probare contendit, illum Constantino Imperatori ab epistolis fuisse. Modus lectionis variat. Nam dum vulgo legatur, Constantinos Epistoliographos, in Codice Vaticano legitur Epistolographos Constantinos. Minus ille quidem elegans est, sed quoniam ex Livio & Sallustio res nobis nunc ignotas decerpsit, magni a nobis fieri debet, cum praeterea in succincta brevitate totam Romanam Historiam nobis exhibeat. Nihil enim per ea tempora accidit pene in Imperio Romano, quod non diligenti illi Autori vel tribus saltem verbis fuerit notatum: quod elogium illi tribuit *Michaël Piccartus Decad. XVI. Observ. Historico-Polit. c.* 1. Stilus ejus aetati, qua vixit, imputari debet. *Bonifacius* tamen judicio superioribus etiam & Historicis eminentiori fuisse asserere non veretur. Quod religioni Christianae addictus fuerit, adeo liquidum non est. Nam quanquam lib. X. c. 8. Julianum religionis Christianae nimium insectatorem reprehenderit, ex eo id colligi non potest. Nam cum nimium insectatorem vocat, excessum improbare videtur, non vero insectationem ipsam; ac sunt alia vestigia, quae Paganismi suspicionem ingerere possint. Probarem ego *Balthasaris Bonifacii* judicium, qui id de eo asserit, illum in collimitnio tenebrarum & lucis constitutum, nec Paganorum ritus probasse, nec Christo tamen dedisse nomen. Certe *Theodorus Zwingerus*, qui Presbyterum illum esse Africanum contendit, non firmis sententiam suam stabilire argumentis mihi videtur. *Jo. Zonaras* Byzantius *Historiam universalem* a primordio mundi usque ad obitum Alexii Comneni scripsit, circa initium Sec. XII. quae tres tomos complectitur. Primus desinit in Exilio Hierosolymitano. Secundus Historiam Romanam ab Urbe Condita usque ad Constantinum M. perducit. Tertius continet reliquorum Imperatorum praecipue Orientalium res gestas, & progreditur usque ad annum 1117. scripsit & quaedam ad Historiam Ecclesiasticam pertinentia, de controversiis scilicet Religionis in Orientalibus Ecclesiis motis, ex quo Cuspinianus & reliqui recentes rerum illarum Descriptores pleraque adsumunt. Zonaram *Nicetas* excipit, qui hanc Zonarae Historiam, a quo desinit, ille usque ad XIII. Sec. initium continuavit. Hunc *Nicephorus Gregoras*, qui Imperatoris Andronici Junioris Consiliarius fuit, secutus est, qui XI. libris eam continuavit ad annum 1338. quem postea *Chalconditas* secutus est, usque ad tempora captae a Turcis Constantinopolis,

An.

An. Christi 1413. & post annum 1446. decem libris continuavit. In Occidentali Historia, postquam barbaries, quae omnia turbaverat, studiis quietem diuturnam indixerat, *Paulus Diaconus*, Desiderii Longobardorum Regis Cancellarius, & una cum suo Rege a Carolo M. captus, *integram Longobardorum Historiam* usque ad annum Christi 773. contexuit. Plurimum lucis Historiae Romanae, quod posteriorum saeculorum res spectat, attulit *Flavius Blondus*, qui in multis subsidio esse potest. Scripsit autem *Romam Triumphantem X. libris comprehensam*, qua traduntur ea, quae ad Religionem, Statum tum Civilem, tum Militarem, Mores, Instituta, Triumphos pertinent. Secundo *Romam Instauratam*, qua tribus libris de Origine Antiquae Urbis, Ambitu, Aedificiis agit, qui non adeo ad Historiam Romanam spectant, cum potius Antiquitates Romanae in illis explicentur. Tertio, *Italiam Illustratam*, quo libro omnes Italiae Religiones describuntur, qui itidem non tam ad Historiam, quam Historicorum notitiam vel intelligentiam ob antiquitates explicandas pertinet. Quarto *Historiam de Inclinatione Romanorum* libris **XXXI**. qui fere Historici argumenti sunt, atque ab eo tempore incipiunt, quo exspirante sensim Imperii gloria, bonae artes atque literae defecerunt. Deduxit autem historiam hanc ad sua usque tempora per Ann. 1030., ut ipse initio *Libri I.* scribit. *Franciscus Floridus* & *Leander Albertus* elogium illi non contemnendum tribuunt, quanquam alii veritatis fidem in illo requirant. *Vossius* in illo dictionem incultam reprehendit, bene tamen de omni antiquitate meritum vocat.

Reliquorum Europae Populorum Historia recentior est. Cum enim literarum beneficium sero illis illuxerit, nulli fuere Scriptores, qui eorum res gestas libris consignarunt. *De Germanis* perpauca leguntur apud *Julium Caesarem & Tacitum*; quae *Plinius Junior de Bellis Romanorum* scripsit, injuria temporum perierunt. Caroli M. tempore *Eginhardus Caroli M. res gestas* descripsit, quem secutus est *Rhegino*, qui *libris Annalium suorum* usque ad Ludovicum IV. Historiam pertexuit, quae continuata postmodum est a *Luitprando Ticinensi. Wittekindus* Monachus Benedictinus, Gentis Saxonicae *Historiam*, speciatim *Henrici Aucupis & Ottonis I.* res gestas descripsit. Multa ille quidem de Origine Saxonicae gentis, sed famam secutus, cum alia deficerent documenta, credidit. Scripsit usque ad annum 973. *Hermannus Contractus*, Monachus Benedictinus, postea in Chronico suo secundum sex mundi aetates distincto, & quidem in aetatum ultima, multa de rebus Germanorum consignata reliquit. Similiter & *Lambertus Schaffnaburggensis*, Caenobii Hilschfeldensis Monachus *Germanicam* sui *temporis Historiam* libro, eodem modo per aetates sex distributo, composuit: In ultima earum tradidit historiam usque ad sua tempora. Definit enim Anno Christi 1077. quibus additiones aliquas adjecit Monachus quidam ignotus. Claruit quoque tum *Marianus Scotus*, Monachus Fuldensis Benedictini Ordinis, cujus Chronicon tribus libris distinctum res Germanicas non tantum, sed & exoticas ad sua tempora perduxit, cui itidem alterius cujusdam Monachi appendix adjecta, qui Chronicon Mariani continuavit post 1083. quo desiit Marianus. *Sigebertus* natione Gallus, *Monachus Gemblacensis*, Ordinis Benedictini priorum quoque temporum Historiam scripserat ad Annum 1210. perductam. Nam Marianus Anno 1200. finem Historiae suae fecit. *Otto Frisingensis Chronicon VII. libris comprehensum* scripsit ab

Origine mundi usque ad ſua tempora, in quo etiam multae res Italicae, aliaque exotica continentur. *Abbas Urſpergenſis* non indiligens rerum Germanicarum Scriptor; accurate enim temporum intervalla notavit, ut omnibus palmam praeripuerit. *Martinus Polonus* in libello ſuo *de IV. Majoribus Regnis* non pauca ad Germanorum Hiſtoriam pertinentia admiſcet, usque ad Annum 307. Hiſtoriam ſcripſit: Ex quo *Georgius Fabricius* ea, quae ad Germanorum Hiſtoriam pertinent, deſumpſit. *Saxo Grammaticus*, Rotſchildenſis Eccleſiae Praepoſitus, *Danicae Gentis Hiſtoriam conſcripſit* & quidem dictione tali, quae ultra ejus temporis genium erat, plenam tamen fabulis, ut fieri ſolet in gentibus, quae in initio illiteratae, non niſi commenta quaedam ad poſteros propagarunt: ſcripſit usque ad annum 1460. *Joh. Nauclerus*, *Cranzius*, *Sleidanus*, *Thuanus* prioris ſaeculi res geſtas uberrime deſcripſerunt. Inter illos *Thuanus* Princeps eſt, cujus magnificum ſane opus res complectitur tam in quam extra Germaniam geſtas, exeunte priore ſaeculo & hoc ineunte. *Nihil* praetermiſit earum rerum, quae vel ad Prudentiam Civilem, vel ad univerſum omnium Regnorum Statum pertinent. Si jam caeterarum Gentium Hiſtoricos accurate pertexere velimus, non aliquot paginarum, ſed integri voluminis res eſſet, quod alia fortaſſis occaſione a nobis fiet. Interim pedem hic figimus, & finem praeſenti Diſſertationi de *Hiſtoria ejusque Scriptoribus* imponimus.

SOLI DEO GLORIA.

I N-

I N D E X
PERSONARUM ET RERUM
IN
HERMANNI CHRONICO
ET
EYSENHARDI CONTINUATIONE,
OCCURRENTIUM.

A.

G.

H.

I.

Jo-

N.

O.

P.

FINIS.

